STATERA SAULIS EXREGIS IOANNIS SINNICHII S. THEOLOGIAE IN ACADEMIÂ...

Gilles Estrix

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II ROMA
204
19 C
30

17
B
29

Digitized by Google

204 · 19 · C · 30
1200
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

41, 3, E, 3

Digitized by Google

STATERA

SAVLIS EXREGIS

IOANNIS SINNICHII

S. Theologiæ in Academiâ Lovanienſi Doctoris, quatenus Continet

Vindicias Decalogicas

Nuper dictas : *verius Farraginem injuriarum contra Theologos Societatis* IESV.

AUCTORE

GVILIELMO LE MAIRE.



ROMA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus IOANNIS WILHELMI FRIESSEM Iunioris.
M. DC. LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRIARCHÆ

IGNATIO DE LOYOLA

SOCIETATIS IESV FVNDATORI,

Chriſtianæ pietatis Reſtauratori Stateram hanc ſeque ipſum dicat GUILIELMUS LE MAIRE.

P*Atere, ſanctiſſime Pater, ope peregrinâ ſordes expurgari, quibus familiam tuam inſpergere magno conatu quidam eſt molitus. Illas enim-verò filii tui, quos ad majora ferenda paraſti, velo manſuetioris patientiæ contegere ſtudent, contenti eo charactere inſigniri, quo ſervos ſuos ab alienis diſtingui voluit ſupremus Paſtor, dicens:* Non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt,& vos perſequentur. *Sic ego Filios apud Patrem excuſo, ſaltem per intentionem bonam. Si tamen, quod vereor, illorum ſilentium exceſſit limites, intra quos debet conſiſtere virtus Manſuetudinis, & Patientiæ, tu illis ignoſces, & è cœlo opitulabere dirigendo calamum meum, quo pro illis decrevi certare. Contra quos autem? Si Chriſti Præcones ab hæreticis, & infidelibus multa tolerent, non magis quidem mirandum, quam ſi oves inter lupos poſitæ ab iis diſcerpantur: ſed quod ii, qui ſe Chriſti famulos dicunt, conſervos ſuos, nihil ſibi debentes, & innoxios opprobriis onerent, hoc luctuoſum eſt, & non ſolum non ferendum Evangelico Domino, ſed ne quidem Conſervis cæteris. Socios docuiſti, Sanctiſſime Pater, extrema quæque benefaciendo, in propriis perſonis pati, & contemnere; in corpore autem Societati-*

Digitized by Google

nihil eos tolerare voluiſti, quo illud vile fieret: idque peroptimè: minus enim eo proficeret in populo, quo apud eum vilior haberetur. Quia verò illi vel non animadvertunt aſperſam eſſe maculam Societati univerſæ, vel quorumdam levi operâ ſatis deterſam putant; quod ego prorſus aliter judico: hinc ego hominum ultimus, qui ſoleo Religioſorum omnium (omnes enim turpiter deprimuntur) partes ſuſcipere, cum ſe offert occaſio; jam Societatis tuæ, quæ præ cæteris affligitur (quod tibi ſolebat eſſe ſignum vegetæ virtutis) patrocinium ſuſcipiens, immiſſas in doctrinam tuorum fæces ſcopâ ſeveriore detergo: & ne quid animos tuorum nauſeare faciat ſuper vocatione ſuâ, alioſve avertat à Societate, quam fundaſti, radiante veritatis face tenebricoſas calumnias diſſipo; ut jam eò caſtior appareat tuorum doctrina, quo eam umbrâ fuliginoſiore quidam depinxerat. Accipe ergo colendiſſime Pater è manu modicitatis meæ munuſculum hoc; largâ illud benedictione cumula: à Domino Deo meorum mihi delictorum veniam impetra, teque & hîc commorans, & hinc emigrans, patrono, & tutore fruar. Amen.

REVE-

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

IOANNI PAVLO OLIVA

PRÆPOSITO GENERALI

SOCIETATIS JESU.

Reverendiſsime Pater

NOn ſolum ex hæreticorum lacunis profligati homines, ſed ecce è noſtris (ſi tamen ſunt noſtri omnes illi) exierunt, qui familiam veſtram Divinâ Providentiâ Fundatam, tot trophæis ornatam, & auctam pro libitu conſpurcavere. Mihi quidem non tolerandus ille eſt viſus, cujus jam ab annis multis legitur *Saul Exrex* Theologis Societatis veſtræ tam injurioſus. Majori periculo infamiæ impetitur doctrina veſtra, quam virtus: hæc etiam plebi notiſsima ſui ſecura eſt: de illâ pauci quidam è doctioribus norunt judicare: reliquis etiam doctis facilè perſuadebit ſiniſtriora quæque Doctor alicujus nominis. Hoc egit Ioannes Sinnichius Lovanienſis Doctor in ſuo *Saule*: hoc egerunt, qui ab ejus obitu nuper recudi curarunt excerptas è *Saule Vindicias Decalogicas*. Ingens ille auſus ad ſui ſubverſionem hâc meâ validiorem manum poſtulare videbitur, & calamum acutiorem. Sed quid? dum veſtri tacent, tacebunt omnes? & cuique pro libitu impune graſſari licebit in

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORIS.

STatera hæc Auctore R. admodum Domino Guilielmo le Maire adverſus Saulem Exregem, *oſtendit non eſſe nimis liberè aliquos laxitatis, vel erroris arguendos. Quapropter cum neque in eâ deprehendam aliquid contrarium fidei, aut bonis moribus, permitto, ut in publicam lucem edatur. Datum Lovanii* 16. *Septembris* 1672.

Nicolaus Du Bois, S. Scripturæ Regius, & Primarius Profeſſor, Librorum Cenſor.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM

§. I.

Occaſio & juſtiſsima cauſa ſcribendi hoc opuſculum.

NOn diſſentior ex toto Joanni Sinnichio Doctori Lovanienſi, Auctori *Saulis Exregis*, cujus Stateram propono. Ille ſcilicet cum Theologos Jeſuitas putaverit præcipue accuſandos de laxitate in Theologiâ morali, minimè dubium reliquit, quin Jeſuitas potiſſimum judicaverit eſſe valde laxos. Ego verò illi, ut dixi, non diſſentior ex toto. Quia reverà eſt quoddam punctum, in quo comperio Jeſuitas ſaltem in Belgio eſſe inſigniter laxos. Miretur, qui vult, confeſſionem meam candidam, atque iraſcantur illi, ſi velint: meum eſt fateri veritatem. Sed volo me explicare.

Abhinc decem annis, & amplius prodiit Lovanii quidam liber cum Titulo: SAUL EXREX *Ioannis Sinnichii Corcagienſis Iberni S. Theol. in Acad. Lovanienſi Doctoris &c.* ſcatens partim impoſturis, partim iniquis cenſuris contra Theologiam moralem multorum Jeſuitarum, videlicet Tamburini, Baunii, Eſcobarii, Laymanni, Amici, Caſtropalai, Tanneri, Raynaudi, Leſſii, Thomæ Sanchez, Vaſquez, Suarez, Valentiæ, Molinæ &c. Ego certè, cum primùm legerem librum obiter, cumque ſuâ ſponte incurrerent in oculos meos tot impoſturæ, & injuſtæ cenſuræ, non dubitabam, quin intra paucos dies, vel hebdomadas eſſemus habituri Apologiam, qualem poſtulabat innocentia talium virorum, & honor ipſe Societatis JESU, qui eſt ipſi neceſſarius *ad majorem Dei gloriam*, quique non poterat non eſſe læſus in honore tot virorum de ſuo Corpore. Sciebam non eſſe inuſitatum illis Religioſis, neque in Italiâ, neque in Galliâ, neque in Germaniâ, neque in Hiſpaniâ ſcribere pro ſe Apologias. Sciebam etiam hoc onus præcipue incumbere Jeſuitis noſtratibus, in quorum oculis eſſet impreſſus liber & præcipue celebraretur. Quid Tamburinus in Siciliâ, vel alibi alii ſe turbarent propter *Saulem Exregem*? Quamquam non defuit in ipsâ urbe Româ Martinus de Eſparza, qui in libro *Append. ad quæſtionem de uſu licito opin. prob.* approbante Magiſtro S. Palatii, generaliter compeſceret maledicentiam Sinnichii, & præſumptuoſam licentiam cenſurandi, ſimulque valide confutaret ejus doctrinam de uſu licito opinionis probabilis. Sed & paucis notus eſt in Belgio liber ille, neque hoc egit ejus Auctor,

Digitized by Google

ctor, ut Sinnichii impoſturas, & iniquas cenſuras particulatim redargueret, quod erat neceſſarium, ut conflata tot Scriptoribus, ipſique Societati infamia in Belgio potiſſimum, ubi præcipuè illa ardebat, extingueretur. Non ergo dubitabam, quin alius quiſpiam in his Provinciis, imo Lovanii, ubi ortus erat *Saul*, eſſet futurus, qui eum appenderet in Staterâ.

Verum enim verò illi boni Servi Dei, quaſi ad ſe res non pertineret, legerunt, ut puto, ſuum Roſarium, eum maximè debebant uti calamo, ad propulſandum à ſe, ſuiſque, & ſuo ordine tot injurias. Hoc ego dico eſſe punctum maximi momenti, in quo comperi Jeſuitas noſtrates eſſe inſigniter laxos.

Hanc fuiſſe inſignem laxitatem probo ex doctrina D. Thomæ Opuſc. 19. cap. 14. ubi ſic incipit. *Nunc videamus, quomodo nitantur oſtendere, quod Religioſi ſuis detractoribus reſiſtere non debent*, ſcribit contra Guilielmum de S. Amore, & Sigerium Doctores Pariſienſes, hoſtes Dominicani Ordinis, & Religioſorum. Argumentis verò ipſorum opponit S. Doctor exempla, & teſtimonia Sanctorum, quibus conſtat, non ſolum poſſe, ſed etiam debere aliquando reſiſti detractoribus. „Patet, inquit, quod Apoſto- „ lus 2. Cor 10. his qui de ſe mala diſſeminabant, reſtitit. Item Grego- „ rius Homilia 9. primæ partis ſuper Ezechiel. *Hi quorum vita in exemplis imitationis eſt poſita, debent ſi poßint, detrahentium ſibi verba compeſcere: ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant. Perfecti autem viri ſunt, quorum vita in imitatione eſt poſita*, ERGO IPSI DEBENT COMPESCERE LINGUAS DETRAHENTIUM CUM POSSUNT. *Item Auguſtinus in 2. de Trinit. Gratanter ſuſcipit oſculum columbinum pulcherrima, & modeſtiſſima charitas. Dentem autem caninum vel evitat caſtiſſima, cautiſſimaque humilitas, vel refundit ſolidiſſima veritas.* „ Ex quo patet quod canini dentes detractorum quan- „ doque ſunt evitandi, quandoque retundendi. Item hoc patet multo- „ rum exemplo Sanctorum: ut Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Ber- „ nardi, & multorum aliorum, qui Apologias fecerunt. Hæc S. Thomas, concludens denique moderatos correctores eſſe ferendos, falſos rehrehenſores eſſe repellendos, ſi graviter noceant; & repelli poſſint: neque eſt dubium, quin hæc obligatio repellendi eo ſit gravior, quo gravius nocet falſa reprehenſio, & detractio.

Vellem jam ſcire quo titulo putent ſe excuſandos Jeſuitæ non repellentes Sinnichium. An non fuerunt falſæ, & injuſtæ reprehenſiones, & criminationes illius? Falſas, & injuſtas fuiſſe erit evidens ex toto hoc Opuſculo. An non potuerunt repelli, aut confutari? contrarium erit evidens ex eodem hoc Opuſculo. An non graviter nocuerunt? Quantum

no-

Digitized by Google

nocuerint, debent illi ſcire, qui æſtimantes Sinnichium, eidemque credentes legerunt *Saulem Exregem*.

Quin graviter nocuerint, dubitare non potuit ſuprà memoratus Martin. de Eſparza, qui excurſionem ſuam contra Sinnichium App. ad quæſt. de uſu licit. art. 14. exorſus eſt his verbis. *Ioannes Sinnichius Doctor Lovanienſis in libro quodam ſuo, quem inſcripſit* SAUL EXREX *ſcribit multa fuſo admodum calamo à cap. 94. ad 123. incluſive, quæ ſyncero, & ſapienti Lectori videri poſſent, ac deberent ſcripta adverſus Schiſmaticos, Hæreticos, atque Paganos potius, quam adverſus Doctores ullos Catholicos &c.* Mox perſtringit mirabilem hominis licentiam, quâ Ethicen Neotericorum, quos perſequendos ſuſcipit, ſic peſſundat, ut, quamvis fateatur Saul. Exr. cap. 94. in Vind. cap. 7. illam *ſuffragatorum multitudine crebreſcere, eorumdemque claritudine celebreſcere*, eam notet in *Libertinis ſummopere arridentem, priſcæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigori non tam inſidiantem, quam inſultantem*: de doctrinâ verò principali circa uſum opinionis probabilis unum audeat pronuntiare; *Volo dicere, ſententiam iſtam per omnia coincidere cum errore Libertinorum ſuperiori capite diſploſo*: vereatur tamen, *ne nimis prope accedat* ad errorem illum, *atque ei revehendo, aditum pandat.* Tum verò conſiderare jubet idem Auctor *Appendicis*, quómodo Libertinos deſcripſerit Sinnichius, illos diſplodens: „ Dixerat, inquit, hæc inter alia, progredi nimirum illos uſque ad Atheiſmi barathrum, fingere Deorum „ multitudinem, ut deſtruant delictorum impunitudinem: comminiſci „ Deum ſibi in culpâ ſimilem: non modo perſonis vitioſis, ſed ipſis „ etiam vitiis Divinitatem arrogare: ſuperbiam eorumdem eſſe majorem, „ quam Dæmonum, vel Protoplaſtorum: ac demum celeuſma talium „ hominum eſſe; *Quis noſter Dominus eſt? Dominamur Altiſſimo: Superiores ſumus Deo.* Mox ſimilia obſervat idem Auctor de aſſimilatâ à Sinnichio Ethice eorumdem Neotericorum cum Ethice Manichæorum, Gnoſticorum, Quintiniſtarum, quos dixerat omne genus vivendi probare, etiam Lenonum, furum &c. jure dictos eſſe *Pravicordios, & Torticordios.*

Commemorat etiam, quæ habet Sinnichius Saul. Exr. cap. 95. in Vind. C. 8. in ipſo argumento capitis præliminari: Ego paulo plenius deſcribam. „ Neoterici laxitatum præcones imitantur priſcos Judaici populi Palpones, de quibus ad eundem populum Dominus „ exclamat: *Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam* „ *greſſuum tuorum diſſipant.* Utrique ſunt olei venditores, quatenus falſa, „ vel ignorata laudando præcipitant animas in ruinam, quibus vana gaudia „ conciliant, aliquam ab eis mercedem, ſive ciborum, ſive pecuniæ, „ ſive honoris, ſive alicujus commodi temporalis expectantes &c.

Item quæ Saul. Exreg. cap. 98. in vind. cap. 11. in argumento ſi-

Digitized by Google

militer preliminari: quædam deſcribo. „ Cohibendi ſunt laxitatum buccinatores non modo ne fallant; ſed ne & ipſi pereant, & alios perdant. Chriſtus dicendo; *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, „ non ſolum terruit cæcum ducentem, ſed & cæcum ſequentem... Probabilitatum patroni CÆCI SUNT, QUIA OPINANTES, ac per hoc hallucinantes; & ſimul cæcorum Duces: quia hallucinationum ſuarum ſequacibus ſecuritatem falſo ſpondentes perſuaſione ſua accendunt præſumptionem &c.

Hujus generis ſunt tam multa, ut qui colligere ea velit, volumen ſcribere debeat. Sed nos ad rem noſtram.

Certè homines non valde cauti, quorum major eſt numerus, hæc legentes non poſſunt dubitare, quin illi Neoterici, in quos illa ſcripſit Sinnichius, ſint homines quidam deteſtabiles, & non multò minus fugiendi, quàm Cacodæmones, qui miris artificiis *præcipitant animas in ruinam* &c. Non poſſunt etiam dubitare, quin ſaltem præcipui ex illis, & quidam Anteſignani ſint ii, quos tam frequenter, & fere ſolos videt nominari in *Saule Exrege*, hoc eſt, Jeſuitæ. Confirmabuntur verò in ſuo judicio, ubi nihil ſuſpicantes de impoſturis, conſideraverint doctrinam variam in particulari, quam illis Auctoribus attribuit Sinnichius. Tum vero Cenſuras partim ab ipſo fabricatas, partim à Theologicâ Facultate Lovanienſi, ſuſpicient tanquam oracula infallibilia, & totidem fulmina, quibus mereantur redigi in Cineres illorum libri. Non poteſt ergo non graviter nocuiſſe illorum exiſtimationi Sinnichius in ſuo *Saule* ſaltem apud minus cautos, etſi alioquin non indoctos. Homines emunctioris naris, & judicii non tam facile ſinent ſibi imponi. Sed hi pauciores ſunt.

Si ſuum honorem, & famam floccipendebant illi viri humiles, certe conſiderare debebant ſuum ſibi honorem, & famam eſſe neceſſariam ad ſalutem multarum animarum. Auſcultare debebant S. Gregorio & D. Thomæ, quos ſupra audivimus. *Hi quorum vita in exemplis imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſint detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.*

Si tam prodigi fuiſſent ſuæ famæ ipſorum majores, non videremus hodie illam morum reformationem in Eccleſiâ, illam Catechiſmi peritiam in populo, illam Hæreſum labefactationem in Septemtrionalibus Provinciis, illa tot infidelium millia fidei luce illuſtrata in utrâque Indiâ. Non detraho aliis viris Apoſtolicis laudem ſuam, ſed quid in hoc omni genere profuerit Eccleſiæ Societas, ne quidem ignorant, qui invident; non enim inviderent, niſi noſſent.

Hæc ego conſiderans annis ſuperioribus, dolebam certè, imo frendebam

debam ad tantam ſegnitiem noſtratum Jeſuitarum, & jam pridem judicabam apud me, ex omnibus laxitatibus vel fictis vel pictis à Sinnichio, nullam eſſe tam reprehenſione dignam, quam hanc famæ propriæ contemptionem in præjudicium plurimarum animarum.

Sed jam dolori meo, ut fit, tempus attulerat medicinam: cum ecce Anno ſuperiori accipio excuſum Lovanii quemdam librum, cui titulus; *Vindiciæ Decalogicæ, deſumptæ ex Saule Exrege Eximii D. Ioannis Sinnichii &c. quibus aſſeritur rigor præceptorum Decalogi adverſus laxiores quorumdam opiniones.* Dum luſtro librum, comperio ipſum nihil penitus continere præter illa capita *Saulis Exregis* ad verbum recuſa, quibus Sinnichius conatus erat facere invidioſam Moralem Theologiam Jeſuitarum.

Hic ego primùm quidem miratus fui defectum prudentiæ (ut leviſſimè dicam) in illis viris, qui curarunt recudi illum tractatum. An non videbatur, poſſe illis ſufficere, ſemel, iterumque eſſe excuſum Lovanii univerſum *Saulem Exregem*, & Jeſuitas tam graviter læſos tacuiſſe jam toto decennio? An parum erat lectus toto Belgio ille *Saulis Exregis* tractatus; ſed ut eſſet parabilior, commodiuſque, & à pluribus legeretur, edendus erat ſeorſum? Eratne operæ pretium avulſum à reliquo corpore recudi tractatum illum, quem etiam cæcutiens videre poteſt eſſe adornatum ad ignominiam proborum virorum redundaturam in Ordinem univerſum de Eccleſiâ tam bene meritum? An totius *Saulis Exregis* hæc erat gemma præcipua, quæ præ cæteris mereretur lucem aſpicere? Licetne credere, Sinnichium ipſum hoc paſſurum eſſe, ſi viveret? An quia tacuerant Jeſuitæ jam Annis decem, ſperabant factos eſſe elingues? An etiam, illis obſtinatis tacere, confidebant, nullum vivere uſpiam hominem cordatum, qui patrocinium ſuſciperet cauſæ optimæ, & facillimæ? Apparet ſanè multipliciter defectus prudentiæ, quem dicebam.

Poterant ſaltem hac occaſione, illi qui jam toties erant læſi videre ſuam obligationem: poterant præteritum ſilentium excuſare ſaltem in ſpeciem, ſimulque rupti tandem ſilentii cauſam reddere verbis S. Baſilii Epiſt. 73. *Ego ubi complures percepi contra me circumferri Epiſtolas, quibus perſtringamur, ac notemur &c. cogitavi quidem ſilendum eſſe; quod & feci (nam tertius jam annus eſt, ex quo accuſationis flagella ſuſtinere cœpi &c.) Quoniam verò multos jam ſilentium noſtrum eò rapuiſſe video, ut ex illo intentatas calumnias confirmarint, noſque non lenitatis, & patientiæ gratiâ; ſed quod ad exponendam veritatem os aperire neutiquam audeamus, eoque ſilere me arbitrentur: ob eam cauſam ſcribere conatus ſum &c. Quamquam æquo judici ad veritatis declarationem, ipſa rerum cognitio ſatis eſt: qui enim errorum*

nos inſimulant conſpicue deprehenſi ſunt hæreticorum favere parti. Item verbis S. Cypriani lib. ad Demet. *Tacere ultra non oportet, ne diffidentia eſſe incipiat, quod tacemus; & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere.*

Aſt ego animadvertens decreviſſe illos obdurare in ſilentio pluſquam Stoico, cœpi profectò cogitare ipſe de ſuſcipiendo Patrocinio Innocentiæ.

Facile etiam mihi perſuaſi, non eſſe à me valde alienum hunc laborem.

Primò quia jam pridem ſyncere amavi cum alios Ordines Religioſos, tum Societatem JESU; idque non aliam ob cauſam (Sanctè affirmo) quam ob eximias virtutes, quas in illâ ſuſpicio, & uberes fructus, & meſſem animarum, quam protulit à principio, & proferre pergit Noſtræ Sanctæ Matri Eccleſiæ.

Secundò quia officium gero Paſtoris animarum, & judico, Tractatum illum Sinnichii poſſe graviter nocere Paſtoribus mei ſimilibus; à quibus conſtat avidè illum legi, cum promittat Vindicias præceptorum Decalogi, quorum accurata notitia, & expoſitio, inprimis pertinet ad Paſtores. Judico autem poſſe illis nocere librum tribus potiſſimum ex cauſis.

Prima eſt: quia Sinnichius affingendo Opiniones laxas gravibus Auctoribus, occaſionem præbet incauto Lectori, ut vel incipiat habere pro ſententiâ probabili opinionem laxam, quam prius non habebat pro tali, & quæ reverà non eſt talis vel certè ut incipiat habere pro ſententiâ multo probabiliori, quæ prius non videbatur talis, neque revera eſt talis. Neque vero auctoritas Sinnichii damnantis opiniones illas eſt tanta, neque rationes ejus ubique tam firmæ, ut Lector debeat convinci de improbabilitate. Conſtat nimirum aliis fere ſtudiis illum triviſſe ætatem, quam Theologiæ Moralis, & argumenta, quibus utitur, multis locis eſſe valde manca.

Altera cauſa eſt: quia multas ſententias valde communes, & graviſſimorum Auctorum tam novorum, quam antiquorum, traducit ut laxitates Neotericorum, graviterque cenſurat. Hoc eſſe valde noxium judicavit Alexander VII. in Bullâ *Cum ad aures* 7. Cal. Julii 1665. graviter Expoſtulans de Cenſuris Pariſienſibus contra quaſdam *propoſitiones, pertinentes ad actionum moralium Regulam, & alias, quæ & graviſſimorum Scriptorum auctoritate, & perpetuò Catholicorum uſu nituntur.* Cenſurare hujuſmodi Propoſitiones eſt præbere occaſionem Paſtoribus ſimplicioribus, ut & ipſi eas omnes ſententias apud ſuos ſubditos prædicent eſſe falſas, & cenſurent. Unde ulterius ſine neceſſitate præbetur

Digitized by Google

tur occaſio populo multorum peccatorum gravium, dum non facilè inducitur, ut ea omittat, quibus aſſuevit ſine ſcrupulo.

Tertia cauſa eſt, quia in *Saule Exrege* continentur varia dogmata, quæ ſi ſequenda ſint, puto Paſtoribus animarum reddi ſuum munus intolerabile. Conſideretur dogma de ignorantiâ invincibili juris naturæ non excuſante à peccato, de advertentiâ malitiæ non neceſſariâ ad peccandum, aliaque his affinia, atque ex iis pullulantia, & ſtatuat ſapiens Lector, quis modus ſit relictus Paſtoribus, quo ſe, ſuoſque ſubditos poſſint dirigere, dare conſilia in rebus dubiis, & perplexis, diſponere animos ad moriendum cum bonâ ſpe, præcipuè ſi bona ſit conſequentia, quam ex doctrinâ Sinnichii ductam approbant quidam, ut irritæ ſint omnes illæ Confeſſiones Sacramentales, in quibus bonâ fide celatum eſt peccatum contra legem naturæ, quod invincibiliter ignorabatur eſſe peccatum, quando committebatur.

Perſuaſi igitur mihi, non eſſe à me alienum hunc laborem. Neque me terruit exprobratio, quam prævideo paratam, *facile eſſe cani vivo mordere leonem mortuum*, ad quam anticipatò ſic reſpondeo.

Primò. Exprobratio iſta non cadit aptè in me, qui meritò de hâc lucubratione ſuſcipiendâ non cogitavi annis ſuperioribus, cum eſſent alii, à quibus hujuſmodi opera majori jure ſperabatur.

Secundò. Ego non mordeo Leonem mortuum, ſed medeor vulneribus, quæ intulerunt ejus morſus.

Tertiò. Leo iſte cum viveret, ſenſit non paucos morſus, ſi malis ſic vocari, à Ludovico de Schildere, Franciſco Bonæ Spei, & aliis, qui etſi non egerint hoc ex profeſſo, ut de ejus unguibus vindicarent certos Theologos, ſcripſerunt tamen contra capitalia quædam dogmata *Saulis Exregis*. Non erat igitur ita formidabilis ejus rugitus, ut nemo contra auderet hiſcere: imò ipſe contra ne muſſitare quidem auditus eſt. Contempſiſſe dices. Poteram igitur ſperare, ſi viveret, me quoque contemnendum.

Quartò. Non mirum, quod non ſcripſerim vivente Sinnichio, neque ſcripturus fuiſſem, ſi viveret. Me ad ſcribendum determinarunt ſeorſum excuſæ *Vindiciæ Decalogicæ*, ad faciendos vulgo odioſos Jeſuitas accommodatiores, quam erat univerſus liber *Saulis Exregis*. Puto autem non paſſurum fuiſſe Sinnichium ipſum, ſi vixiſſet ſeorſum edi *Vindicias* illas. Non credo fuiſſe tam malum æſtimatorem ſcriptorum ſuorum, ut judicaret, hanc eſſe partem libri ſui, quæ & præ cæteris, & avulſa à cæteris meretetur lucem aſpicere. Forte & timuiſſet, ne patientia læſa fieret furor.

Quintò Teſtor ſanctè, dolere me, non vivere Sinnichium. Non deſperarem fore, ut conſideratis iis, quæ affero, oculos aperiret, videretque multis

Digitized by Google

modis ſe injurium fuiſſe optimis viris; tum verò ipſe iſtâ ætate diſpiceret, quid à ſe poſtularet lex naturæ. Si etiam haberet, quo ſe purgaret de quibuſdam, gratum id mihi fuiſſet, qui & me novi hominem errori obnoxium.

Denique. Si mortuus eſt Leo, quem mordeo, imò cujus morſibus eripio innocentes, at certe vivunt catuli iſtius Leonis, qui à nemine provocati, atquè, ut puto, præter aut contra voluntatem illius, cum viveret, ſingularibus typis mandarunt ejus morſus iniquos. Si quid habent, quo putent injuriam à me factam eſſe cuipiam, libenter id intelligam, & relarciam ſtudiosè, ſi videro ita eſſe: pergam verò tueri innocentes, ſi ipſi pergent lædere.

Multum verò aberrabit à ſcopo, ſiquis mordacitatem Sinnichianam, quàm amolior à Scriptoribus Jeſuitis, convertat in me, & triumphum ſibi paret jactis in me maledictis. Hic homo non magis ſibi metuit à maledictis, quam Hercules Xenophontius à blanditiis: quare ut aliquid vincant, debent oſtendere non eſſe à Sinnichio illatas Jeſuitis eas injurias, quas ego contendo illatas eſſe, aut me attuliſſe quidpiam à ve o alienum, quod ſit aliqua conſideratione dignum. Quod ultra hæc audere poterit animoſitas, maledicentia, impudentia, viris cordatis ridendum propinabitur.

§. II.

Modus Scriptionis, optimaque intentio Auctoris.

OPUſculum hoc eſt à me diviſum in tres ſectiones. Prima Sectione vindicantur partim à calumniis partim ab iniquis, & imperitis cenſuris Doctoris Sinnichii, Theologi Societatis Jesu.

In hac verò Sectione totâ ſic me gero, ut vix uſpiam ullam ſententiam defendam, tamquam veram: imò non niſi perrarò (ubi ſcilicet res mihi videtur nimis clara) pronuntio, aliquam ſententiam eſſe veram. Interdum fateor candidè, ſententiam quampiam Auctorum, pro quibus ſcribo, mihi non videri veram. Ne quidem contendo, nihil uſpiam illos ſcripſiſſe, quod mereatur aliquàm cenſuram: homines fuerunt, labique potuerunt.

Sed unica intentio mea eſt, amoliri injurias ab illis auctoribus.

Injuriam illis facit Doctor Sinnichius multiformem.

Primò opiniones illis affingit odioſas, quas illi ſimpliciter non tradiderunt: hoc ipſum oſtendo, ubi eſt occaſio.

Secundò illorum doctrinam facit odioſam varia truncatione, diſſimulatio-

latione, & aliis artificiis: hocquoque oſtendo, ubi eſt locus.

Tertiò ſi quàm opinionem tradiderunt, quæ ſaltem primò aſpectu videtur laxior, eam ipſe vocat ſimpliciter laxitatem talis Auctoris, aut ſic refert, ut lector ſolùm mediocriter peritus dubitare non poſſit, quin hæc ſit opinio propria illius Auctoris, etſi reverà ea ſit opinio multorum, & quidem celebrium virorùm. Meum igitur eſt oſtendere, ejuſmodi opiniones non eſſe illis proprias.

Quartò opiniones non paucas, quas conſtat nullâ dignas eſſe cenſurâ (veræ ſint, falſæve nihil jam refert) ipſe mirâ libertate cenſurat. Ibi quoque meum eſt oſtendere illas eſſe ſententias tales, & tam gravium Auctorum, ut non debuerint eſſe expoſitæ cenſuris Sinnichii.

Porrò ut hæc præſtarem, evolvi diligenter univerſum illum tractatum Sinnichii, & nihil prudens omiſi, in quo ille reprehendit Jeſuitam quempiam Si quid me imprudentem fugerit, facile, ut ſpero, ſupplebo, cùm monebor.

Contingit verò his occaſionibus à me identidem nominari calumniam, & impoſturam, vel imperitiam, aut malevolentiam Accuſatoris, aut Cenſoris, qui vel affinxerit opiniones quaſdam certis Auctoribus, vel ignoraverit illas eſſe opiniones multorum, de quibus unum alterumve potiſſimum accuſat, vel ſi ſciverit, conatus ſit unum potiſſimum vocare in invidiam. Spero igitur illa non accipienda pro conviriis, quando & res ipſa loquitur, & illum repello, qui contra tot probos, & doctos viros uſus eſt libertate tam præſumptuoſâ, & dicacitate tam indignâ, ut patuit ſuprà, & magis patebit in decurſu. De reliquo per me licet; imò cupio, ut, cum calumniam nomino, malevolentiam aut quid ſimile, intelligat Lector illa materialiter ſumpta, & excuſanda propter inadvertentiam, humanum errorem, aut præcipitantiam non ſatis deliberatam. Non videtur Sinnichius in multis occaſionibus fuiſſe tam ſcrupuloſus, quam ego ſum. Exempla ſunt multa: unum propono ex Saulis Exr.cap.91. in vind. cap.4. ubi in Franciſcum Suarez invehitur his verbis: „ Miror auſum „ fuiſſe Franciſcum Suarezium affingere Lovanienſibus errorem oppoſi„ tum . . . . ſed nec ipſe Suarez tam horrendam calumniam ex ſuâ „ perſonâ divulgare præſumpſit, ideoque interſeruit parentheſin, *ut fer*„ *tur*; nec tamen quemquàm omnino deſignavit, à quo audierit, vel a„ pud quem legerit, doceri illud Lovanii, quod prodidit. Quapropter, „ donec alius quiſpiam ipſo anterior deprehendatur illius calumnioſi rumoris Auctor, ipſe habendus fuerit Auctor, & cenſendus voluiſſe facere „ rumorem, ſub prætextu obviandi rumori: qui unus eſt è deterrimis „ calumniandi modis. Hæc ille. Nuſquam ego tam formaliter, & tantâ applica-

applicatione arguam Sinnichium de calumniâ: quantas autem occaſiones habeam ipſum de calumniâ arguendi, Lector judicabit.

Spero etiam, neminem ægrè laturum referri à me identidem quaſdam opiniones aliorum Auctorum, quæ videri poſſunt laxiores: Primò quia ego neminem accuſo de laxitate, ſed relinquo Lectori hoc judicium, niſi fortaſſe opinio ſit reprobata ab Eccleſiâ; quod fere ſoleo adnotare. Secundò quia, ut per ſe patebit Lectori, non refero opiniones illas, ut auctoritatem conciliem alicui opinioni, quæ videri poſſit laxior: ſed provideo ubique ſtudioſe, ne auctoritas illi concilietur. Tertiò quia opiniones, quas refero, pleræque notæ ſunt cuilibet perito moralis Theologiæ. Quartò quia hoc mihi neceſſarium eſt, ut oſtendam, probum quempiam, & Religioſum virum non fuiſſe hoc meritum ſpecialiter, ut ipſe potiſſimum ferre debeat nomen *Laxonis*, *Buccinatoris Laxitatum*, *Palponis*, *Cæci cæcos ducentis in foveam*, *Præcipitantis Animas in ruinam &c.* Utque vulgò ſit deteſtabilis tamquam monſtrum, cui nullum aliud terra ſimile tulerit. Quinto quia hoc itidem mihi neceſſarium eſt, ut Lectori appareat vel imperitia, vel malevolentia Accuſatoris, quam omnino expedit, imò neceſſe eſt non diſſimulari, ubi agitur de honore, & famâ optimorum, & gravium virorum.

Quare etſi triverim non modicam partem vitæ meæ in ſtudiis Theologiæ moralis ad directionem meam, & ovium mihi commiſſarum, fuerimque pridem ſatis diligens Lector librorum, qui mihi ad illum finem videbantur utiles; tamen poſtquam cogitare cœpi de concinando hoc opuſculo, putavi mihi extendendam diligentiam, latiusque excutiendos libros morales omnis generis, & non contentus ſupellectili domeſticâ librorum, curioſe inquiſivi, quid opis ferre poſſent Bibliothecæ alibi inſtructiores, & corraſi, quod videbatur poſſe ſufficere ad meum intentum.

Atque hîc etiam monendus eſt Lector, non rarò à me nominari pro aliquâ doctrinâ varios Auctores tamquam citatos ab alio Auctore. Quod attinet ad illos Auctores, ad meam fidem cenſeo pertinere ut reverà illi citentur ab eo Auctore, à quo citatos dico: non etiam ut ille Auctor rectè citaverit ſingulos: fieri poteſt ut, me inſcio, alicubi erraverit in citando: neque contrarium puto mihi eſſe præſtandum: quod facile mihi aſſentietur, quisquis novit conſuetudinem ſcriptorum moralium, quorum nemo non utitur identidem iſto modo citandi.

Plus obligationis putarem mihi ſuſcipiendum, ſi, quos nomino Auctores tanquam ab alio citatos, vellem accuſatos de Laxitate eorumve auctoritate abuti ad ſimilem accuſationem aliorum, qui id à me non ſunt meriti, quod facit identidem Sinnichius. Hujuſmodi Accuſator debet

eſſe

Digitized by Google

eſſe accuratior, quam ſimplex relator, aut narrator. Cavere etiam debet ne apicem adjungat, aut demat dictis, aut doctrinæ Auctoris, quem conſtituit Reum. Negligentia Reo injurioſa, etſi modica ſit, & facile alibi ignoſcenda, gravem meretur reprehenſionem in Accuſatore; præcipue ſi nullo impellente officio, ſed ſolâ animi libidine, odiove ad accuſandum deſcenderit. Non eſt ludendum in alieno tergo.

Secundâ Sectione inquiritur, an Sinnichio defuerit materia reformandi moralem Theologiam in libris, & Theſibus Doctorum ſuæ Academiæ Lovanienſis.

Ego vero proteſtor, non eſſe meam intentionem cenſurare uſpiam, aut reprehendere doctrinam Lovanienſium Doctorum. Sed quoniam Sinnichius putavit ſibi reformandos extraneos, inquiro, an non potuerit eodem jure (eâdemve injuriâ) ſuſcipere reformandos ſuos Domeſticos, de quibus erat æquius ipſum eſſe ſolicitum.

Unde etiam in excutiendâ doctrinâ Lovanienſium Doctorum, fere me contineo intra illas materias, in quibus Sinnichius Jeſuitas accuſavit.

Intentio igitur mea in hâc Sectione ſecundâ, hæc eſt.

Primò, ut appareat, non ſatis æquo animo Sinnichium fuiſſe invectum in Theologos Jeſuitas: ſi enim ſtudio veritatis, & Chriſtianæ Charitatis fuiſſet impulſus, certè non neglexiſſet ſuos domeſticos, in quibus invenire poterat materiam reformationis eamdem, aut valde ſimilem, & non rarò ampliorem.

Secundò, ut conſideret Lector Lovanienſi Theologiæ addictus, an omnia, quæ tam liberè cenſurat Sinnichius, ſint digna cenſurâ; an videlicet etiam illa, quæ docuerunt eadem, vel ampliora, aut ſimilia Doctores Lovanienſes.

Tertiò, ut appareat, ſi quid erat dignum reprehenſione in Auctore quopiam extraneo, non illico debuiſſe illud prædicari tamquam laxitatem, aut maculam propriam illius Auctoris, neque hoc nomine illum ſpecialiter debuiſſe haberi pro *Laxone*, *Palpone*, *Cæco* &c. Neque hoc pacto debuiſſe incauto Lectori ingenerari opinionem, hunc Authorem eſſe præ cæteris vitandum, & ſingulari notâ deteſtandum.

Quartò, ut appareat judicio Sinnichii innoxios videri Auctores Jeſuitas, quos reprehendit. Ipſe enim Saulis Exregis cap. 123. pag. 584 col. 1. in Vind. cap. 36. pag. 625. non obſcure inſinuat in Theologiâ Morali ſuorum domeſticorum non inveniri iis ſimilia, quæ reprehendit in extraneis: quia ibi cauſam reddit, cur Caramuelem delegerit præ aliis reprehendendum; *Quod cum ipſe Doctoralem lauream Lovanij ſuſceperit, proclive ſit à rerum ignaris putari, eum in Scholâ Lovanienſi eas laxitates didiciſſe.*

Utrum-

Utcumque res habeat, ſatis patet magnam opinionem habuiſſe Sinnichium de puritate doctrinæ moralis ſuorum collegarum, cum nuſpiam verbulo illam perſtringat. Si igitur oſtendero eadem fere docuiſſe Lovanienſes Doctores, quæ ille ſugillat in Ieſuitis, magnum his conciliavero teſtem innocentiæ ipſum Sinnichium.

Tertiâ Sectione pertexitur curioſa narratio de origine, & fortunâ Articulorum reprobatorum à Theologicâ Facultate Lovanienſi, quos toties oſtentat Sinnichius.

Cenſuras horum Articulorum valde magni fecit Sinnichius. Nihil etiam non egit, ut Jeſuitas exhiberet Auctores horum Articulorum: videbimus poſtea quo ſucceſſu. Imaginatus quoque ſibi eſt Saulis Exr. cap. 123. pag. 585. col. 1. in Vind. cap. 36. pag. 618. excuſum eſſe Inſulis librum Tamburini in decalogum, eo fine, ut obviaretur illis cenſuris. Videtur ergo non dubitaſſe, quin Articuli illi eſſent conflati præcipuè ex doctrinâ Jeſuitarum. Conſtat etiam, hanc eſſe communem vulgi opinionem, cui potuit præbere occaſionem Sinnichii *Saul. Exrex* 1. ſed & alia occaſionem præbuerunt, quæ exponentur in hâc Sectione ſecundâ. Denique ex iis, quæ narrabuntur in eâdem Sectione, ſatis conſtabit, cenſuram Articulorum ſaltem ſeptemdecim reprobatorum Anno 1653. adornatam eſſe ad invidiam Jeſuitarum præcipuè.

Hæc ego partim intelligens, partim ſubodoratus, fui curioſus, ut examinarem, quid eſſet de illis Articulis, quâ occaſione, & quo modo eſſent reprobati à Theologicâ Facultate Lovanienſi. Egi cum iis, à quibus aliquid lucis ſperari poterat; à quibus accepi rerum monumenta, etiam uberiora, quam ſperaveram. Ex illis contexui narrationem ſatis curioſam, ut mihi videtur.

Proteſtor verò non eſſe meam intentionem in hâc Sectione, favere illis Articulis. Valde mihi diſplicent fere omnes. Pauci quidam certo ſenſu accepti non poſſunt mihi improbari: in quo autem ſenſu illos reprobaverit Lovanienſis Schola, non ſatis mihi liquet; quare ſimpliciter non hoc ago, ut faveam illis Articulis, aut contendam, non mereri cenſuram.

Mea igitur intentio eſt, efficere primò, ut Lector, qui eſt perſuaſus, in Articulis illis reprobatam eſſe doctrinam Jeſuitarum, intelligat hoc eſſe falſum.

Secundo, ut idem Lector intelligat, magnum eſſe diſcrimen inter cenſuras Sedis Apoſtolicæ, & Scholarum Theologicarum; ſeu Authoritatem ſpectes, ſeu maturitatem conſilii, quo reprobant ut Articuli, ſeu delectum ipſorum Articulorum, qui reprobantur.

Tertio

Digitized by Google

Tertio; ut idem Lector conſtituat apud ſe, quantum videatur tribuendum cenſuris illorum Articulorum. Doctor Sinnichius illis tribuit permultum, ut apparebit ex decurſu hujus Sectionis. Ego verò opto, unamquamque rem æſtimari pro ſuo merito, & neque plus, neque minus, quantum fieri poteſt. Intereſt verò meâ non æſtimari ſupra meritum illas cenſuras: quia licet exiſtimem, nullum eſſe ex illis Articulis, quem Sinnichius ſatis oſtenderit eſſe traditum ab aliquo Ieſuitâ, fortaſſe tamen quibuſdam aliter videbitur de Articulis paucis quibuſdam: de quibus neque ego valde operosè velim negare: ut ſi quis cum Sinnichio Saulis Exr. cap. 119. pag. 545. col. 1. in Vind. cap. 32 pag. 529. contendat Articulo 25. inter 26. reprobatos à Lovanienſi Scholâ conſonam eſſe hanc Leſſii Doctrinam: *Iudicium temerarium in animo tuo reſidens non eſt peccatum, priuſquam aliquo modo advertas, vel dubites, te ex ſignis inſufficientibus judicare*, non eſt, cur me valde in hoc turbem: cenſeo enim, doctrinam illam Leſſii eſſe certam; ſi intelligatur, ut ipſe intelligit de malitiâ formali illius judicii temerarii non mere in causâ, ſed in ipſo judicio temerario. Pro hoc caſu, & quibuſdam ſimilibus meâ intereſt, cenſuras illas Lovanienſes non æſtimari ſupra meritum. Atque ex his patet, quæ, & quam juſta ſit mea intentio in hâc Sectione.

Opuſculum hoc appellavi *Stateram Saulis exregis quatenus continet Vindicias Decalogicas nuper dictas &c.* Ex hoc titulo poteſt Lector intelligere, non eſſe meam intentionem, exhibere nunc quidem Stateram *Saulis Exregis*, ſive *Vindiciarum Decalogic.* undequaque perfectam, & abſolutam: appendo in Staterâ ea ſola, quæ habet ille Tractatus injurioſa contra Theologos Societatis. Non ſum tamen alienus à concinnandâ Secundâ Parte Stateræ, ſi videro, hoc fore gratum amicis Doctoris Sinnichii.

In Secundam Partem Stateræ conferenda erunt varia. Primò ſpecimen luculentum Antilogiarum, quibus ſecum pugnat Auctor in *Saule Exrege.* Secundò Exploſio opinamentorum ſingularium, quibus diſſentit à reliquis paſſim Theologis, & quibus confidenter nixus communiſſimas Theologorum Doctrinas, atque inprimis eam, quæ eſt de uſu licito opinionis probabilis, tam faſtuoſe, & fœdè calcat. Tertiò Confutatio inaniſſimorum argumentorum, quibus illa ſua opinamenta conatur fulcire. Quartò Rejectio futilium argumentorum, quibus improbare nititur opiniones verè improbandas, & ſubſtitutio aliorum magis ſolidorum, quæ licebit, libebitque ſumere à Scriptoribus Ieſuitis Suarez, Vaſquez, Leſſio, Molina, Valentia; cæteriſque tam malè ab illo tractatis; abundant enim illis argumentis eorum libri, etiam Thomæ Tamburini, quo nemo fuit magis exoſus Sinnichio.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Formatam habes rudem ideam Secundæ Partis Stateræ. Intereà ne fraudem Lectorem quodam guſtu iſtius ſecundæ partis, viſum mihi fuit ad calcem hujus Opuſculi ſubnectere quaſdam Theſes Theologicas de Conſcientiâ defenſas Lovanij Anno 1669. contra *Saulem Exregem*. Incidi in illas Theſes finem imponens huje opuſculo; & mihi viſæ ſunt ſatis ſapidæ. Optarem verò, Auctores illarum paulò plus indulgere iſti calamo: qnod ſi facient, me ſublevabunt labore ſcribendi ſecundam partem Stateræ. Si detrectabunt facere, non deſpero de pertexendâ telâ, quam cœpi texere.

SYL-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

SYLLABUS MATERIARUM.

SECTIO PRIMA.

Vindicantur partim à Calumnijs, partim ab iniquis, & imperitis cenſuris Doctoris Sinnichij Scriptores Theologi Societatis IESU.

CAPUT. I. *Præambulum de vano prætextu, quo Sinnichius exagitandum delegit Thomam Tamburinum &c.* pag. 1
CAP. II. *De Probabilitate* 5
CAP. III. *De ignorantiâ, & inadvertentiâ.* 14
CAP. IV. *De Legibus.* 20
CAP. V. *De Præcepto fidei, Spei, & Charitatis.* 27
CAP. VI. *De Præcepto Orationis.* 32
CAP. VII. *De Præcepto Communionis, & Confeſſionis.* 36
CAP. VIII. *De præcepto colendi feſta.* 37
CAP. IX. *De Præcepto Iejunij.* 43
CAP. X. *De Præcepto Eleemoſynæ.* 51
CAP. XI. *De Suſpicione temerariâ.* 59
CAP. XII. *De Reſtrictione mentali.* 61
CAP. XIII. *De furto, & reſtitutione.* 82
CAP. XIV. *De Homicidio.* 86
CAP. XV. *De Iudice.* 96
CAP. XVI. *De Reo.* 103
CAP. XVII. *De Bello.* 109
CAP. XVIII. *De Simoniâ.* 113
CAP. XIX. *De gulâ.* 116
CAP. XX. *De Matrimonio.* 119
CAP. XXI. *De Occaſione, & Cooperatione peccati.* 122

SECTIO SECUNDA.

An Doctori Sinnichio defuerit materia reformandi moralem Theologiam in libris, & theſibus ſuæ Academiæ Lovanienſis

CAP. I. *Prætereuntur laxitates Doctoris Sinnichii circa dogmata ſanctiora, & præſtandam obedientiam, & ſubmiſſionem decretis Apoſtolicis.* 130
CAP. II. *De Probabilitate.* 131
CAP. III. *De Ignorantiâ, inadvertentiâ, impotentiâ.* 144
CAP. IV. *De Legibus.* 158

CAP.

Digitized by Google

CAP. V. *De Præcepto Charitatis.* 161
CAP. VI. *De Præcepto Orationis, & Communionis.* 167
CAP. VII. *De Præcepto eleëmoſynæ.* 169
CAP. VIII. *De Suſpicione, & Iudicio temerario.* 172
CAP. IX. *De Reſtrictione mentali.* 174
CAP. X. *De Furto, & Vſurâ.* 181
CAP. XI. *De turpi lucro.* 185
CAP. XII. *De Homicidio.* 187
CAP. XIII. *De Bello, & Gabellis.* 194
CAP. XIV. *De Simoniâ.* 196
CAP. XV. *De Gulâ, & luxuriâ.* 199

SECTIO TERTIA.

Curioſa narratio de origine, & fortunâ Articulorum reprobatorum à Facultate Theologicâ Lovanienſi, quos toties oſtentat Sinnichius.

CAP. I. *De primâ origine cenſuræ contra Articulos 17. &c.* 203
CAP. II. *De Articulis 38. cenſuratis à Facultate Theologicâ Lovanienſi.* 206
CAP. III. *An judicium Qualificatorum Romanorum de Articulis fuerit conſentiens cum judicio Facultatis Theologicæ Lovanienſis.* 209
CAP. IV. *Quare Sacra Congregatio non publicaverit cenſuras &c.* 212
CAP. V. *Quomodo factum, ut Articuli 38. imò 43. fuerint contracti ad 17. &c.* 213
CAP. VI. *De Articulis 26. ad inſtantiam, ut prætenditur, Illuſtriſſimi Gandenſis Epiſcopi Antonii Trieſt cenſuratis à Facultate Theologica Lovanienſi.* 216
CAP. VII. *Quantò moderatius, & ſapientius procedat S. Sedes in ferendis cenſuris Articulorum pertinentium ad mores, quam proceſſerit Facultas Theologica Lovanienſis.* 219
CAP. VIII. *An vel Theologica Facultas Lovanienſis ſuis cenſuris Articulorum, vel Doctor Sinnichius ſuo Saule Exrege aliquid contulerint, ut Alexand. VII. Damnaret 45. Propoſitiones.* 220
CAP. IX. *Glorioſa Hallucinationes Sinnichii contendentis Cenſuram Lovanienſis Scholæ aliquid contuliſſe ad ſuſpenſionem unius è Tomis Franciſci Amici.* 223
CAP. X. *Diſquiritur, quam multos Sinnichius invenerit Ieſuitas Auctores alicujus Articuli ex iis, quos reprobarit Facultas Theologica Lovanienſis.* 228

SECTIO

STATERA SAVLIS EX REGIS.

SECTIO PRIMA.

Vindicantur partim à calumniis, partim ab iniquis, & imperitis cenſuris Doctoris Sinnichii Scriptores Theologi Societ. Iesu.

1. NOn vereor, ne quis in decurſu hujus Sectionis excuſare Sinnichium conetur, quaſi opiniones non paucas Jeſuitarum improbet quidem, & refutet, non tamen reprehendat, ut cenſor. Nimis manifeſtum eſt legenti *Saulem* a cap. 88. uſque ad caput 123. hoc eſt legenti *Vindicias Decalogicas*, non hoc illum agere, ut moderatione Theologis uſitatâ diſputet, eaque refutet, quæ in aliis diſplicent. Centies profitetur, perſequi ſeſe *Laxitates Novorum Ethicorum*: hos *Laxones*, hos *Palpones*, hos *laxitatum Buccinatores* appellat toties, ut nulla criſi præditum eſſe oporteat, qui ſperet, opiniones quaſdam, merè ab illo refutari, neque etiam notari de laxitate perniciosâ. De hoc ipſo tamen ne cui eſſet dubium, Tractatum illum concluſit his verbis: *Ego ſane haud ægre tulerim, quin potius optarim, omnes non modo Tamburini; ſed & Caramuelis, ac reliquorum quorumvis* Laxonum exoticas sententias, *Decalogicæ præſertim Legis deluſorias; adeoque* Christianæ displicinæ severitati, Synceritatique dissentaneas, *atque à nobis* per complura hactenus capita relatas, *ac refutatas Typographicis erratis accenſeri poſſe*. Sed nos ad rem propius accedamus.

CAPVT I.

Præambulum de vano prætextu, quo Sinnichius exagitandum delegit Thomam Tamburinum variiſque ejuſdem ſuſpicionibus, & ſugillationibus in Tamburini librum Inſulis excuſum.

QUoniam præcipuas partes agit, vel potius patitur Tamburinus in *Saule*, & *Vindiciis*, quarum Stateram exhibeo, operæ pretium habebit eorum examen, quæ propoſui in titulo Capitis: quo expedito penitius ingredi licebit in calumnias, & iniquas cenſuras Sinnichii.

§. I.

Vaniſſimus prætextus, quo excuſat Sinnichius ſuam acerbitatem in Tamburinum.

2. SInnichius Saulis Exr. cap. 123. pag. 585. col. 1. in vind. cap. 36. pag. 628. finem imponens ſuo Tractatui de laxitatibus, vel potius ſuis calumniis in quoſdam Scriptores, videtur tactus fuiſſe quodam ſcrupulo, quod Tamburinum præ cæteris vexaſſet: ſaltem veritus eſt ne lectori factum diſpliceret. Commentus eſt ergo aliquid cauſæ, quo factum excuſaret. „ Cum enim, inquit, Schola Theologica Lovanienſis à diverſis Belgii Antiſtitibus poſtulata, Articulos complures laxioris doctrinæ „ ſibi exhibitas cenſuiſſet improbandos, ac per eoſdem Antiſtites à ſuis „ reſpectivè diœceſibus eliminandos; huic eliminationi ſubſequenter „ *obviari tentatum eſt* editione Tamburini, velut obice quodam: quo ni„ mirum & Antiſtitum providentia pro magna ſaltem parte fruſtraretur, & „ Scholæ Theologicæ cenſura inaniretur.

Quid ergo? An omnes illos Articulos habet liber Tamburini? Nequaquam: *Notanter*, inquit, *dixi* PRO MAGNA SALTEM PARTE: *quia non omnes*, *ſed* ALIQUOS DUMTAXAT *Articulos à Tamburino aſtrui video . . . . . Horum proinde Articulorum occaſione Belgicam iſtam Tamburini editionem Inſulis Flandriæ Anno 1660. peractam percurrere libuit.*

Sed illa *magna pars* Articulorum à Lovanienſibus Doctoribus reprobatorum in Tamburini libro, quam magna eſt? Reſpondet Sinnichius, ALIQUOS DUMTAXAT *Articulos à Tamburino aſtrui video.* Expectabam, ut verum fatear, multo plus poſt tantum hiatum. Cribrabimus verò in decurſu illos *Aliquos dumtaxat Articulos*: imo ſpes mihi eſt, illos *Aliquos Articulos*, futuros revera *Nullos Articulos*, niſi in imaginatione, & voto Doctoris Sinnichii.

3. Hoc loco præcipuè inquiro, & doceri velim, quo fundamento Sinnichius affirmet, eo fine impreſſum eſſe Inſulis Tamburini librum, *ut obviaretur eliminationi* Articulorum, *velut obice quodam*; ut etiam *Antiſtitum providentia pro magna ſaltem parte fruſtraretur*, *& Scholæ Theologicæ cenſura inaniretur.* Ego diligenter inquiſivi, quid fundamenti ſubeſſe potuerit iſti affirmationi, & nihil potui detegere. Inſulis quidem, ubi aliqua memoria extare potuiſſet hujus rei, hoc unum referre licuit; *Reſpondeo, nos hic ne divinare quidem poſſe, quod fundamentum habere poſſit Sinnichium affi*[illegible] Sed neque Sinnichius fundamenti quidquam aperuit. Neque erat, cur illi, qui curarunt imprimi librum, eſſent ſoliciti, ut obviaretur [illegible] Lovanienſibus: Quia ſi judicabant, Articulos eſſe malos; non erat cur dole-

rent,

Digitized by Google

rent, eſſe reprobatos ab illâ Scolâ; ſi judicabant eſſe bonos, non erat, cur valde percellerentur illis cenſuris.

4. His poſitis non ero temerarius, ſi vehementer ſuſpicer, Affirmationem illam Sinnichii continere judicium temerarium, cujus malitiam tam operosè exaggerat ipſe Saulis Exr. cap. 119. & cap. 120. in vind. cap. 32. & cap. 33. oſtendens *oriri ex contemptu cum faſtu, ac ſuperbiâ*. Gratiam mihi faciet, ſi quis eximat ſuſpicionem, proferendo fundamentum aliquod, quo affirmaverit ille, hoc actum eſſe impreſſione Tamburini, ut *Antiſtitum providentia fruſtraretur, & Schola Theologica cenſura inaniretur* &c.

§. II.

Cavillationes, & malæ ſuſpiciones Sinnichii circa Titulum, & dedicationem præfixam libro Tamburini.

5. SInnichius Saulis Exr. cap. 123. in Vind. cap. 36. in fine. Cum legiſſet in Epiſtolâ dedicatoriâ operis Tamburini, *Sacros Catholicæ Fidei Inquiſitores in Siciliâ, & Italiâ reddidiſſe iſtas Tamburini lucubrationes à cavillatorum maledicendi libidine ſecuras*, non potuit ſe cohibere, quin ſuſpicaretur, eum, qui illa ſuggeſſit Typographo, uſum videri regulâ Tamburini, quâ, ut prætenditur, cenſet, *Licitum eſſe inducere teſtem ad teſtandum falſum, quod teſtans quidem putet eſſe verum, ſed inducens putat eſſe falſum*. Quid de hoc ſenſerit Tamburinus, explicabo infrà. Sinnichius verò ſuſpicionis ſuæ nullam cauſam explicat. Inquiſitum quoque eſt diligenter tam ex Typographo Inſulenſi, quam ex iis, à quibus lucis aliquid ſperari hic poterat, quo fundamento ſaltem veroſimili niti poſſet illa ſuſpicio Sinnichii. Sed nihil aſſequi licuit. Quis fuerit author dedicationis Typographus ignorat: diem ſuum obiit, qui impreſſioni præerat, quem credibile eſt illius fuiſſe Auctorem, pluſque lucis allaturum, ſi viveret.

6. Cæterum mihi conſtat ex litteris Româ datis 29. Julii 1672. ab honorato viro, qui rem diligenter inquiſivit, fuiſſe omnino ab æmulis delatum Tamburini librum ad Congregationem S. Officii, cumque non ſit reprobatus uſque ad hunc diem, videtur non indiguiſſe regulâ illâ auctor epiſtolæ dedicatoriæ, ut iſta Typographo dictaret.

7. Adjungo quæ lego in Opuſculo, cui titulus, Germana doctrina Tamburini, Auctore Lucio Sanmarco cap. 18. „Ego, inquit hic Au-„ctor, juratus, hoc eſt, teſtem mei dicti Deum O. M. invocans, affirmo, „virum omni exceptione majorem, magnâque fide digniſſimum enarraſſe „mihi, ſe abhinc quinque circiter Annos Romæ ob ſua negotia commo-„rantem audiviſſe coram à graviſſimo Miniſtro Sacræ Inquiſitionis Rom.

„ ipſum eumdem Miniſtrum præſentem affuiſſe, quando ad dictam Sa-
„ cræ Inquiſitionis congregationem opus Decalogi P. Thomæ Tamburini
„ (mihi videtur addidiſſe etiam ejuſdem tria opuſcula, ſed hujus non be-
„ ne memini) fuit allatum, diligenter fuiſſe lectum, ejuſque propoſitiones,
„ quæ inſimulatæ erant, cum libris ipſis comprobatas, ac nihil inventum
„ fuiſſe, quod expurgatione, aliâve notâ dignum cenſeretur. Hæc vir ille
„ S. Inquiſitionis Miniſter, addens, aliud explicatius ſe enarrare, ob horum
„ Miniſtrorum ſolemne ſecretum, nequaquam poſſe.

Habes, Lector, R. D. Lucii Sanmarci Sacerdotis, atque (ut ſe ſcribit in fronte libri) Caltaniſſettæ in Diœceſi Agrigentinâ Vicarii F. teſtimonium juratum, quod paulo plus fidei meretur, quam tetra ſuſpicio Sinnichii, ſuprà memorata, quam debuiſſet continere intra animum ſuum, neque permittere, ut extaret poſteris legenda in Saule Exrege: eſt enim minimè decens Lovanienſem Doctorem.

8. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 123. In Vind. cap. 36. in fine, cum in titulo, quem Typographus Inſulenſis Tamburini libro præfixit, offendiſſet iſtud; *nunc primum in lucem datur*, Typographum excuſat; ſed *Is*, inquit, *qui eum ad id in ſuo programmate teſtandum induxit, conformavit ſe forſitan Tamburini aſſertioni, quâ contenditur, licitum eſſe inducere teſtem ad teſtandum falſum, quod teſtans quidem putat eſſe verum, ſed inducens ſcit eſſe falſum.* Quouſque Tamburino placuerit illa aſſertio, explicabo infrà.

Ego non dubito, quin is homo, à quo ſuſpicatur Sinnichius inductum eſſe Typographum, ut adderet illam clauſulam, ſit idem ille, à quo putat eâdem pag. 587. col. 2. ſuggeſtam eſſe Typographo epiſtolam dedicatoriam. Atqui in ipſo principio epiſtolæ commendantur lucubrationes illæ Tamburini hoc nomine, quod totâ *Siciliâ, & Italiâ celebratiſſimæ* ſint: quo ſignificat manifeſtè, editas illas prius fuiſſe. Neque erat ſanè cur Tamburini libro ambiret iſtam clauſulam, qui librum commendandum ſuſceperat, erat potius cur odiſſet, ut per ſe patet.

9. Conſultus etiam nuper Typographus Inſulenſis ſuper iſtâ clauſulâ Tituli, reſpondit, *Præpoſuiſſe ſe impreſſioni ſuæ Titulum, plane prout eum reperit in aliâ, & priore impreſſione; idque ſimpliciter, & ſine ullâ ulteriori reflexione.* Denique ſapienti Lectori per ſe apparet temeritas ſuſpicionis, quam putavit Sinnichius dignam eſſe, quæ toti mundo palam fieret.

§. III.

Quanto jure Sinnichius reprehendat Rainaudum Tamburini approbatorem potius quàm ſe, & ſuos.

10. SInnichius Saul. Exr. cap. 122. in Vind. cap. 35. in principio Teophilum Rainaudum reprehendit, quod approbaverit librum Tamburini, ac *proinde omnes laxitates eo opere comprehenſas videatur quodammodo facere ſuas.*

Sic eſt: approbavit Rainaudus librum Tamburini: oſtenditque hoc pacto, ſibi diſplicituras cenſuras, quas tam faſtidioſè, & præcipitanter plurimas effutiit Sinnichius: oſtenderunt quoque alii Approbatores, atque inprimis vir doctiſſimus Ægidius de Melo Ordinis Minorum de Obſervantiâ, qui Tamburini librum Veneriis impreſſum approbavit ampliſſimè his verbis: „ Legendo & lecta perpendendo animo ſublevabar, admirans „ Opuſculum paucis plurima continens, quod nedum difficilia extricata, „ verum inutilibus rejectis utilia quæque alias diſperſa, affluenter, &, „ quod plurimi valet, tutè collecta refert. Unde quæ corrigerem mini„ mè, at quæ diſcerem, utique excepi. Quapropter veluti opus ſolerter ela„ boratum, in nullo offendens, pluribus favens, omnibus conducens, & „ quod ſuum ſapit Auctorem, dignum, ut lucem obtineat, judico, deſidero, „ & efflagito. Datum in noſtro S. Bonaventuræ Venetiarum Cœnobio „ ultimâ Auguſti 1653.

11. Si peccarunt hi, aliique Approbatores Tamburini, & opiniones omnes libro comprehenſas fecerunt ſuas, gravius peccavit Doctor Sinnichius die 24. Decembris 1641. unà cum ſuis Collegis approbans ſolemni decreto, cujus extant exemplaria typis impreſſa, Auguſtinum Cornelii Janſenii, tamquam *in capitalibus dogmatibus S. Auguſtino conformem.*

CAPVT II.

De Probabilitate.

12. QUod bene vertat morali Theologiæ, morumque diſciplinæ Chriſtianæ, Doctor Sinnichius Saulis Exr. cap. 94. pag. 357. col. 1. in Vind. cap. 7. pag. 67. reformationem orditur à Theologiâ Thomæ Tamburini, & quidem in materiâ probabilitatis. Præfatus erat *Neotericorum quorundam Ethicen nimio ſucceſſu in Eccleſiâ adoleſcere, ſeſe diffundere, ſuffragatorum multitudine crebreſcere, eorundemque claritudine celebreſcere*: ipſe veri-

tus nominum claritatem, arripuit ex toto numero Tamburinum; cujus doctrinam de probabilitate reprehenderet, videns non placiturum ſe vulgo, ſi nominatim argueret tam multos, & tam claros viros: fecit tamen illorum mentionem genericam, quod rarò ſolet alibi, quoniam non ſperabat omnino clam fore alios permultos de probabilitate eadem docuiſſe, quæ Tamburinus docuit. Meum erit paulò diſtinctius explicare, quinam illi ſint, quorum *claritudine* jam pridem ante Tamburinum celebris facta ſit doctrina de probabilitate, ut appareat, quanto jure Tamburinus potiſſimum diſplicuerit huic Cenſori.

§. I.

Quam præproperè Sinnichius cenſuræ ſuæ ſubjecerit communiſſimam doctrinam de licito uſu opinionis probabilis, atque de eâ Tamburinum potiſſimum reprehenderit.

13. SInnichius loco proximè citato Tamburinum reprehendit quod lib. 1. cap. 3. §.3. n.3. docuerit, eum, *qui aliquid operatur motus ex opinione probabili, bene operari, & ſine peccato.*

Hactenus non vereor, ne Tamburino lector offendatur: notum eſt lippis & tonſoribus, hanc eſſe ſententiam omnium, exceptis pauciſſimis: exceptis, inquam, pauciſſimis in Scholâ: quid enim domi ſentiant, & in praxi, Deus novit, & judicabit.

Sinnichius ibidem continuat reprehenſionem Tamburini, quod docuerit, eundem *bene operari, & ſine peccato, etiam opinione probabiliore relictâ.*

De hoc ſaltem non eſt dubium, ſi opinio minus probabilis ſit magis tuta, quod non rarò contingit; non eſt ergo his immorandum.

14. Sinnichius ibidem videri poteſt tandem dicere aliquid, Tamburinum reprehendens, quod dicat loco citato licere ſequi opinionem probabilem, *etiam omiſsâ tutiore.*

Doctori Sinnichius præfatus eſt quidem, doctrinam de probabilitatum uſu licito increbuiſſe per Eccleſiam: ſed neſcio, an ſatis ſignanter animadverterit, increbuiſſe doctrinam cum hac additione; *Etiam omiſsâ tutiore.* Videat ergo lector, contra quos Doctores ſeſe erexerit ille Cenſor. *Opinio tutior* alia eſt *probabilior*, alia *minus probabilis.*

Licere ſequi opinionem probabilem, *omiſsâ tutiore*, ſaltem quæ eſt minus probabilis, ſenſerunt Illi Pontifices, qui in ipſo exercitio numeris Pontificii ſecuti ſunt opinionem probabilem, *omiſsâ tutiore*, ſaltem quæ erat *minus probabilis.* Hoc fecerunt illi Pontifices, qui diſpenſarunt in voto ſolemni caſtitatis; nimirum Alexander III. Honorius II. Cœleſtinus III.

Cle-

Clemens II. & alii : quia hi ſecuti ſunt opinionem, quod liceat diſpenſare : omiſsâ opinione,quod illud non liceat. Eſt autem ſolum probabile, quod illud liceat : quia ſolum eſt probabile , quod Pontifex habeat poteſtatem diſpenſandi in illo voto. Nihil eſt autem cur ſit certius , licuiſſe illis diſpenſare,quam potuiſſe illos diſpenſare : hoc autem ſolum eſſe probabile patet, quia docet D.Thomas, & plures Thomiſtæ , quod Pontifex non poſſit diſpenſare in tali voto : quam opinionem Divi Thomæ patet eſſe tutiorem ; quia hanc ſequendo non exponitur Pontifex periculo uſurpandi poteſtatem , quam non habet , neque exponitur periculo Monachus peccandi contra votum caſtitatis.

15. Similiter licere ſequi opinionem probabilem omiſsâ tutiore, ſaltem quæ eſt minus probabilis ſenſerunt illi Pontifices, qui diſpenſarunt in Matrimonio rato , quod fecerunt Gregor. VII. Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. Gregorius XIII. Pius IV. Pius V. Solum erat probabile,quod liceret diſpenſare , cum ſolum eſſet probabile, quod poſſent diſpenſare,ut fatetur Sinnichius Saul. Exr.cap.17. pag.227.col.2. Et patet ; quia opinio negans poteſtatem illam , eſt graviſſimorum Doctorum , atque inprimis Adriani VI. qui ea non obſtante diſpenſavit in matrimonio rato , *ſuccumbens improbis precibus* ; ut ex Soto refert Sinnichius loco citato. Affirmat Sanchez l.2. de Matrim. d. 14. n. 1. opinionem negantium illam poteſtatem *eſſe probabiliſsimam , & illam tenere communiter Theologos* : pro quâ citat Paludanum,Victoriam,Petrum Sotum, Martinum,& Bartholomæum Ledeſmam,Tabienam,Scotum,& Scotiſtas,alioſque. At verò Dom. Sotus l 7. de Juſt.q.2.a.5.& in 4.diſt.27.q.1.a.4. Eam habuit ita certam , ut contrariam opinionem dixerit *nullam probabilitatis effigiem præſentare.* Atqui certum rurſus eſt , quod magis tutum fuiſſet non diſpenſare in Matrimonio rato : quia certum erat,quod negatio talis diſpenſationis non eſſet contra aliquam legem.

Erexit ergo ſe contra tot Pontifices Doctor Sinnichius Tamburinum reprehendens,quod docuerit licere ſequi ſententiam probabilem , omiſſa tutiore ſaltem quæ eſt minus probabilis. Pro illâ ſententiâ citare Auctores eſſet res infinita : quare pergamus ad alteram partem de *omiſsione opinionis tutioris, & probabilioris* : In quâ videtur eſſe major difficultas.

16. Licere ſequi opinionem probabilem *omiſsâ tutiore* , & probabiliore,eſt communiſſima graviſſimorum Doctorum ſententia,quam (ut à generalioribus incipiam) Barthol. de Ledeſma de Sacramento Pœnitentiæ d.14. concl. 5. dicit eſſe VERISSIMAM , *& probari ex* USU UNIVERSALI OMNIUM, *qui ſic habent in practica.* Sententiam eandem Stephanus Spinola opuſculo *de libera , & prudenti agibilium electione* in ipsâ Præfatione appellare non dubitat *recentiorum omnium calculo , & univerſali pene populorum uſu confirmatam* in-

De ſententiâ eâdem loquens Petrus Morinus lib. 8. de pœnit. cap. 4. approbanſque doctrinam Franciſci Suarez ait Sibi *videri* CERTUM, ET EVIDENS, *aliquando probabilia certis præferri poſſe.* Hieron. Garcias in ſumma tract. 1. diffic. 5. dub. 2. n. 5. ait, *tam communem, & ſecuram eſſe iſtam concluſionem, ut ſolus Machado pro ſe alleget* 45. *recentes Auctores.* Paſqualigus Theatinus deciſione 5. *Hanc ſententiam,* inquit, CERTISSIMAM PUTO, *& exiſtimo in materiá morali* POSSE DEMONSTRARI. Citat vero Auctores 45.

17. Angelus Boſſius Clericus Regularis Bernabita Tomo moral. variorum in appendice ad tit. 1. ſic loquitur: „ Non ſolum hodierni temporis Scriptores Theologi, Summiſtæ, Canoniſtæ, & Juriſperiti, & omnes publici Profeſſores Theologiæ moralis præfatam ſententiam docent in publicis Academiis, & privatis Scholis: ſed & apud omnes Confeſſarios ſæculares, & Regulares, apudque quoſcumque doctos, & ſimul probos, in toto orbe Chriſtiano nihil magis decantatum, quam licitum eſſe in operando ſequi quamcumque opinionem probabilem, dummodo ſit probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno inſequendo, ſed de ſola honeſtate operationis. Hæc exceptio eſt communiſſima. Plura hujus generis qui deſiderat, adeat Stephani de Champs Quæſtionem facti, cap. 8. ex iis, quæ diſſeruerat ſic in unum colligit: *Ex Gallia Tſambertus exclamat:* Ita communiter Doctores. *Ex Hiſpania verò Ludovicus Monteſinus, & Petrus Navarra & Gregorius Martinez.* Hæc ſententia eſt communis in Scholis, hæc eſt communior Theologorum ſententia, hæc eſt ſententia communis. *Ex Italia Martinus Bonacina Epiſcopus, Iacobus Raggius, & Angelus Boſsius:* ita communiter *Theologi, iique* ut ita dicam infiniti: *ita* omnes Publici Profeſſores Theologiæ. *Denique ex Germania Ioannes Caramuel;* illa ſententia hodie eſt omnium.

18. Erat verò communis hæc ſententia, antequam Tamburinus, imò antequam ullus Jeſuita eam ſcripto tradidiſſet. Certè Vaſquez, qui inter primos Scriptores Jeſuitas eam tradidit, non dubitavit affirmare 1. 2. d. 62. cap. 4. n. 14. *Illam in Scholis multò ante communem fuiſſe*: & meritò: legerat enim Michaelem Salonium Tomo 1. de Juſtit. q. 63. a. 2. controv. 2. concluſ. 4. in fine atteſtantem, *Multos, ac graviſſimos Doctores ita ſentire, ac maximè ex Diſcipulis D. Thomæ:* unde & ſic argumentatur Salonius: *Eligenda eſt opinio, ut volunt, probabilior: ſed quod liceat amplecti probabilem* (omiſsâ probabiliori) *eſt opinio probabilior, cum habeat plures, ac graviſſimos Auctores, & firmiora fundamenta, quam oppoſita, ut ex progreſſu hujus diſputationis conſtat: ergo &c.*

19. Jeſuitis præiverunt in hâc doctrinâ celeberrimi Thomiſtæ: Bartholomæus Medina 1. 2. q. 19. a. 6. concluſ. 3. §. *certe argumenta,* Ludovicus Lopez p. 1. Inſtructorii c. 120. concl. 3. loquens de Confeſſario abſolvente

vente juxta opinionem minus probabilem pœnitentis. Franciſcus Victoria in ſummâ de Confeſſione n. 177. loquens de eodem Confeſſario, & nihil diſtinguens, an opinio ſit magis, vel minus probabilis. Thomas Mercado de Contract.lib.2.cap.5. loquens diſtinctius: Dom. Sotus in 4. d.18. q.2.a.5.ad.5.§. *unde ad argumentum*, loquens item de Confeſſario, & omiſſione opinionis probabilioris & magis tutæ. Etiam lib.6. de Juſt.q.1. a.6. in fine generaliter, & nullo diſcrimine magis, vel minus probabilis opinionis docet, *conſcientiam te habere in tuto*, utramlibet ſi ſequaris opinionum probabilium inter graves Doctores: Dom. Banez citatus à ſui inſtituti ſcriptore Barnaba Gallego infrà citando: Bartholomæus de Ledeſma in Summario tract. de Pœnit.diffic.14. concl.5.

Ne Sylveſtrum quidem, & Cajetanum contraria docuiſſe contendit inſignis Thomiſta Acatius de Velaſco Tom. 2. verbo *opinion probable* reſol. 361.

20. Sed neque poſteriores Thomiſtæ, illam ſententiam amplectendo, ſecuti ſunt Jeſuitas: non habent illi iſtum morem: ſubſiſtunt enim per ſe. Nominabo quoſdam illuſtriores. Sic docuerunt Petrus Ledeſma (quem fortè debui antiquioribus accenſere) in Sum. p.2 .tract. 8. cap.22. ante 12. concl. addens, *hanc ſententiam tenere Medinam, & Orellanam, & multos alios Doctores, ac præcipuè Diſcipulos S. Thomæ*: Vincentius Candidus S. Palatii Magiſter Tomo 1. diſquiſ. 3. de Abſol. art. 20. num. 3. Joannes Ildephonſus Baptiſta 1.2.diſp.208. dub.6. fragm.1. loquens non tantum, de omiſſione *probabilioris*, ſed etiam *longè probabilioris*. Citat Auctores triginta, & amplius. Barnabas Gallego tract. de Conſcient. ubi de conſcientiâ probabili dub.1. citans Dom. Banez, Lorcam, Monteſinos, Serram, alioſque omnis generis, atque omnes numero quadraginta ſeptem, ſi rectè numeravi. Acatius de Velaſco Epiſcopus Orioleniſis loco ſuprà citato. Petrus de Tapia, Archiepiſcopus Hiſpalenſis Caten. Mor. lib. 1. quæſt. 8. a. 12. omitto ceteros.

Volumuſne pergere ad alios Doctores omnium Ordinum, Nationum, & Academiarum? Incipit me tædere: & jam ſæpius res acta eſt. Conſideret Lector univerſalitatem doctrinæ ex iis, quæ generalius præmiſi n. 16. dabitur tamen infrà locus Doctoribus Lovanienſibus, tenentibus hanc ſententiam Mercero, Wiggero, Maldero aliiſque.

21. Si jam Doctor Sinnichius ſolum voluiſſet improbare doctrinam tam multorum, & tam gravium virorum, tolerabile hoc eſſet; quiſque abundat in ſuo ſenſu: ſed quæ eſt illa fiducia, quâ homo, qui aliis fere ſtudiis, quam Theologiæ moralis, vitam trivit, ut conſtat, proſilit in medium, ut in uno Tamburino Doctores per univerſam Eccleſiam prope innumerabiles arguat pernicioſæ laxitatis, doctrinamque illorum appellet *Libertinis*

Digitized by Google

ſummopere arridentem, priſco Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigori non tam inſultantem, quam inſidiantem &c.

§. II.

An Sinnichius meritò reprehenderit Tamburinum ob definitionem opinionis probabilis.

22. SInnichius Saulis Exr. cap.94.pag.357.col.1.in vind. c 7.pag.67. Tamburinum reprehendit, quod l.1. c.3. §.3. n.1. *opinionem probabilem* definiverit *Aſſenſum intellectus de aliquâ re, qui nitatur ratione, vel auctoritate alicujus momenti: modò pro parte oppoſitâ nihil appareat convincens, quamvis adſit nonnulla ejuſdem partis oppoſitæ formido.*

Ex hiſce infert Sinnichius: *Iuxta hunc igitur Auctorem ad probabilitatem ſufficit ratio, vel auctoritas alicujus momenti:* HOC EST *alicujus ponderis, quantumlibet exilis; modò pro parte oppoſitâ nihil appareat convincens,* HOC EST *nihil appareat ita peremptorium, ut nullâ ſolutione poſſit eladi, nedum elidi.*

Illa interjectio, HOC EST, quæ bis adhibetur à Cenſore, non placet. Primo loco adhibetur populariter, ſive ut populo imponatur; quaſi Tamburino ad opinionem probabilem ſufficeret ratio *quantumlibet exilis.* Qui plus aliquid ſapiunt, quam populus; illi has voces *quantumlibet exilis*, ſic intelligent, uti ſi quis dicat; gigas quantumlibet exilis, modo ſit gigas. Secundo loco interjectio; HOC EST, continet interpretationem malignam, & falſam: non enim eſt idem, *pro oppoſitâ parte nihil apparere convincens*, & *nihil apparere tam peremptorium, ut non poſſit eludi.* Eluſiones non obſunt, quo minus aliquid ſit convincens.

23. Omiſſis ergo cavillationibus, definitio Tamburini eſt communiſſima Theologorum totidem fere verbis tradita ab Hyacintho Donato inſigni Thomiſta tom.4. tract.12. q.37. n. 5. Thoma Sanchez lib 1. in Dec. c.9. n.6. paſſimque ab aliis recepta quoad rem, Suarez 1. 2. tract.3. d.12. ſect.5. Vericelli tom 1.tract 2.q 3. Machado tom.1. diſcurſ. pract de prob. opin.a.2. §.1. Franciſc Bonæ Spei Apologem. retorto dub. 7. præſupp. 4. n.44. Guilielmo Herinx de Actib. hum. d.4. q.3. n 22. Tantum animadverte *rationem alicujus momenti* idem eſſe, ac *rationem alicujus firmitatis*, ſeu *aliquam rationem firmam*; quod nemo negabit, niſi qui ſtatuerit per fas, & nefas cenſurare. His non eſt immorandum.

§. III.

§. III.

Cavillatio Sinnichii in doctrinâ Tamburini de opinione probabili unius Doctoris, certis conditionibus affectâ.

24. SInnichius Saulis Exr. pag. 357. col. 2. in Vind. cap. 7. pag. 68. Tamburinum ſugillat, quod dixerit ibidem n.4. & 5. *Auctoritatem unius Doctoris ſufficere ad probabilem opinionem conſtituendam, quando idem eſt doctus, rem ex profeſſo tractat,* FIRMAMQUE RATIONEM PRO SE HABET, *nec apparet contra ipſum aliquid convincens.*

Hic Sinnichius ſubtilizat, exagitans has voces, *Firmamque rationem pro ſe habet,* dicitque, Auctorem confudiſſe probabilitatem extrinſecam cum intrinſecâ· Non confudit: ſciebat nimirum probabilitatem ſibi extrinſecam, eſſe intrinſecam alicui alteri: & propterea, ut liceat ſequi opinionem unius Doctoris, præſcripſit, ut examinetur ratio, quâ ille nititur, judiceturque, an illa ſit firma, & digna Doctore, etiamſi alioqui nobis non perſuadeat, an verò futilis, & inanis. Quid confuſionis hîc vidit Doctor Sinnichius?

Credo illi diſplicuiſſe etiam laxitatem Tamburini iſta docentis. Debebat verò non diſplicere moderatio reſtringentis aliorum doctrinam tot limitationibus.

25. Poſſe ſufficere unius Doctoris auctoritatem ad conſtituendam opinionem, quam liceat ſequi, docet Vericelli tom. 1. quæſt. moral. tract. 2. ſingularium q. 5. citans pro hâc ſententiâ auctores viginti quatuor, atque inter hos, Sylveſtrum, Angelum, Vaſquez, Sanchez, Villalobos, Clavem Regiam, Molfeſium, Paſqualigum, Rolandum &c. At verò Acatius de Velaſco Tom. 2. reſol. moral. v. *opinio.* reſol. 316. ait *Multós Doctores abſolutè, & ſine exceptione ullâ defendere, quod unus ſolus Doctor, qui impreſſerit, ſufficiat ad faciendam opinionem probabilem, modò talis opinio non ſit abrogata per aliquam legem, vel canonem, neque contineat aliquem errorem, neque notata ſit per Superiores, neque Doctor patiatur notam in bono nomine.* Tandem verò *Et ego,* inquit, *idem ſentio cum Sylveſtro, & aliis.* Hyacinthus Donatus Tom 4. additionum tract. 12. q. 37. idem docet, ſi Doctor ſit *pius, probus, doctus, qui rem ex profeſſo diſcuſſerit*: contendit huic ſententiæ favere D. Thomam. Thomas Hurtadus Reſol. moral. tract. 4. cap. 8. n. 911. ſimpliciter affirmat, *unum Doctorem claſsicum ſufficere ad conſtituendam opinionem probabilem,* citat Baldellum, Vaſquez, Martinez, Monteſinos, Bonacinam, Reginaldum, Curiel, Araxum, Suarez, addens; *Et innumeri, quos citat, & ſequitur Paſqualigus deciſ.* 360. Iterum hæc docet Hurtadus in Appendice ad Tract. 10. c. 3. n. 33. cita-

Digitized by Google

Magiſtrum à S. Thoma, Pontium, Torrez, Sylvium, Malderum, alioſque. Accedit Rocafful in praxi Tom. 2. tract. de Conſc. l. 3. c. 2. n. 20. ſine reſtrictione affirmans, *Quod, ſi liber ſit alicujus Doctoris Iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ*: quæ propoſitio inter damnatas ab Alex. VII. eſt vigeſima ſeptima, debuiſſetque reprehendi à Doctore Sinnichio; potius quam doctrina Tamburini, tam ſolicitis limitationibus utentis: inter quas præcipui eſt momenti, ut examinetur, an Doctor *firmam rationem pro ſe habeat*, quam cautionem pauci adhibent ex iis, quos citavi.

§. IV.

Elevatur alia accuſatio Tamburini.

26. Sinnichius Saulis Exr. cap. 94. pag. 358. col. 1. in Vind. cap. 7. pag. 68. Tamburinum accuſat, quod docuerit lib. 1. c. 3. §. 3. n. 8. eſſe ſatis, *conſtare probabiliter opinionem eſſe probabilem*, ut eam ſequi liceat.

Tamburinus iſto loco non alia conditione iſtud affirmat, quam ut conſequenter formetur aliud judicium moraliter certum: *Ego hîc & nunc prudenter operor* &c. Putat ipſe, illud judicium probabile habere ſatis multum momenti, ut ex eo confici poſſit illud dictamen practicum moraliter certum: ſi in hoc erravit: non videtur in praxi poſſe eſſe noxius iſte error. Unuſquiſque enim in praxi ipsâ experietur, an ex judicio illo probabili conficiat re ipsâ judicium iſtud practicum moraliter certum, ſeu liberum formidine: ſi id ipſe conficere non poſſit; jam intelligit, etiam judicio Tamburini, non licere ſibi progredi ad praxim, vel ſi progrediatur, judicio Tamburini condemnari. Quod ſi reverà conſideratis maturè momentis rerum, experiatur, ſe habere judicium illud practicum, moraliter ſibi certum; *Ego hîc & nunc prudenter operor*; erravit fortaſſe in principiis, quibus eſt uſus: ceterum in actione ipsâ non peccat formaliter. Mihi ex alio capite doctrina illa Tamburini, & ipſius quæſtionis tractatio videtur eſſe inanis (in quâ tamen ille alios Theologos eſt imitatus) ſed diſputare non lubet.

27. Mirum eſt Doctorem Sinnichium, ſi tantus erat zelus reformandi mores, & moralem Theologiam, non eos potius Theologos reprehendiſſe, qui docuerunt, ultra probabilem, & formidoloſam opinionem de honeſtate actionis, non alio eſſe opus judicio ſaltem moraliter certo de honeſtate Actionis hîc & nunc, quod omnino requiri à Tamburino, ut non peccetur formaliter, oſtendunt ea ipſa verba citato n. 8. quæ reprehendit Sinnichius.

Theolo-

Digitized by Google

Theologos negantes requiri dictamen ultimum moraliter certum, ut non peccetur formaliter, longum eſſet recenſere: ſic ſenſit Vericelli Tom. 1. quæſt. Tract. 2. q. 11. à num. 2. Petrus de Tapia in Catena moralium lib. 1. q. 8. a. 12. Anton. Perez Certamine 10. cap. 2. Baldellus tom. 1. l. 4. d. 10. n. 1. Vaſquez 1. 2. d. 62. cap. 9. Etiam D. Thomam, ubi videtur adverſari, Bartholomæus Medina 1. 2. q. 19. a. 6. §. *ſi quis agit*, intelligit non de eo, qui probabiliter, & cum formidine judicat, ſed de eo, qui dubitat &c. Sed horum & his ſimilium non erat curioſus Doctor Sinnichius: perſequendus erat Tamburinus, quia verbulum miſcuerat de probabilitate probabilitatis, etſi denique diſertè requirat judicium practicum, moraliter certum &c.

§. V.

Quo jure Sinnichius id omne habeat pro abſolutè aſſerto, quod Tamburinus, aliive aſſeruerunt eſſe probabile.

28. SInnichius locis permultis, ut in decurſu apparebit, perinde accipit dicta Tamburini, ſive is dixerit, opinionem quampiam eſſe probabilem (etſi contrà opinetur) ſive dixerit eſſe veram: idque quia Tamburinus l. 1. c. 3. §. 3. n. 3. dixit, eum, *qui aliquid operatur, motus ex opinione probabili, bene operari, & ſine peccato &c.* Oſtendo iniquum eſſe Sinnichium hoc nomine in Tamburinum.

29. Primò rem declaro exemplo. Probabilis eſt ſententia affirmantium in Sacramento Pœnitentiæ confitendam eſſe circumſtantiam, ex quâ Sacerdoti innoteſcet complex peccati: eſt itidem probabilis ſententia id negans. Quid ſenſerit Sinnichius neſcio: cogitemus faviſſe illum præcepto charitatis, adeoque negaſſe obligationem illam. Attamen & ſententiam affirmantium obligationem, debuit exiſtimaſſe probabilem, tutamque in praxi: neque enim ſi quis vir ſapiens perſuaſus de obligatione illâ, Sinnichio eſſet confeſſus circumſtantiam complicis ipſe judicaſſet, illum peccare, & abſolutione eſſe indignum. Anne ergo nos Sinnichium, qui negaſſe ponitur obligationem illam, judicabimus etiam affirmaſſe obligationem illam, quia ſententiam affirmantium obligationem judicaverit eſſe probabilem, & in praxi tutam? Nemo ſapiens judicabit. Neque diſpar eſt ratio in caſibus cæteris: utcumque ſeſe habeat ſententia affirmantium generaliter, verè probabilem opinionem eſſe in praxi tutam: de cujus ſententiæ veritate hoc loco diſputare nihil attinet.

30. Secundò patet quoque univerſè, plus eum affirmare, qui ait abſolutè, Miſſam, exempli causâ, omitti poſſe die feſto venationis causâ, quam

qui id negat, ſimulque ait probabilem. eſſe opinionem affirmantium, atque in praxi tutam: ille directè affirmat de re in ſe ſpectatâ; hic de re, ut ſubſtat probabili opinioni, iiſque incommodis, quæ universè ſecutura eſſent, niſi liceret praxim conformare opinioni, quæ verè eſt probabilis. Intereſt etiam Lectoris, intereſt Judicis, intereſt Conſiliarii &c. ſcire, an abſolutè affirmarit Auctor, an ſolum tamquam probabile, ut collatis in utramque partem aliorum auctoritatibus, ſtatuat, ubi minus ſit periculi aberrandi, atque ubi major ſit ſecuritas vitandi peccatum etiam materiale, de quo ſolent eſſe ſoliciti homines boni, etiam illi, qui cenſent, ad formandam conſcientiam, & vitandum peccatum formale, ſufficere probabilitatem ſententiæ.

Plus etiam (quoniam nullos lectores à ſuis libris arcent ſcriptores) illorum intereſt hæc diſtingui, quibus perſuaſum eſt, non ſufficere probabilitatem, ut formari poſſit dictamen conſcientiæ, & practicum judicium, malitiam excludens formalem; quique adeò ipſi dictamen conſcientiæ ex eâ formare non poſſunt, quod inprimis perſuaſum ſolet eſſe, & meritò, Judicibus ex officio ſententiam ferentibus.

31. Tertiò fideliterne is referret Auctoris ſententiam, qui diceret, eum affirmaſſe, ut certum, quod affirmaſſet ſubtimidè? Nihilo fidelius is refert, qui dicit, abſolutè affirmaſſe, quod non niſi ut probabile affirmavit: qui mos Sinnichio eſt ſatis familiaris, præcipuè ubi ſuus illum fert impetus in Tamburinum.

CAPUT III.

De ignorantiâ, & inadvertentiâ.

32. OMnis opinio Doctori Sinnichio eſt *ignorationis Symptoma, monſtrum*, vel *monſtro æquivalens*, adeoque *debile fulcrum, ſuper quo Novelli laxitatum Patroni fundant rectè agendi ſecuritatem* (videatur Saulis Exr. cap. 97. Vind. cap. 10.) Etenim ignorantia quidem juris naturæ nulla excuſat à culpâ, vel quod nulla detur invincibilis, vel quod, ſi detur, culpâ non vacet.

Non eſt mihi animus diſputare: licebit hoc in 2 parte Stateræ. Oſtendam etiam infrà, Sinnichium liberrimis definitionibus, ac cenſuris in hâc materiâ turpiter proſtituiſſe communiſſimam doctrinam Lovanienſium Doctorum, Doctoreſque ipſos Lovanienſes gravium criminum reos conſtituiſſe. Hoc loco occurrendum eſt ejus præcipitantiæ partim in citando Gabriele Vaſquez, partim in ſugillando Leſſio, & calumniando Valentia.

§. I.

Abuſus eſt Sinnichius auctoritate Gabrielis Vaſquez ad ſtabiliendum dogma ſuum de peccatis ignorantiæ.

33. ABuſus eſt, inquam, partim imponendo Gabrieli Vaſquez, partim nimium credendo. Non placet mihi Sinnichius, etiam dum honorare videtur hoc genus Scriptorum: non honorabit; niſi honore malè ipſis ceſſuro. Sicubi etiam erraverint citantes auctorem quempiam contra ſe, aut ſuos, pleniſſimam illis fidem adhibet Cenſor, & lucro ſuo accenſet, nihil ſolicitus examinare, quam rectè citarint. Ego illos defendo contra calumnias, & iniquas cenſuras Sinnichii: nuſquam verò ipſos erraſſe, non contendo; imò oſtendo identidem erraſſe. Sed rem agamus.

Sinnichius Saulis Exr. cap. 96. in Vind. cap. 9. in fine abutitur auctoritate Gabrielis Vaſquez, ut non paucis Scriptoribus attribuat ſententiam, quâ docent quidam, non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ. *Pro eâdem*, inquit, *ſententiâ, quatenus ſaltim negat ignorantiam juris naturalis excuſare à culpâ; allegari poſſunt plures alii Scholaſtici, qui vel generaliter negant, dari ignorantiam invincibilem juris divini, ſub quo comprehenditur jus naturale, vel ſpecialiter id ipſum negant de jure naturali . . . . Tales magno numero recenſentur à Vaſquezio 1.2. d.120. cap.1. & d.122. cap. 1. nominatim Albertus Magnus, Alex. Alenſis, Bonaventura, Guilielmus Pariſienſis, Guilielmus Antiſsid, Durandus, Gabriel, Gerſon, Adrianus.*

34. Nimis amplè loquitur, cum dicit, Vaſquezium citare illos omnes, tamquam *vel generaliter negent dari ignorantiam invincibilem juris divini, vel ſpecialiter id ipſum negent de jure naturali.* Vaſquez, cùm citaſſet illos Auctores loco citato, ſic mox ſubdit: *Ex his tamen Doctoribus Alexander, Bonaventura, Gabriel, & Adrianus locuti ſolum videntur de ignorantiâ fidei circa Myſteria, ſine quibus ſalus non contingit alicui.* Hæc non erant celanda: continent enim inſignem reſtrictionem. Sed neque cetera iſto loco credi velim Gabrieli Vaſquez.

Infeliciter citatus eſt Albertus Magnus in 2. diſt. 22. a. 10. quia ibi non ſimpliciter docuit, nullam dari ignorantiam invincibilem juris divini, aut naturalis: ſic ibi loquitur: *Iuris autem* ignorantia *eſt duplex: quia quoddam eſt univerſale, quod omnibus imponitur ad ſciendum, & quoddam eſt particulare, quod non ſcitur, niſi per ſtudium: & puto quod prima eſt craſſa, & ſupina, non excuſans. Secunda autem excuſat, vel à tanto, vel à toto, ſi eſt caſus multum difficilis.*

35. Nihilo felicius citatus eſt Alexander Alenſis 2. p. q. 112. Memb. 8. quia in quæſtione illâ nullum eſt Membrum 8.

Fortaſſe erat citandum Membrum 8. q. 113. ubi hæc habet Alenſis: *Quia verò unuſquiſque tenetur ad ſcientiam juris naturalis, ideo nullus adultus excuſatur: nulli enim adulto licet legem naturalem ignorare: quoniam ipſa ſcribitur in corde humano naturaliter.* Quid ſalis adhibendum his ſit, diſcere poterat Sinnichius ex iis, quæ ibidem Membro 7. de ignorantiâ generatim diſſeruerat Alenſis: *Dicendum, quod ignorantia quadam excuſat, & quadam non excuſat: eſt enim ignorantia invincibilis ex caſu, in quam non incidit homo ex ſuâ culpâ; ſed ex debilitate natura, & hac excuſat. Eſt item ignorantia juris divini, & canonici.* (Jus divinum comprehendit jus naturæ, teſte Sinnichio pag. 369.) *& hac excuſat ſimplices quoad quadam, qua non ſunt neceſſaria ad ſalutem eſſentialiter. E contrario verò eſt ignorantia, qua non excuſat, quoad Deum: utpote ignorantia ſupina, ſive affectata, & ignorantia eorum ad qua tenetur homo, & ignorantia negligentia.* Ecce ſolam Alenſis agnoſcit ignorantiam affectatam, ſupinam, & eorum, ad quæ tenetur homo, & ignorantiam negligentiæ, quæ non excuſet: manifeſtum eſt, quod omnes iſti modi ignorantiæ poſſint non minus eſſe circa jus poſitivum, quam naturæ. Atque ex his intelligitur, quid velit loco citato ex Membro 8. non loquitur de lege naturæ, quam latè patet; ſed de iis, quæ ex principiis ipſis *ſcriptis in corde humano* proximè, aut facile cognoſcuntur. Univerſaliter ſe explicat Membro 7. ad. 2. *Dicendum eſt, quod illa Auctoritas Auguſtini intelligitur de ignorantiâ negligentia:* Auctoritas Auguſtini hæc erat; *non omnis ignorans immanis à pœna eſt:* Reſpondens Alenſis, unum agnoſcit immunem à pœnâ, qui habet *ignorantiam negligentia.*

36. Infeliciter citatus Adrianus Lovanienſis Doctor Quodlib. 2. q. 1. *ſine argumentis* ad. 2. Iſto loco Adrianus retulerat verba hæc D. Thomæ; *In iis, qua pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat.* Sermonem D. Thomæ ſic excipit Adrianus: *Quod intelligo de iis, qua tali neceſſaria ſunt ad ſalutem. Alias numquam error etiam invincibilis excuſaret, quem tamen patiuntur multi, exiſtentes in charitate. Nec ſemper edocemur à Spiritu Sancto in talibus, quo caſu intelligendum exiſtimo illud Ioannis 9. Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* Atque hic eſt locus ille, quo nixus Sinnichius ſperat, vel confidit, Adrianum cenſuiſſe, nullam dari ignorantiam invincibilem juris divini, vel naturalis. Sed nos de Adriano infra magis ex profeſſo.

37. Præ ceteris à Vaſquezio citatis fidit Sinnichius Joanni Gerſoni; cujus citat verba hæc ex libro de vitâ ſpirituali lect. 4. Coroll. 3. *Quidquid ſit de ignorantiâ facti, aut juris humani poſitivi, concors eſt ſententia, nullam in his, qua legis divina ſunt, cadere ignorantiam invincibilem.*

Gerſon apud me ſic habet: *Quidquid ſit de ignorantiâ facti, aut juris humani, &* NATURALIS *poſitivi &c.* Aſſertionis verò ſuæ hanc rationem ſubdit:

Quoniam

Quoniam facienti, quod in ſe eſt, Deus ſemper aſſiſtit, paratus illuſtrare mentem, quantum oportebit ad ſalutem, & erroris evitationem. Neſcio, an placuerit Sinnichio hæc ratio. Sed nos magis ad rem.

Concors eſt ſententia, ait Gerſon, *nullam in his, quæ legis divinæ ſunt, cadere ignorantiam invincibilem.* Doctor Sinnichius loco citato non dubitat, quin *ſub jure divino comprehendatur jus naturale*: mihi verò conſtat Gerſonem lib. de Vitâ ſpirituali lectione 2. coroll. 5. & alibi accuratè diſtinguere inter divinum jus, & naturale. Verendum igitur videatur, ne plus affirmaverit Gerſon, quam Sinnichio expediat.

38. Sed non eſt periculum; modo intelligas, locum illum Gerſonis, quem adducit Sinnichius, procedere de *lege purè divinâ*, &, ſi ita vis, de lege *purè naturali*; non autem de lege, quæ ſolum ſit *pertinens ad divinam* aut *naturalem.* Hæc nimirum Gerſon diſtinxit ibidem lect. 2. coroll. 7 *Aliqua*, inquit, *eſt lex purè divina, aliqua pertinens ad divinam.* Leges *purè divinas* dicit eſſe, quæ vel clarè ſunt revelatæ, vel ex ſic revelatis evidenter deducuntur &c. Poſteà verò, *Declaremus nunc*, inquit, *quid ſit lex pertinens ad divinam, & dicamus, quod illa lex eſt pertinens ſolum, quæ licet deduci non poſſit à veritatibus ſolis legis divinæ: deducitur tamen ex eiſdem, coaſſumptis aliquibus veris probabilibus, quæ piè, & rationabiliter negari non poſſunt*; Poſt multa: *Similem*, inquit, *diſtinctionem de lege purè naturali, & de lege pertinente ſolum ad naturalem concipere poteſt quilibet mediocriter inſtructus.*

Ego igitur locum illum Gerſonis oſtentatum à Sinnichio; intelligo de lege *purè divinâ*, &, ſi cupis, de lege *purè naturali*: non autem de lege *ſolum pertinente ad divinam*, aut *ſolum pertinente ad naturalem.* Hoc eſt: locum illum intelligo de lege tam clarè propoſitâ per revelationem, aut rationem naturalem, ut regulariter loquendo, neminem latere poſſit, niſi per negligentiam culpabilem. Unde & meritò Gerſon loco citato diſtinctioni ſuæ hanc monitionem ſubjunxit: *Ignorantia autem iſtius diſtinctionis multos plerumque turbat, & involvit*; quod etiam hodie experimur.

39. Varia dedit Gerſon, quibus ſe oſtendit alienum à dogmate Sinnichiano. Specimen do ex libro de Regulis moralibus litt. B. *Non quilibet*, inquit, *tenetur ſcire de quolibet peccato mortali, an ſit tale; licet expediat iſtud inquirere, & ſcire juxta uniuſcujuſque vires, & ſtatum ..... Nemo utens ratione diu ab ignorantiâ principiorum moralium excuſatur. Forte enim morulam ad conſiderandum apponere fas habet.* Ecce dubitavit Gerſon, an non etiam principiorum moralium daretur ignorantia invincibilis ad breve tempus: & ille certum habuiſſet, non dari ignorantiam invincibilem concluſionum etiam difficilium, quæ ex principiis moralibus deducuntur?

40. His gemmam apponamus D. Thomæ Theologorum Principis quæſt. 3. de Malo art. 8. *Cum aliquis neſcit, fornicationem eſſe peccatum, voluntariè*

 tariè

tariè quidem facit fornicationem, ſed non voluntarie facit peccatum. Quæ his adverſantia in ſpeciem adducit ex D.Thomâ Sinnichius, ſolutionem habent facilem, datamque centies.

§. II.

Quam cautè Sinnichius perſtrinxerit Leonardum Leſſium, requirentem ad peccatum formale, ut ſaltem dubitando agnoſcatur malitia.

41. SInnichius Saulis Exr. cap. 119 pag. 545. col. 1. in Vind. cap. 32, pag. 529. Leſſium perſtringit, qui lib. 2. de Juſtit. cap. 29. dub. 2. n. 9 dixerit, *Iudicium temerarium in animo tuo reſidens, non eſſe peccatum, priusquam aliquo modo advertas, vel dubites, te ex ſignis inſufficientibus judicare*; defectu ſcilicet voluntarii. Hanc Leſſii poſitionem ait *conſonam Articulo Laxorum Ethicorum* reprobato à Facultate Theologicâ Lovan. *Vt actio quapiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit, quid boni, malive in eâ ſit &c.*

42. Ego verò dicam, quis ſit *Articulus laxorum dogmatiſtarum.* Eſt illè ipſe, quem damnarunt tres Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium &c.* Hic ille eſt Articulus unus ex Bayanis vulgo dictis, quem deinde, ſi rem ſpectes, ſuſcitavit Cornelius Janſenius, cum docuit, ignorantiam juris naturæ invincibilem non excuſare à peccato. Huic dogmati patrocinatus eſt Sinnichius in ipſo Saule Exrege, ut patebit infrà. Sed illi Janſeniano dogmati quondam affixi, tandem animadvertentes, rem non habere plauſum, alio reſpectare cœperunt, commentique ſunt, non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ. Leonardo Leſſio gratulandum eſt, quod, ut abeſſet procul ab articulo damnato à ſede Apoſtolicâ, ea docuerit cum omnibus paſſim Theologis (quos nominare ſit ſupervacaneum in re tam pervulgatâ) quæ eſſent affinia illi articulo, qui erat diſpliciturus Facultati Theologicæ Lovanienſi.

43. Ceterum ne erret Lector, non dubitavit Leſſius, de quo nemo dubitat Theologus, quin etiam actiones illæ, quarum malitia non cognoſcitur, cum fiunt, aliquando ſint malæ formaliter eo modo, quo ſunt voluntariæ: voluntariæ dicuntur etiam actiones dormientis per denominationem extrinſecam, ſi in causâ ipsâ liberè poſitâ ſint prævifæ, ſaltem imperfectè dubitando, ſuſpicando &c. Tum verò cum re ipsâ ſequuntur actiones illæ, etſi rectè dicantur malæ formaliter, non tamen habent malitiam formalem, diſtinctam ab eâ voluntate, quâ eſt poſita cauſa. Quod ſi quiſpiam vel prævifionem illam non poſtulet, vel plus malitiæ formalis agnoſcat in actioni-

actionibus illis, huic ſeſe Leſſius adverſarium profitebitur ſine ſcrupulo.

Ceterum Leſſii doctrinam non eſſe conſonam articulo, patebit conferenti ejus verba cum Articulo: ſufficit Leſſio ad peccatum etiam dubitatio de malitiâ: Articulus requirit, ut *noſcatur, & percipiatur, quid malitiæ ſit in actione.*

Hæc eadem animadverſa ſunt ad Saulis Exr. cap. 94. pag. 359. col. 1. in Vind. cap. 7. pag. 71. ubi litem eamdem de advertentiâ malitiæ Cenſor Tamburino intentat.

§. III.

Abſtergitur calumnia, quam Gregorio Valentiæ impegit Sinnichius de invincibili ignorantiâ Divinitatis.

44. SInnichius Saulis Exr. cap. 101. pag. 396. col. 1. in Vind. cap. 14. pag. 162. ubi dicit, aſſerere Caramuelem, *Deorum pluralitatem, ſtando puris principiis naturalibus, defendi poſſe, & propugnari*: item *prudentiam humanam viribus naturæ derelictam probabiliſſimè credituram, dari plures Deos,* Caramueli, ne ſolus eſſet, jungit nomen Gregorii à Valentia citato loco tom. 2. d. 6. q. 6. p. 1. Coroll. 7. in fine.

Gregorius à Valentia non docuit illa iſto loco. Cùm enim docuiſſet, *Ignorantiam invincibilem poſſe contingere circa quodvis jus, exceptis primis principiis legis naturæ, item quæ ex hujuſmodi principiis nullo negotio à quovis homine deduci poſſunt* affirmat, *præcepta legis naturæ obſcuriora poſſe etiam per longum tempus, ut doctiſſimi ſentiunt, invincibiliter ignorari ab aliquibus rudioribus, ut quod uſura e. c. ſit peccatum* &c. Tandem verò ea ſubdit, ob quæ illum cum Caramuele compoſuit Sinnichius: *Itaque,* inquit, *diſputationes hujuſmodi vel dubia vel falſa Philoſophorum ſatis indicant ..... poſſe ejus generis præcepta ab aliquibus invincibiliter ignorari: ſicut* FORTE *etiam, quod unicus ſit Deus, de quo etiam fuerunt varia Philoſophorum controverſia. Ex quo ſequitur Idololatriam poſſe ad aliquod ſaltem tempus per ignorantiam invincibilem in aliquo homine rudiori excuſari.*

45. Patet ex his doctrinam Valentiæ non habere 1. quod *Deorum pluralitas ſtando puris principiis naturalibus defendi poſſit* 2. Quod *Prudentia humana viribus naturæ derelicta probabiliſſimè crederet dari plures Deos*: quæ Sinnichius Caramueli tribuit. Notanda etiam circumſpectio Valentiæ, cum dicit Diſputationes illas indicare, poſſe invincibiliter ignorari *ab* ALIQUIBUS, & quidem FORTE ETIAM, quod unicus ſit Deus: de hoc ipſo ergo dubitat, debetque adeo dubitatio iſta intelligi redundare in conſequentiam, quam

 formatſ

format; *Idololatriam poſſe ad* ALIQUOD SALTEM TEMPUS *per ignorantiam invincibilem in* ALIQUO HOMINE RUDIORI *excuſari.* Nota; *ad aliquod ſaltem tempus.* Nota rurſus; *in aliquo homine rudiori,* ſubintellige etiam; *forte.* Ac demum conclude, Doctorem Sinnichium injurioſum fuiſſe optimo Scriptori.

CAPUT IV.

De Legibus.

§. I.

Falsò ac putidè accuſatus à Sinnichio Tamburinus, tamquam abrogatâ obligatione Legibus civilibus &c.

46. SInnichius Saulis Exr. cap. 106. pag. 427. col. 2. cap. 109. pag. 451. col. 1. in Vindic. cap. 19. pag. 238. cap. 22. pag. 294. Tamburinum ait generaliter aſſerere, *Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligare ſub mortali. Eccleſiaſticas item non multum frequenter*: quare inſinuat, non eſſe immunem à doctrinâ articuli reprobati à Scholâ Theologicâ Lovan. qui ſic ſonat: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Tamburinus l. 1. cap. 3. §. 8. n. 12. quem locum citat Sinnichius, illa nullo modo aſſerit, ſed profitetur, ſe exponere ſententias quaſdam benigniores, quibus uti poſſint homines ſcrupuloſi, inter quas eſt illa, quam pro Tamburini ſententiâ iſto loco vendit Sinnichius.

Si fuiſſet ſyncerus, citaſſet, non Tamburinum iſto loco, ſed eos Auctores, qui illa docuerunt ſine reſtrictione ad ſcrupuloſos; & magis liberè, quam vel ibi, vel alibi Tamburinus. Denique non erat, cur Tamburinum ſugillaret potiſſimum. Deus prohibeat, ne vel tenuem veriſimilitudinem conciliare coner opinioni eorum, qui affirmarunt illa abſolutè, quæ Tamburinus ſolis ſcrupuloſis præſcripſit: ut tamen appareat vel malevolentia, vel imperitia accuſatoris, qui Tamburinum hic potiſſimum putavit accuſandum, tacens de ceteris, nominandi mihi ſunt ex illis quidam, quorum ſententiam Tamburinus putavit ſcrupuloſis proponi poſſe.

47. Poterat Sinnichius apud Navarrum in Sum. cap. 23. num. 55. edit. Antverp. legiſſe hæc verba: *Multi*, inquit, *Catholici, in quibus ſunt Imola, & Felinus, & Cajetanus, tenuerunt; nullas leges, quamvis pœnas temporarias non ſtatuant, quatenus ſunt humanæ, ad mortale tranſgreſſorem ſine contemptu, & ſcandalo obligare.*

De

De Cajetano res vulgò nota eſt, quam tradidit in Sum. v. *Clericus* agens de præceptis, quibus interdicitur Clericis ludus alearum, & taxillorum, negotiationes, aliaque: Item quæ in ſum. v. *Iejunium*. Nota item res eſt quam Cardinalis docuit apud Sylveſtrum v. *Iejunium*.

48. Angelus in Sum. v. *inobedientia* generalius locutus eſt: *Durum valde videtur, quod Prælatus intendat ſemper injicere laqueum mortalis peccati in ſuis præceptis: & ideo ſolum credo, quod ſit in contemptoribus, & illis, qui prævaricationem, & inobedientiam ducunt in conſuetudinem: quia eſt quidam contemptus interpretatus.*

Generalius item Martinus Gromerus, Joannes Ferro, & Servatius de Lairuelz apud Caramuelem in Apologem. Epiſt 4. num. 273. 274. aſſerunt legem Eccleſiaſticam non obligare ſub mortali, niſi ipſa dicat, violationem fore mortalem. Generalius item Collectarius, & *multi alij* teſte Angelo v. *inobedientia*, docuerunt de lege poſitivâ humanâ *inobedientiam non eſſe peccatum mortale*, niſi fiat ex contemptu. Hæc prorſus improbabilia digna erant Sinnichii cenſuris.

49. Fruſtra ſit eos citare minutius, qui univerſè docent, leges civiles non obligare ſub mortali: rationes pro hâc ſententiâ operosè collegit Navarrus in Sum. cap. 23. num. 54. 55. 56. 57. 58. ipſe verò ait, *Manifeſtum eſſe, Reges, & Iudices ſæculares numquam regulariter interpretatos fuiſſe ita, ut ejuſmodi legibus talis obligatio contineretur &c.* Subſcribit Philippus de la Cruz in Pract. de decimis §. 2. num. 5. idque etiamſi leges illæ nullam pœnam imponerent: Item Joann. Valerus in differentiis utriuſque fori v. *ignorantia* differ. 2. Tapia in jure Regni Neap. l. 1. tit. de Legibus §. obſerventur. n. 8. Addit Menchaca 1. controv. c. 29. *Principes ſæculares nec velle,* NEC POSSE *ſuis legibus, & præceptis obligare ad pœnam æternam, ſeu ad culpam mortalem.* Quod idem tenuit Philip. de la Cruz loco cit.

50. Atque ex his Lector diſcat Doctoris Sinnichii vel imperitiam, vel malevolentiam, qui Tamburino potiſſimum vitio verterit, quod loco cit. ſcrupuloſis judicaverit proponendam quorumdam Doctorum ſententiam benignam, *Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligare ſub mortali: Eccleſiaſticas item non multum frequenter.* Quibus verbis inſinuat ne ſcrupuloſis quidem ſequi licere ſententiam dicentium univerſaliter Leges civiliter non obligare ſub mortali, multò minus eorum, qui id affirmarunt de legibus Eccleſiaſticis: quæ profectò opinio omni caret probabilitate, & fundamento veroſimili; præcipuè poſt decretum Alexandri VII. proſcribentis 45. propoſitiones, ſi eam conſideres, quæ eſt ordine 23. & 32.

§. II.

Imperitia Sinnichii in ſugillandâ Doctrinâ Tamburini de lege dubiâ.

51. SInnichius Saulis Exr. cap. 120. pag. 556. col. 2. in Vind. cap. 33. pag. 557. ſugillat regulam à Tamburino poſitam l. 1. c. 3. §. 7. litt. 1. ſub tit. *Leges, & præcepta* n. 1. his verbis: *Si adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit aliqua lex, Excommunicationem v. g. vel præceptum imponens, vel an dicta lex ad aliquem caſum ſe extendat, vel an ſit uſu recepta, vel an fuerit promulgata, vel an aliqua lex ſit conſuetudine introducta, vel an ſit introducta ex obligatione, vel potius ex devotione, non teneris ad illam.*

Hoc loco apparebit multiplex imperitia Doctoris Sinnichii. Sed prius nota Regulam hanc procedere de lege poſitivâ, & quidem humanâ: hoc oſtendit exemplum legis, excommunicationem imponentis, & quæ alia ſequuntur de lege promulgatâ, conſuetudine introductâ &c. Notanda quoque conditio; *Si adhibitâ diligentiâ dubites* &c.

Jam verò ſex capitibus conſtat regula. Singula ſunt videnda.

52. I. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit lex, non teneri te ad illam:* Intellige, ſi dubites, an ſit lata lex: nam ſi conſtet eſſe latam, dubites verò an ſit abrogata, docet ibidem Tamburinus te obligari.

Stupenda res eſt, quod Doctor Sinnichius neſciverit (ſic enim videtur) quam gravium, & quam multorum Doctorum illa eſſet ſententia.

Generaliter non ſolum de lege humanâ, ut Tamburinus loco cit. ſed de quocumque jure humano, divino, naturali, voto, juramento dubitantem non obligari docuerunt illi, qui regulam juris; *potior eſt conditio poſſidentis*, accipiendam putaverunt de poſſeſſione libertatis contra obligationem juris dubii cujuſcumque, ſic docuit Malderus 1. 2. q. 19. a. 6. d. 87. Thomas Sanchez l. 2. de Matrim. d. 41. num. 32. Dicens hujus ſententiæ eſſe omnes Doctores, quos citaverat l. 1. d. 9. num. 11. 12. 13. aſſerentes dubium, an votum emiſerit, illo non teneri: illo autem num. 11. citaverat de *voto expreſsè ſic ſentientes* Sotum, Medinam, Capuam, Manuelem, Enriquez, Ludov. Lopez. Mox ſequenti num. 12. citat Doctores, qui cenſent, puerum dubitantem de rationis uſu, cum vovit, minimè teneri, atque exigi, rem adeò certam eſſe, ut nulla de rationis uſu, aut tenuiſſima ſit dubitatio apud prudentes viros. Sic ait docere Sotum, Bejam, Vegam, Capuam. His Leander à SS. Sacramento tom. 7. tract. 1. d. 43. q. 1. addit Thomam del bene, Gallego, Martinez de Prado, Joſeph, Roſelli alioſque.

53. Rurſus generaliter, non ſolum de lege humanâ; ſed de quocumque jure id affirmant, qui, quod ex cap. *juvenis*. De Sponſalibus dici ſolet, in

dubiis

dubiis tutiorém partém eſſe eligendam, interpretantur de conſilio, & non de præcepto, vel ajunt ſolum habere locum in practicis dubiis, quando quis non format conſcientiam ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis. Hi ſunt Malderus 1.2.q.19.a.6.d.87.aliique apud Dianam p.4.tract.3.de conſcient. dub.reſol.3.

Quid de ceteris obligationibus putamus eos cenſuiſſe, qui dixerunt, illum quoque, qui non omnino dubitat, ſed magis propendet in eam partem,ut votum emiſerit, non teneri illud implere? Pro hâc ſententiâ Diana p.4.tract.3.reſol.12. citat Garciam,Loream,Fernandez alioſque. Quid etiam eos ſentire oportet, qui cenſent conjugem dubitantem de valore ſui matrimonii, bonâ fide contracti, poſt adhibitam diligentiam poſſe non tantum reddere, ſed etiam petere debitum? ſic cenſent Sotus in 4.diſt. 27.q.1.a.3.5. *imo verò*,de la Cruz 1.p.ſpec.a.41.concl.3.& 3. p.a.18.concl. 5. ubi pro ſe citat Magiſtrum ſuum Victoriam. Cenſet quoque Banez 2. 2. q.62. a.6. dub.5. concl.4. multò plures dabit Sanchez lib.2. de matrim. diſp.41.n.46.

Hi,aliique Auctores non ſunt ſtudioſius citandi,quando etiam Tyrones Theologiæ noverunt, rem communiſſime aſſertam à Theologis, reprehenſam à Sinnichio fuiſſe in Tamburino.

54. II. Docet Tamburinus in propoſitâ regulâ, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an dicta lex ad aliquem caſum ſe extendat, non teneri te ad illam.* De hoc non videtur eſſe alia ratio, quam de aſſert. præcedenti: quia ſic reverà dubitas, an ſit lex præcipiens, vel prohibens pro hoc caſu. Interea expreſsè illud docuerunt non pauci. Vide Ludovic.de Schildere de Conſcient.tract. 5.n.36,Dianam p.4.tract.3. reſolut.18.

55. III. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an lex ſit uſu recepta, non teneri te ad illam.* Hæc aſſertio nihil habet magis miri, quam priores duæ, ſuppoſitâ ſententiâ valde communi inter Theologos, & juris peritos, quod ad valorem legis requiratur acceptatio populi, quæ regulariter non fit,niſi uſu ipſo, & obſervantiâ legis. Sententiam hanc tenet Navarrus in Summâ cap. 23. num.41. citans Dominicum *per recentiores receptum*, & Felinum: pluribus verò defendit Navarrus lib. 1. Conſil.1. q.5. contendens leges eſſe *confirmandas moribus utentium*: addens, quod etiam *primi recipientes poſſint excuſari à peccato*, in quo modum exceſſit, ut conſtat ex decreto Alexandri VII. de 45. propoſit. Tenet quoque Sayrus,Clavis Reg.l.3. c.5.num.14: vocans communem Doctorum ſententiam,citanſque plurimos,etiam Driedum. Sed his tam notis non eſt immorandum.

56. IV. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an fuerit lex promulgata, non te ad illam teneri.* Si putavit Sinnichius reprehendendum fuiſſe Tamburinum de laxitate, quod ſenſerit eſſe opus promulgatione, ut

lex

lex valeat, commiſeratione dignus eſt: admiſsâ autem neceſſitate promulgationis, non eſt magis mirum dubitantem de promulgatione non obligari, quam dubitantem de lege ipsâ, ad cujus ſubſtantiam promulgatio pertinet.

V. Docet Tamburinus, *ſi adhibita diligentiâ dubites, an lex ſit conſuetudine introducta, non te ad illam teneri.*

VI. Docet Tamburinus, ſi adhibita diligentia dubites, an lex ſit introducta ex obligatione vel potius ex devotione, non te ad illam teneri. Imperitia Cenſoris eadem ſæpius ſe prodit: puto, quod liceat nobis pergere ad alia.

§. III.

Inconſideratè à Sinnichio reprehenſus Caſtropalaus de aſſertâ probabilitate docentium, non obligare legem, ſi ſit probabile rem præceptam eſſe illicitam.

57. SInnichius Saulis Exr. cap. 109. pag. 451. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 293. Caſtropalaum accuſat, quod tom. 1. tract. 1. d. 2. p. 6. n. 5. affirmare auſus ſit, *Valde probabile eſſe, te obligatum non eſſe ſuperiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam eſſe rem imperatam, vel excedentem ejus juriſdictionem.*

Si erat æquus Cenſor, eos debebat reprehendere, qui id non ſolum dixerunt eſſe probabile, ſed docuerunt abſolutè verum eſſe.

58. Sed inprimis ſcire velim, quid facturus fuiſſet Sinnichius, quando ipſe opinatus eſſet, rem ſibi à Superiore præceptam eſſe illicitam, vel (quoniam Sinnichius nihil opinabatur) quando ipſe dubitaſſet, an res præcepta à Superiore eſſet licita. Obediviſſetne dubiam habens conſcientiam de malitiâ actionis? non obediviſſet, ſi erat vir probus. Hîc ego contra Sinnichium verbis iis utor, quibus ipſe loco cit. contra Caſtropalaum. *Ex his facile quiſque perſpicit, quam levi negotio poſſint ſubditi, eludere leges, ac præcepta Superiorum ſuorum.* Non licet opinari, ſi Sinnichio credimus Saulis Exr. cap. 97. in Vind. cap. 10. namque *opinari turpiſſimum eſt: opinionum dictamina nihil aliud ſunt quam ignorationum Symptomata: humana opinio monſtrum eſt, aut monſtro æquivalens:* cavebunt ergo ſibi ſubditi, ne opinentur, rem à Superiore præceptam eſſe licitam. Sed quam facile, & quam ſæpe continget, non eſſe certum ſubdito, quod actio præcepta ſit licita! Quantò etiam facilius incertitudinem obtendet ſubditus, etiam cum incertitudo non eſt? Hîc ergo ſubditus contendet, non ſolum non ſe debere, ſed neque licere ſibi obedire, deſtitutus ſcilicet conſcientiæ dictamine de ho-

neſtate

Digitized by Google

neſtate actionis præceptæ. Licebit ergo rurſus contra Sinnichium verbis illis uti, quibus ipſe loco cit. contra Caſtropalaum: *Facile quiſque advertere poteſt, quantopere ab his probabilitatum patronis* (dicamus; *Improbabilitatum patronis*) *coarctetur legis lativa Principum poteſtas; ſubtrahendo eis omnia de quibus habeatur probabilitas in oppoſitum*: *ſubſtituamus*, *ſubtrahendo eis omnia*, *de quorum honeſtate habeatur aliqua incertitudo*: *etſi probabilius ſit eſſe honeſta*. Sed pergamus.

59. Licere ſubdito non obedire ſuperiori, quando eſt probabile rem præceptam eſſe illicitam docuit abſolutè non ſolum Joannes Sanchez d.33. n.31. 32. ſed etiam apud illum Ledeſma tract. *de los eſtados*, ubi *de Religioſos en comun*. cap. 4. docuit idem Franc. de Lugo de Conſcient. p. 1, cap.3. num.97. Salas 1.2. tract.8. ſect.8. num.78. Sayrus verò l. 1. Clav. Reg. cap.13. num.41. ſic loquitur: *Quando Prælatus aliquid præcipit*, *de cujus præcepto ex probabili cauſâ ſubditus dubius eſt, an ſit juſtum*, *non ſemper tenetur ſubditus obedire*, *ſed in eam partem inclinandum eſt*, *in quâ minus eſt periculi*. Neque ſatis apparet, quomodo ſententiam eamdem poſſit rejicere illa turba Doctorum apud Joannem Sanchez dub.33. num.54. quæ aſſerit, pœnitentem poſſe non obedire Confeſſario, ductum probabili opinione, imo Confeſſarium teneri ſe conformare pœnitentis opinioni.

Denique in favorem ſubditorum contra Superiores multo amplius locutus eſt Adrianus quolib. 2. q.2. pag. mihi 35. col.2, ubi ad quæſtionem propoſitam pag.24. col.2. *An teneamur obedire in probabili dubio, an actus*, *qui præcipitur, ſit peccatum mortale*, Reſpondet negative.

60. Quod ſi quæratur, an ſubdito liceat non obedire, quando habetur opinio probabilis, quod ſit illicitum obedire, etiam illi Auctores vulgò ſubſcribunt, qui negant, licere ſubdito non obedire, quando habetur opinio probabilis, rem præceptam eſſe illicitam. Conſtat hoc de Thomâ Sanchez, aliiſque: ſed non eſt immorandum.

Licere etiam ſubdito non obedire ſuperiori, quando eſt probabile, rem præceptam excedere juriſdictionem Superioris docuit non ſolum, ut probabile, ſed omnino abſolutè Merolla d.3. cap. 4. num. 65. Januarius p.1. Reſol. moral. 44. num. 13. Rocafful Theol. Moral. pag. 3. l.1. cap.3. num.70. Giragus de regimine Regular. p.3. d.30. Joannes Sanchez d.33. num. 32.

Patet ex his nullam fuiſſe cauſam, cur Doctor Sinnichius Caſtropalaum reprehenderit potiſſimum, quod eam ſententiam dixerit probabilem, quam Doctores tam multi, & graves tenuerunt abſolutè.

Digitized by Google

§. IV.

Quid cauſæ habuerit Sinnichius, cur Tamburinum præcipuè reprehenderet circa doctrinam de lege imponente Gabellas.

61. SInnichius Saulis Exr. cap.109. pag.450. col.2. in Vind. cap.22. pag.293. Tamburinum perſtringit, quod l.1. cap. 3. §. 7. litt. G. n.1. aſſeruerit, probabilem eſſe ſententiam affirmantium, non obligari ſubditum ad ſolvendam gabellam, ſi omnibus expenſis dubitet, an gabella ſit juſtè impoſita, vel probabile ſit, non eſſe juſte impoſitam.

Quam ſententiam Tamburinus vocavit probabilem, eam tenuerunt abſolutè Auctores multi, & graves. Nam quod attinet ad caſum, quo eſt dubia juſtitia gabellarum, non teneri ſubditos ſolvere, non obſcurè docet Cajetanus v. *vectigalia*: cum enim dixiſſet, *tot conditiones exigi ad juſta vectigalia, ut difficile forte ſit invenire vectigalia juſta*, enumeraſſetque conditiones multas, poſt pauca *Præſumendum*, inquit, *videtur contra juſtitiam vectigalium, ſi non appareant conditiones* illæ enumeratæ, & requiſitæ ad illorum juſtitiam: non apparent autem, quando eſt dubium, an ſubſiſtant; adeoque an juſta ſint vectigalia: in quo caſu docet, non teneri ſubditos. Texeda tom. 1. controverſ. lib. 1, tract. 2. controv. 14. dub. 4. n. 46. Sylveſter v. *gabella* 4. n. 6. dicit *occultantes bona*, quibus impoſitæ ſunt talliæ, *meritò de nimiâ aggravatione dubitantes, videri poſſe excuſari ſecundum Archidiaconum*.

62. Joannes de la Cruz direct. p. 1. de 7. præcepto q. 7. a. 3. num. 4. cum dixiſſet, in dubio de juſtitiâ tributi, ſi ſit antiquum, eſſe reddendum: *At*, inquit, *ſi tributum ſit novum, & tunc rationabiliter dubitetur de ejus juſtitiâ, aliter eſt dicendum: nam cives tunc ſunt in poſſeſſione, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis*: citat verò pro ſuâ ſententiâ Gabrielem, Medinam, Aragon, Man. Rodriquez, & Ledeſmam. At verò Molina tom. 3. p. 1. d. 674. n. 7. ſic loquitur: *Quando tributa ſunt nova, & non conſtat de illorum juſtitiâ, ſed dubitatur, an deſit aliquid ex requiſitis, ut ſint juſta*, AFFIRMANT DOCTORES COMMUNITER *non deberi in conſcientiâ* &c. citat pro illâ ſententiâ Cajetanum, Angelum, Sylveſtrum, Gabrielem, Medinam, & alios tacito nomine, quos dicit ab illis citari. Fumus in Armilla v. *gabella* n. 18. ſic docet. *Quando gabellæ ſunt dubiæ, an ſint juſtæ, ſicut communiter hodie ſunt, ut diximus, confeſſores non debent cogere confitentes ad reſtitutionem*. Docet idem de tributo novo Lud. Lopez Inſtructorii p 2. cap. 37. q. 1. quando *ejus impoſitionis juſta cauſa lateret, quia tunc tale tributum præſumendum eſſet injuſtum*.

63. Quod verò attinet ad caſum, quo eſt probabile, gabellas non eſſe juſtas, non teneri ſubditos eas ſolvere, docent plurimi; Vericelli tom. 1.

quæſt.

quæſt.tract.2.q.32. n.5. citans non paucos: Petrus à Navarra de reſt.lib.3. cap.1. num. 267. Malderus tract.5. de Juſt. & jure cap.6. dub.4. concl.6. Barnabas Gallego tract. de conſ.prob. circa regem dub.19. citans D. Antoninum, & Lud.Lopez,dicens quoque, iſti ſententiæ favere Sylveſtrum, & Armillam. Valde expreſsè Alph.Vega in Sum.1.p.c 15.caſ.11.Notabil. 4. permittit, ut ſubditi ſequantur opinionem etiam minus probabilem de injuſtitiâ tributorum: citat Cordubam alioſque: expreſsè item Bonacina diſt.2.de reſtit.q.9.p.1.n.7. Leſſius denique affirmat l.2.de Juſt.c.33.n.67. ſententiam eſſe *communem Doctorum*.

Prætereo Auctores minimè omnium audiendos, qui etiam non ſolventes tributa juſta excuſant à mortali, & ab onere reſtituendi, præcipuè ſi agatur de tributis impoſitis in uſualia. De illis vide Dianam p. 1. tract. 10. reſol.19.

His conſideratis lector judicet, quid cauſæ fuerit, cur Sinnichius Tamburinum potiſſimum perſtringeret, qui hoc unum affirmavit, probabile eſſe, non obligari ſubditos in caſu dubii, vel probabilitatis de injuſtitiâ gabellæ.

CAPUT V.

De Præcepto Fidei, Spei, & Charitatis.

§. I.

Quid judicio Sinnichii, & quid re ipsâ docuerit Tamburinus de præcepto Charitatis,

64. SInnichius Saulis Exr.cap.102.pag.401.col.1. & 2. in Vind.verò cap.15.pag. 174. affingit Tamburino hunc articulum: *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.*

Tamburini verba in Dec. l.2. cap.3. §.2. n.2. quæ vocantur in invidiam, hæc ſunt: *Mihi placet doctrina Azorii, qui docet, hoc præceptum charitatis impoſitum fuiſſe ob juſtificationem impii, ſolum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, quâ ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis,quæ ſemper aliquò tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti involvit &c.*

Ego verò mox oſtendam, etiam hærendo in cortice horum verborum, ubi hæret Sinnichius, verba Tamburini procul diſtare ab articulo reprobato. Sed prius penetremus paulò altius, quò non curavit Sinnichius penetrare.

65. Dico, Tamburinum hoc ſolum docuiſſe, præceptum charitatis non obligare pro aliquo tempore determinato; niſi quando debet juſtificari peccator extra oportunitatem Sacramenti.

Moveor I. Quia Tamburinus dicit placere ſibi doctrinam Azorii tom. 1. lib. 9 cap. 4. q. 1. Azorius autem ibi profitetur, ſe docere de præcepto charitatis, quod docuerat de præcepto fidei, & ſpei. De præcepto autem fidei reverà id docuerat lib. 8. cap. 7. q. 6. ubi ultimate concludit his verbis: *Et proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem credendi, cum impius lege, & præcepto compellitur ad juſtitiam adipiſcendam: quâ obtentâ præceptum fidei non habet amplius vim obligandi,* ITA UT CERTO TEMPORE FIDEI ACTUM ELICERE DEBEAMUS.

Idem Azor. l. 9. c. 2. q. 6. cum dixiſſet, *ſpei præceptum habere ſuam vim, cum pœnitentiæ præcepto, & lege compellimur ad anteacta vita peccata deteſtanda* &c. quærit ulterius, *An homo poſt obtentam Dei gratiam, & veniam peccatorum,* ALIQUO CERTO TEMPORE *debeat ſpei actum elicere.* Reſpondet verò ſic: *Aliis verò temporibus* DIFFICILE EST DEFINIRE PRÆCISE *quandonam ſpei actum præſtare debeamus; niſi cum ſpes noſtra tentatur* &c. Ecce non dubitat, quin aliis temporibus debeamus ſpei actum præſtare; ſed dicit, eſſe *difficile definire præciſè illa tempora.* Eadem eſt doctrina Azorii de præcepto charitatis, ut profitetur, eadem Tamburini, doctrinam Azorii ſequentis, ut & ipſe profitetur.

66. Moveor II. Quia Tamburinus l. 2. cap. 3. §. 2. ubi videtur negare, dari *ſpeciale præceptum* charitatis, explicat n. 3. quid intelligat per *ſpeciale præceptum*; nimirum *ſpeciali tempore implendum*, hoc eſt tempore certo, & determinato: negat dari tale præceptum, & confirmat eorum auctoritate, qui dicunt præceptum charitatis ſolum eſſe *generale*, *& imbibitum in omnibus* præceptis: neque ipſe reverà approbat hanc doctrinam; niſi quatenus negat determinatum tempus, quo obligat præceptum charitatis, quatenus eſt diſtinctum à cæteris præceptis, etſi & inſinuet reliqua omnia præcepta eſſe quoddam præceptum dilectionis: qui modus loquendi eſt valde conformis Scripturis, Patribus, & multis Theologis.

67. Moveor III. Quia Tamburinus lib. 2. cap. 1. §. 1. ubi num. 10. declarat, non aliter ſe ſentire de præcepto charitatis, quam de præcepto fidei, & ſpei, probat ſuam aſſertionem de præcepto fidei eo argumento, quo reverà ſolum concluditur præcepta illa non habere certum tempus, quo determinatè obligent: ſic enim probat: *quia, ut alibi diximus, numquam præceptum aliquod obligat, niſi ſit determinatum: cum enim non poſſit ut indeterminatum exire in executionem, non cenſetur practicè eſſe completum.*

68. Moveor IV. Quia Tamburinus illis verbis, *ut alibi diximus*, remittit lectorem loco ad marginem adnotato ad Opuſc. de expedit. ſacrif. l. 2. c. 2. §. 16. n. 5. ubi illam ipſam adhibens rationem de præcepto Communionis,

& Con-

& Confeſſionis, hoc unum concludit, non obligaſſe illud, niſi in articulo mortis, donec Eccleſia tempus determinavit.

Ob hæc omnia, cum videtur dicere Tamburinus, numquam obligare præceptum charitatis, niſi ratione alterius præcepti, ad cujus obſervantiam eſt neceſſaria charitas, poteſt, debetque intelligi de obligatione pro certo, & determinato tempore, numquam ſatis determinando, niſi per articulum mortis, ſi ante non fuerit impletum: conſequenter dixit, ne quidem per ſe obligare in articulo mortis, cum poſſit alio tempore impleri. Verſentur, & excutiantur omnia, quæ de præcepto illo diſſeruit, non probabis pejus aliquid docuiſſe illum de præcepto Charitatis.

69. Sed nos animi causâ arripiamus verborum corticem, in quo gaudet inhærere Sinnichius: *Præceptum charitatis ſolum tunc obligat, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, quâ ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis &c.*

Hæc ſic excipit Sinnichius: *His verbis æquivalenter à Tamburino tradi prædictum articulum patet ex eo, quod in rigore loquendo fieri poſsit, ut numquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Porrò Articulus, quem nominat, hic eſt: *In rigore loquendo videtur quod homo non teneatur umquam per totam vitam elicere actum amoris Dei.*

Cenſet ergo Sinnichius, hanc argumentationem eſſe bonam; *In rigore loquendo fieri poteſt, ut numquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Ergo *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.*

70. Inepta eſt argumentatio I. quia ex mente Auctoris procedit à poſſibili ad actum, ut per ſe patet: II. quia vel à particulari procedit ad univerſale, vel ab eo, quod re ipsâ eſt impoſſibile, ad actum ipſum; quo nihil eſt inſulſius. Etenim in antecedenti cum dicit, *In rigore loquendo fieri poſſe, ut nunquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ*; vel loquitur de *impio* generatim, ut ſenſus ſit, fieri poſſe, ut omnes prorſus impii juſtificentur per Sacramentum; hoc verò certè moraliter fieri non poteſt, imo ne phyſicè quidem in hoc rerum ordine, ut quilibet per ſe intelligit: vel repugnante Dialecticâ, & conſtructione verborum, id ſolum affirmatum voluit de Impiis quibuſdam: tum verò argumentatio hunc modum habet; *Fieri poteſt, ut alicui impio numquam deſit via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Ergo *Homo non tenetur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.* Inferendum erat: *Ergo fieri poteſt, ut aliquis homo &c.*

71 Inepta denique eſt argumentatio, quia concludit negando obligationem amoris Dei cujuſcumque, ex eo quod Tamburinus negaverit, quoſdam homines in certis circumſtantiis obligari ad amorem Dei ſuper omnia, & juſtificantem; quaſi nullus eſſe queat actus amoris Dei, quin ſit idem perfectus, potenſque juſtificare.

72. Quo-

72. Quoniam verò Doctor Sinnichius Saulis Exr. pag. 402. col 2. in Vind. pag. 178. conqueritur; Tamburinum nullos Auctores pro ſuâ ſententiâ citaſſe, atque inde colligit, *vel nullos ei occurriſſe, vel non niſi tales, quos nominare ſuppuduerit*. Quoniam etiam Saul. pag. 404. col. 1. in Vind. pag. 180. 181. *miratur quomodo Theologo Chriſtiano irrepere in mentem potuerit ea perſuaſio*, affirmatque ideo irrepſiſſe, *ut novam ſententiam procuderet*, poſtulare hic locus videbitur, ut citem eos Auctores, qui ſpeciale præceptum charitatis non agnoverunt. Sunt illi mihi ad manum: ſed quia cenſeo inter Propoſitiones 45. ab Alexandro VII. damnatas, nullam eſſe abſurdiorem, quam primam, quatenus affirmat, *hominem nullo umquam vita ſua tempore teneri elicere actum charitatis, &c.* quam doctrinam Tamburino Sinnichius attribuit, malo prorſus Cenſori condonare ſuam in hoc puncto inſcitiam, nigramque ſuſpicionem, quam in gratiam Tamburini Theologos alioqui inſignes vocare etiam in tenuem ſuſpicionem doctrinæ tam indignæ, & prorſus pudendæ.

73. Nota mihi ſunt illa, quibus iſti doctrinæ favere D. Thomas videri poſſit incautis: ſed numquam mihi excident illa, quę lego diſertiſſima omnino 1.2.q.100.a.10. ubi dicit; *Actum charitatis, ſecundum quod eſt quidam actus per ſe, cadere ſub præcepto legis, quod de hoc* SPECIALITER DATUR; *ſcilicet Diliges Dominum Deum tuum.*

74. Eſt enim verò lex illa non minus inſcripta cordibus humanis, quam paginis ſacris, quam & uno ore agnoſcunt Theologi omnes, ſi paucos demas, quibus etſi Tamburinum non adnumerem, cenſeo tamen reprehenſione dignum, quod neque ſatis amplè, neque ſatis clarè locutus ſit de lege illâ charitatis: ſed nego dignum eſſe eâ reprehenſione, quâ illum perſtrinxit Sinnichius, cum neque tradiderit Articulum, quem illi affingit, neque ſi tradidiſſet, verum eſſet, *novam ſententiam ab illo procuſam*; multo minus verum eſſet, *deſiderio procudendæ novæ ſententiæ*, ſic illum docuiſſe; quæ cum affirmavit Sinnichius, valde læſit charitatem tam temerè judicans.

§. II.

An Tamburinus conatus ſit enervare præceptum Fidei, Spei & Charitatis.

75. Sinnichius Saulis Exregis cap. 102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag. 181. reprehendit Tamburinum, quod generali quâdam ratione conetur enervare vim præceptorum Fidei, Spei, & Charitatis, ita ut nullum eorum umquam obliget *directè, & per ſe*, ſed *indirectè ſolùm*, *& ratione alterius* præcepti, quod ſine actu fidei, ſpei, aut charitatis ſervari non poteſt.

De

Digitized by Google

De doctrinâ Tamburini pertinente ad præceptum charitatis jam vidimus: poſſunt modo dicta etiam accommodari huic loco.

Quod attinet ſpecialiter ad præceptum fidei, fatetur Tamburinus l. 2. cap. 1. §. 1. num. 8. ſimulque 9. omnes obligari *ex vi medii ſimul, & præcepti,* elicere actum fidei, *ut primum propoſiti ſufficienter ſunt articuli Fidei.*

Fatetur deinde ibidem l. 9. *Fideles* SÆPISSIME *obligari per accidens, ex vi aliorum præceptorum,* ad credenda ea Myſteria, quæ recenſuerat n. 5. Porro de præcepto Spei non aliter cenſet ratiocinandum, ut oſtendit n. 10.

76. Mirum eſt Doctori Sinnichio hæc tam admirabilia viſa in Tamburino potiſſimum. Legiſſe poterat, quæ multò ante ſcripſerat Petrus Ledeſma tom. 2. Theol. Moral. tract. 3. cap. 4. ubi concluſio 4. eſt hæc: „ Sæpe tenetur homo exercere actus ſpei, quando hujuſmodi actus ſunt neceſſarii, ad implendum aliquod aliud præceptum; ut v. g. ad agendam „ pœnitentiam . . . . . Sed eſt dubium, utrum, ſi tunc non ſperet, committat duplex peccatum: nempe quia non agit pœnitentiam, & quia non ſperat . . . . . Reſpondetur negativè: quia ſolum præceptum, ſcilicet pœnitentiæ, per ſe obligat: aliud verò, ſcilicet ſpei, non niſi ratione „ pœnitentiæ. Eandem ſententiam de præcepto fidei tradit Baſſæus in Flor. Theol. pract. v. *Fides*: item de præcepto ſpei ibidem v. *ſpes.* Eandem tradit de præcepto fidei Villalobos in Summâ tom. 2. tract. 1. diffic. 2. relatis verbis à Diana p. 5. tract. 13. reſol. 19. qui & Aragonium citat in 2. 2. q. 10. a. 1. His multo plures inveniſſet Sinnichius, niſi tempus conſumpſiſſet in Tamburino, cujus ſententiam de præcepto fidei non putavit cenſurâ dignam Franciſcus Bonæ Spei, qui tract. de fide diſp. 7. dub. 1. num. 44. ad quæſtionem, *quo tempore præceptum fidei obliget*, rejectis aliis opinionibus, non aliter reſpondet, quam præceptum *illud obligare, quam primum fidei objectum ſic eſt propoſitum, ut moraliter non cenſeatur ulla eſſe actus fidei differendi occaſio.* Nihil minus reſpondit ad quæſtionem illam Tamburinus. Etiam Guilielmus Herinx tract. de virt. d. 10. ſect. 3. n. 29. & 30. excuſſis variis Doctorum ſententiis de tempore, quo obliget præceptum ſpei, omnia cenſuit eſſe tam infirma, ut nequidem putarit ſibi aſſerendum abſolutè, dari *ſtrictum præceptum ipſius actus formalis ſpei.* Sed hos Sinnichius adire non potuit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Præcepto Orationis.

§. I.

An Tamburinus eliſerit præceptum divinum de orando Deo.

77. SInnichius Saulis Exr. cap.102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag.182. Tamburinum accuſat quod l.2.c.4.§.2.n 4. *elidat præceptum divinum de orando.*

Non elidit, ut patet ex his ejus verbis num.3. „ Duplex eſt præceptum „ de orando, idemque de adorando Deum. Alterum naturale, quia præ- „ ciſo quocumque Eccleſiæ præcepto tenemur bona, quæ nobis ſunt con- „ venientia, procurare, & mala removere. Removere autem tentationes, „ multaque alia mala,& procurare bona, maximè ſupernaturalia, & præſer- „ tim perſeverantiam in bono non poſſimus, niſi ea expectando, & impe- „ trando à Deo.

Denique fatetur ibi Tamburinus, ſic ſe ſentire de præcepto orationis, ut de præcepto charitatis; oſtendi autem de præcepto charitatis ſpeciali hoc unum docuiſſe Tamburinum, illud non dari ita, ut obliget pro certo, & determinato tempore.

78. Tandem etiam debuiſſet lenire animum Cenſoris reverentia D. Thomæ, qui in 4. ſent.d.15. q.4. a.1. ad.3.quæſt. ſic docet: *Dicendum quod oratio cadit ſub præcepto & determinatè, & indeterminatè. Determinatè quidem ad aliquas orationes ex præcepto tenentur Miniſtri Eccleſiæ* (idque *ex officio*, ut ait) *ſed indeterminatè ad orationem quilibet tenetur, ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia ſic procuranda, quæ non niſi divinitus dantur..... Et etiam ex hoc ipſo, quod charitatis præcepto tenetur proximum, ſicut ſeipſum, diligere; adeoque ei ſubvenire per eleëmoſynam ſpiritualem &c.* Denique nullam ibi agnoſcit S.Doctor obligationem directam ad orandum, quam ſolam videri poteſt negaſſe Tamburinus.

79. Non poteſt non eſſe plurimorum auctorum ſententia, quæ D. Thomæ placuit. Unde & Guilielmus Herinx tract.de Relig.diſp 1 q.3.n.18. „ Notant, inquit, varii Doctores aliis contradicentibus, orationem eate- „ tenus ſolum cadere ſub præceptum, quatenus præceptus eſt finis, ad „ quem eſt medium neceſſarium. Hanc etiam, & non aliam neceſſitatem „ Scriptura,aliæque auctoritates indicant..... Prætereà omittendo ora- „ tionem

„ tionem ſolum committitur peccatum contra præceptum obligans ad finem, v.g. ſi oratio ſit neceſſaria ad ſervandam caſtitatem omittens peccabit „ contra caſtitatem ..... Quare non eſt diſtincta malitia omiſſæ oratio- „ nis &c.

Idem videtur ſenſiſſe Franciſcus Bonæ Spei tract. de Relig. diſp. 1. dub. 1. n. 14. ubi de neceſſitate orationis hoc unum definit: *eſſe neceſſariam, prout neceſſaria ſunt auxilia ad tentationes vitandas, gratiam habendam &c.* Atque hi duo viri ſunt graves Auctores Noſtrates, quorum judicium etſi ſolum pro ſe obtinuiſſet Tamburinus, non debuiſſet terreri cenſuris Sinnichii.

§ II.

Eximitur Tamburinus impoſturâ Sinnichii de attentione Orationis.

80. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 434. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 254. Tamburinum ait contendere, ſatis eſſe attentionem externam *in audiendâ miſsâ de præcepto &c.* Sed lectorem ibi mittit ad §. 399. illo igitur §. hoc eſt Saulis Exr. pag. 428. col. 2. in Vind. pag. 240. de Tamburino ſic loquitur: *Sed audiamus eumdem alibi in hâc ipſâ materiâ laxioribus indulgentem, vel potius, ut præ ſe fert ſcrupuloſioribus medentem, quibus ſuggerit, ut perſuaſum habeant, in audiendo miſſam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, ſatis eſſe attentionem externam, unde poſſe quemlibet voluntariè diſtrahi.*

Tamburinus lib. 1. cap. 3. §. 8. unde ſumpta ſunt verba illa, reverà hoc agit ex profeſſo, ut ſcrupuloſis ſubveniat. Sinnichius autem, pro ſuâ benevolentiâ in hunc Auctorem, *Audiamus*, ait, *eumdem alibi laxioribus indulgentem*: ipſum puduit hujus dicti: Unde, *vel potius*, inquit, UT PRÆ SE FERT, *ſcrupuloſioribus medentem.* Languida correctio, quid erat opus iſto, *ut præ ſe fert*? ſimulavitne Tamburinus, ſe ſcrupuloſis mederi, & laxioribus indulgere ſtuduit? Vide ſuſpicionem atram. Erraverit in quibuſdam Tamburinus: erravit in multo pluribus, graviuſque Sinnichius; quæ res eſt nota vulgo. De mente ſuâ, & intentione rationem reddidit ſupremo Judici Sinnichius, reddet quoque Tamburinus, cum hinc evocabitur. Interea ille rectæ intentionis ſuæ argumenta præbere pergit vitâ innocente, & inculpatâ.

Jam verò quid reprehenſionis meretur remedium illud à Tamburino ſcrupuloſis præſcriptum? conſulantur Theologi etiam liberius vulgò medentes iſti hominum generi, ne denique attentione orationis hoc efficiant, ut inepti ad orandum ſint.

Rectius citaſſet Sinnichius Tamburinum l. 4. c. 2. §. 1. n. 19. 20. 21. ubi ut probabilem amplectitur ſententiam affirmantium, tempore ſacri, & in

 rec

format; *Idololatriam poſſe ad* ALIQUOD SALTEM TEMPUS *per ignorantiam invincibilem in* ALIQUO HOMINE RUDIORI *excuſari.* Nota; *ad aliquod ſaltem tempus.* Nota rurſus; *in aliquo homine rudiori,* ſubintellige etiam; *forte.* Ac demum conclude, Doctorem Sinnichium injurioſum fuiſſe optimo Scriptori.

CAPVT IV.

De *Legibus.*

§. I.

Falsò ac putidè accuſatus à Sinnichio Tamburinus, tamquam abrogatâ obligatione Legibus civilibus &c.

46. SInnichius Saulis Exr. cap.106.pag.427.col.2. cap.109.pag.451. col.1.in Vindic.cap.19.pag.238.cap.22.pag.294. Tamburinum ait generaliter aſſerere, *Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligare ſub mortali. Eccleſiaſticas item non multum frequenter*: quare inſinuat, non eſſe immunem à doctrinâ articuli reprobati à Scholâ Theologicâ Lovan. qui ſic ſonat: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Tamburinus l.1.cap.3.§.8.n.12. quem locum citat Sinnichius, illa nullo modo aſſerit, ſed profitetur, ſe exponere ſententias quaſdam benigniores, quibus uti poſſint homines ſcrupuloſi, inter quas eſt illa, quam pro Tamburini ſententiâ iſto loco vendit Sinnichius.

Si fuiſſet ſyncerus, citaſſet, non Tamburinum iſto loco, ſed eos Auctores, qui illa docuerunt ſine reſtrictione ad ſcrupuloſos, & magis liberè, quam vel ibi, vel alibi Tamburinus. Denique non erat, cur Tamburinum ſugillaret potiſſimum. Deus prohibeat, ne vel tenuem veriſimilitudinem conciliare coner opinioni eorum, qui affirmarunt illa abſolutè, quæ Tamburinus ſolis ſcrupuloſis præſcripſit: ut tamen appareat vel malevolentia, vel imperitia accuſatoris, qui Tamburinum hic potiſſimum putavit accuſandum, tacens de ceteris, nominandi mihi ſunt ex illis quidam, quorum ſententiam Tamburinus putavit ſcrupuloſis proponi poſſe.

47. Poterat Sinnichius apud Navarrum in Sum. cap.23. num.55. edit. Antverp. legiſſe hæc verba: *Multi*, inquit, *Catholici, in quibus ſunt Imola, & Felinus, & Cajetanus, tenuerunt; nullas leges, quamvis pœnas temporarias non ſtatuant, quatenus ſunt humanæ, ad mortale tranſgreſſorem ſine contemptu, & ſcandalo obligare.*

De

De Cajetano res vulgò nota eſt, quam tradidit in Sum. v. *Clericus* agens de præceptis, quibus interdicitur Clericis ludus alearum, & taxillorum, negotiationes, aliaque: Item quæ in ſum. v. *Iejunium*. Nota item res eſt quam Cardinalis docuit aqud Sylveſtrum v. *Iejunium*.

48. Angelus in Sum. v. *inobedientia* generalius locutus eſt: *Durum valde videtur, quod Prælatus intendat ſemper injicere laqueum mortalis peccati in ſuis præceptis: & ideo ſolum credo, quod ſit in contemptoribus, & illis, qui prævaricationem, & inobedientiam ducunt in conſuetudinem: quia eſt quidam contemptus interpretatus.*

Generalius item Martinus Gromerus, Joannes Ferro, & Servatius de Lairuelz apud Caramuelem in Apologem. Epiſt 4. num. 273. 274. aſſerunt legem Eccleſiaſticam non obligare ſub mortali, niſi ipſa dicat, violationem fore mortalem. Generalius item Collectarius, & *multi alij* teſte Angelo v. *inobedientia*, docuerunt de lege poſitivâ humanâ *inobedientiam non eſſe peccatum mortale*, niſi fiat ex contemptu. Hæc prorſus improbabilia digna erant Sinnichii cenſuris.

49. Fruſtra ſit eos citare minutius, qui univerſè docent, leges civiles non obligare ſub mortali: rationes pro hâc ſententiâ operosè collegit Navarrus in Sum. cap. 23. num. 54. 55. 56. 57. 58. ipſe verò ait, *Manifeſtum eſſe, Reges, & Iudices ſæculares numquam regulariter interpretatos fuiſſe ita, ut ejuſmodi legibus talis obligatio contineretur &c.* Subſcribit Philippus de la Cruz in Pract. de decimis §. 2. num. 5. idque etiamſi leges illæ nullam pœnam imponerent: Item Joann. Valerus in differentiis utriuſque fori v. *ignorantia* differ. 2. Tapia in jure Regni Neap. l. 1. tit. de Legibus §. obſerventur. n. 8. Addit Menchaca 1. controv. c. 29. *Principes ſæculares nec velle*, NEC POSSE *ſuis legibus, & præceptis obligare ad pœnam æternam, ſeu ad culpam mortalem*. Quod idem tenuit Philip. de la Cruz loco cit.

50. Atque ex his Lector diſcat Doctoris Sinnichii vel imperitiam, vel malevolentiam, qui Tamburino potiſſimum vitio verterit, quod loco cit. ſcrupuloſis judicaverit proponendam quorumdam Doctorum ſententiam benignam, *Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligare ſub mortali: Eccleſiaſticas item non multum frequenter.* Quibus verbis inſinuat ne ſcrupuloſis quidem ſequi licere ſententiam dicentium univerſaliter Leges civiliter non obligare ſub mortali, multò minus eorum, qui id affirmarunt de legibus Eccleſiaſticis: quæ profectò opinio omni caret probabilitate, & fundamento veroſimili; præcipuè poſt decretum Alexandri VII. proſcribentis 45. propoſitiones, ſi eam conſideres, quæ eſt ordine 23. & 32.

§. II.

Imperitia Sinnichii in ſugillandâ Doctrinâ Tamburini de lege dubiâ.

51. SInnichius Saulis Exr. cap. 120. pag. 556. col. 2. in Vind. cap. 33. pag. 557. ſugillat regulam à Tamburino poſitam l. 1. c. 3. §. 7. litt. 1. ſub tit. *Leges, & præcepta* n. 1. his verbis: *Si adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit aliqua lex, Excommunicationem v. g. vel præceptum imponens, vel an dicta lex ad aliquem caſum ſe extendat, vel an ſit uſu recepta, vel an fuerit promulgata, vel an aliqua lex ſit conſuetudine introducta, vel an ſit introducta ex obligatione, vel potius ex devotione, non teneris ad illam.*

Hoc loco apparebit multiplex imperitia Doctoris Sinnichii. Sed prius nota Regulam hanc procedere de lege poſitivâ, & quidem humanâ: hoc oſtendit exemplum legis, excommunicationem imponentis, & quæ alia ſequuntur de lege promulgatâ, conſuetudine introductâ &c. Notanda quoque conditio; *Si adhibitâ diligentiâ dubites* &c.

Jam verò ſex capitibus conſtat regula. Singula ſunt videnda.

52. I. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit lex, non teneri te ad illam:* Intellige, ſi dubites, an ſit lata lex: nam ſi conſtet eſſe latam, dubites verò an ſit abrogata, docet ibidem Tamburinus te obligari.

Stupenda res eſt, quod Doctor Sinnichius neſciverit (ſic enim videtur) quam gravium, & quam multorum Doctorum illa eſſet ſententia.

Generaliter non ſolum de lege humanâ, ut Tamburinus loco cit. ſed de quocumque jure humano, divino, naturali, voto, juramento dubitantem non obligari docuerunt illi, qui regulam juris; *potior eſt conditio poſſidentis*, accipiendam putaverunt de poſſeſſione libertatis contra obligationem juris dubii cujuſcumque, ſic docuit Malderus 1. 2. q. 19. a. 6. d. 87. Thomas Sanchez l. 2. de Matrim. d. 41. num. 32. Dicens hujus ſententiæ eſſe omnes Doctores, quos citaverat l. 1. d. 9. num. 11. 12. 13. aſſerentes dubium, an votum emiſerit, illo non teneri: illo autem num. 11. citaverat de *voto expreſsè ſic ſentientes* Sotum, Medinam, Capuam, Manuelem, Enriquez, Ludov. Lopez. Mox ſequenti num. 12. citat Doctores, qui cenſent, puerum dubitantem de rationis uſu, cum vovit, minimè teneri, atque exigi, rem adeò certam eſſe, ut nulla de rationis uſu, aut tenuiſſima ſit dubitatio apud prudentes viros. Sic ait docere Sotum, Bejam, Vegam, Capuam. His Leander à SS. Sacramento tom. 7. tract. 1. d. 43. q. 1. addit Thomam del bene, Gallego, Martinez de Prado, Joſeph, Roſelli, alioſque.

53. Rurſus generaliter, non ſolum de lege humanâ; ſed de quocumque jure id affirmant, qui, quod ex cap. *juvenis.* De Sponſalibus dici ſolet, in dubiis

dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, interpretantur de conſilio, & non de præcepto, vel ajunt ſolum habere locum in practicis dubiis, quando quis non format conſcientiam ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis. Hi ſunt Malderus 1.2.q.19.a.6.d.87.aliique apud Dianam p.4.tract.3.de conſcient. dub.reſol.3.

Quid de ceteris obligationibus putamus eos cenſuiſſe, qui dixerunt, illum quoque, qui non omnino dubitat, ſed magis propendet in eam partem, ut votum emiſerit, non teneri illud implere? Pro hâc ſententiâ Diana p.4.tract.3.reſol.12. citat Garciam, Lorcam, Fernandez alioſque. Quid etiam eos ſentire oportet, qui cenſent conjugem dubitantem de valore ſui matrimonii, bonâ fide contracti, poſt adhibitam diligentiam poſſe non tantum reddere, ſed etiam petere debitum? ſic cenſent Sotus in 4.diſt. 27.q.1.a.3.5. *imo verò*, de la Cruz 1.p.ſpec.a.41.concl.3.& 3. p.a.18.concl. 5. ubi pro ſe citat Magiſtrum ſuum Victoriam. Cenſet quoque Banez 2. 2. q.62. a.6. dub.5. concl.4. multò plures dabit Sanchez lib.2. de matrim. diſp.41.n.46.

Hi, aliique Auctores non ſunt ſtudioſius citandi, quando etiam Tyrones Theologiæ noverunt, rem communiſſime aſſertam à Theologis, reprehenſam à Sinnichio fuiſſe in Tamburino.

54. II. Docet Tamburinus in propoſitâ regulâ, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an dicta lex ad aliquem caſum ſe extendat, non teneri te ad illam.* De hoc non videtur eſſe alia ratio, quam de aſſert. præcedenti: quia ſic reverà dubitas, an ſit lex præcipiens, vel prohibens pro hoc caſu. Interea expreſsè illud docuerunt non pauci. Vide Ludovic. de Schildere de Conſcient. tract. 5.n.36. Dianam p.4.tract.3. reſolut.18.

55. III. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an lex ſit uſu recepta, non teneri te ad illam.* Hæc aſſertio nihil habet magis miri, quam priores duæ, ſuppoſitâ ſententiâ valde communi inter Theologos, & juris peritos, quod ad valorem legis requiratur acceptatio populi, quæ regulariter non ſit, niſi uſu ipſo, & obſervantiâ legis. Sententiam hanc tenet Navarrus in Summâ cap. 23. num. 41. citans Dominicum *per recentiores receptum*, & Felinum: pluribus verò defendit Navarrus lib. 1. Conſil. 1. q.5. contendens leges eſſe *confirmandas moribus utentium*: addens, quod etiam *primi recipientes poſſint excuſari à peccato*, in quo modum exceſſit, ut conſtat ex decreto Alexandri VII. de 45. propoſit. Tenet quoque Sayrus, Clavis Reg.l.3. c.5.num.14. vocans communem Doctorum ſententiam, citanſque plurimos, etiam Driedum. Sed his tam notis non eſt immorandum.

56. IV. Docet Tamburinus, *ſi adhibitâ diligentiâ dubites, an fuerit lex promulgata, non te ad illam teneri.* Si putavit Sinnichius reprehendendum fuiſſe Tamburinum de laxitate, quod ſenſerit eſſe opus promulgatione, ut

lex

Digitized by Google

lex valeat, commiſeratione dignus eſt: admiſsâ autem neceſſitate promulgationis, non eſt magis mirum dubitantem de promulgatione non obligari, quam dubitantem de lege ipsâ, ad cujus ſubſtantiam promulgatio pertinet.

V. Docet Tamburinus, *ſi adhibita diligentiâ dubites, an lex ſit conſuetudine introducta, non te ad illam teneri.*

VI. Docet Tamburinus, ſi adhibita diligentia dubites, an lex ſit introducta ex obligatione vel potius ex devotione, non te ad illam teneri. Imperitia Cenſoris eadem ſæpius ſe prodit: puto, quod liceat nobis pergere ad alia.

§. III.

Inconſideratè à Sinnichio reprehenſus Caſtropalaus de aſſertâ probabilitate docentium, non obligare legem, ſi ſit probabile rem præceptam eſſe illicitam.

57. SInnichius Saulis Exr. cap. 109. pag. 451. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 293. Caſtropalaum accuſat, quod tom. 1. tract. 1. d. 2. p. 6. n. 5. affirmare auſus ſit, *Valde probabile eſſe, obligatum non eſſe ſuperiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam eſſe rem imperatam, vel excedentem ejus juriſdictionem.*

Si erat æquus Cenſor, eos debebat reprehendere, qui id non ſolum dixerunt eſſe probabile, ſed docuerunt abſolutè verum eſſe.

58. Sed inprimis ſcire velim, quid facturus fuiſſet Sinnichius, quando ipſe opinatus eſſet, rem ſibi à Superiore præceptam eſſe illicitam; vel (quoniam Sinnichius nihil opinabatur) quando ipſe dubitaſſet, an res præcepta à Superiore eſſet licita. Obediviſſetne dubiam habens conſcientiam de malitiâ actionis? non obediviſſet, ſi erat vir probus. Hic ego contra Sinnichium verbis iis utor, quibus ipſe loco cit. contra Caſtropalaum. *Ex his facile quiſque perſpicit, quam levi negotio poſſunt ſubditi, eludere leges, ac præcepta Superiorum ſuorum.* Non licet opinari, ſi Sinnichio credimus Saulis Exr. cap. 97. in Vind. cap. 10. namque *opinari turpiſſimum eſt: opinionum dictamina nihil aliud ſunt quam ignorationum Symptomata: humana opinio monſtrum eſt, aut monſtro æquivalens;* cavebunt ergo ſibi ſubditi, ne opinentur, rem à Superiore præceptam eſſe licitam. Sed quam facile, & quam ſæpe continget, non eſſe certum ſubdito, quod actio præcepta ſit licita! Quantò etiam facilius incertitudinem obtendet ſubditus, etiam cum incertitudo non eſt? Hic ergo ſubditus contendet, non ſolum non ſe debere, ſed neque licere ſibi obedire, deſtitutus ſcilicet conſcientiæ dictamine de ho-

neſtate

Digitized by Google

neſtate actionis præceptæ, Licebit ergo rurſus contra Sinnichium verb illis uti, quibus ipſe loco cit. contra Caſtropalaum : *Facile quiſque advertere poteſt, quantopere ab his probabilitatum patronis* (dicamus; *Improbabilitatis patronis*) *coarctetur legis lativa Principum poteſtas; ſubtrahendo eis omnia de quibus habeatur probabilitas in oppoſitum : ſubſtituamus, ſubtrahendo eis omnia, quorum honeſtate habeatur aliqua incertitudo : etſi probabilius ſit eſſe honeſt* Sed pergamus.

59. Licere ſubdito non obedire ſuperiori, quando eſt probabile re præceptam eſſe illicitam docuit abſolutè non ſolum Joannes Sanch d.33. n.31. 32. ſed etiam apud illum Ledeſma tract. *de los eſtados*, ubi *de Religioſos en comun.* cap. 4. docuit idem Franc. de Lugo de Conſcient. p. cap.3. num.97. Salas 1.2. tract.8. ſect.8. num.78. Sayrus verò l. 1. Cla Reg.cap.13. num.41. ſic loquitur; *Quando Prælatus aliquid præcipit, de cuj præcepto ex probabili cauſâ ſubditus dubius eſt, an ſit juſtum, non ſemper tenet ſubditus obedire, ſed in eam partem inclinandum eſt, in quâ minus eſt pericu.* Neque ſatis apparet, quomodo ſententiam eamdem poſſit rejicere illa tu ba Doctorum apud Joannem Sanchez dub.33. num.54. quæ aſſerit, po nitentem poſſe non obedire Confeſſario, ductum probabili opinione, im Confeſſarium teneri ſe conformare pœnitentis opinioni.

Denique in favorem ſubditorum contra Superiores multo amplius l cutus eſt Adrianus quolib. 2. q.2. pag. mihi 35. col.2. ubi ad quæſtione propoſitam pag.24. col.2. *An teneamur obedire in probabili dubio, an actus, q præcipitur, ſit peccatum mortale*, Reſpondet negative.

60. Quod ſi quæratur, an ſubdito liceat non obedire, quando habet opinio probabilis, quod ſit illicitum obedire, etiam illi Auctores vulgò ſu ſcribunt, qui negant, licere ſubdito non obedire, quando habetur opin probabilis, rem præceptam eſſe illicitam. Conſtat hoc de Thomâ Sa chez, aliiſque : ſed non eſt immorandum.

Licere etiam ſubdito non obedire ſuperiori, quando eſt probabil rem præceptam excedere juriſdictionem Superioris docuit non ſolum, probabile, ſed omnino abſolutè Merolla d.3. cap. 4. num. 65. Januari p.1. Reſol. moral. 44. num. 13. Rocafful Theol. Moral. pag. 3. l.1. cap. num.70. Giragus de regimine Regular. p.3. d.30. Joannes Sanchez d.3 num. 32.

Patet ex his nullam fuiſſe cauſam, cur Doctor Sinnichius Caſtropalau reprehenderit potiſſimum, quod eam ſententiam dixerit probabilem, qua Doctores tam multi, & graves tenuerunt abſolutè.

Digitized by Google

§. IV.

Quid cauſæ habuerit Sinnichius, cur Tamburinum præcipuè reprehenderet circa doctrinam de lege imponente Gabellas.

61. SInnichius Saulis Exr. cap. 109. pag. 450. col. 2. in Vind. cap. 22. pag. 293. Tamburinum perſtringit, quod l. 1. cap. 3. §. 7. litt. G. n. 1. aſſeruerit, probabilem eſſe ſententiam affirmantium, non obligari ſubditum ad ſolvendam gabellam, ſi omnibus expenſis dubitet, an gabella ſit juſtè impoſita, vel probabile ſit, non eſſe juſte impoſitam.

Quam ſententiam Tamburinus vocavit probabilem, eam tenuerunt abſolutè Auctores multi, & graves. Nam quod attinet ad caſum, quo eſt dubia juſtitia gabellarum, non teneri ſubditos ſolvere, non obſcurè docet Cajetanus v. *vectigalia*: cum enim dixiſſet, *tot conditiones exigi ad juſta vectigalia, ut difficile forte ſit invenire vectigalia juſta*, enumeraſſetque conditiones multas, poſt pauca *Præſumendum*, inquit, *videtur contra juſtitiam vectigalium, ſi non appareant conditiones* illæ enumeratæ, & requiſitæ ad illorum juſtitiam: non apparent autem, quando eſt dubium, an ſubſiſtant; adeoque an juſta ſint vectigalia: in quo caſu docet, non teneri ſubditos. Texeda tom. 1. controverſ. lib. 1, tract. 2. controv. 14. dub. 4. n. 46. Sylveſter v. *gabella* 4. n. 6. dicit *occultantes bona*, quibus impoſitæ ſunt talliæ, *meritò de nimiâ aggravatione dubitantes, videri poſſe excuſari ſecundum Archidiaconum*.

62. Joannes de la Cruz direct. p. 1. de 7. præcepto q. 7. a. 3. num. 4. cum dixiſſet, in dubio de juſtitiâ tributi, ſi ſit antiquum, eſſe reddendum: *At*, inquit, *ſi tributum ſit novum, & tunc rationabiliter dubitetur de ejus juſtitiâ, aliter eſt dicendum: nam cives tunc ſunt in poſſeſſione, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis*: citat verò pro ſuâ ſententiâ Gabrielem, Medinam, Aragon, Man. Rodriquez, & Ledeſmam. At verò Molina tom. 3. p. 1. d. 674. n. 7. ſic loquitur: *Quando tributa ſunt nova, & non conſtat de illorum juſtitiâ, ſed dubitatur, an deſit aliquid ex requiſitis, ut ſint juſta*, AFFIRMANT DOCTORES COMMUNITER *non deberi in conſcientiâ* &c. citat pro illâ ſententiâ Cajetanum, Angelum, Sylveſtrum, Gabrielem, Medinam, & alios tacito nomine, quos dicit ab illis citari. Fumus in Armilla v. *gabella* n. 18. ſic docet. *Quando gabellæ ſunt dubiæ, an ſint juſtæ, ſicut communiter hodie ſunt, ut diximus, confeſſores non debent cogere confitentes ad reſtitutionem*. Docet idem de tributo novo Lud. Lopez Inſtructorii p 2. cap. 37. q. 1. quando *ejus impoſitionis juſta cauſa lateret, quia tunc tale tributum præſumendum eſſet injuſtum*.

63. Quod verò attinet ad caſum, quo eſt probabile, gabellas non eſſe juſtas, non teneri ſubditos eas ſolvere, docent plurimi; Vericelli tom. 1.

quæſt.

quæſt.tract.2.q.32. n.5. citans non paucos: Petrus à Navarra de reſt.lib.3. cap.1. num. 267. Malderus tract.5. de Juſt. & jure cap.6. dub.4. concl.6. Barnabas Gallego tract. de conſ.prob. circa regem dub.19. citans D. Antoninum, & Lud.Lopez, dicens quoque, iſti ſententiæ favere Sylveſtrum, & Armillam. Valde expreſsè Alph.Vega in Sum.1.p.c 15.caſ.11.Notabil. 4. permittit, ut ſubditi ſequantur opinionem etiam minus probabilem de injuſtitiâ tributorum: citat Cordubam alioſque: expreſsè item Bonacina diſt.2.de reſtit.q.9.p.1.n.7. Leſſius denique affirmat l.2.de Juſt.c.33.n.67. ſententiam eſſe *communem Doctorum*.

Prætereo Auctores minimè omnium audiendos, qui etiam non ſolventes tributa juſta excuſant à mortali, & ab onere reſtituendi, præcipuè ſi agatur de tributis impoſitis in uſualia. De illis vide Dianam p. 1. tract. 10. reſol.19.

His conſideratis lector judicet, quid cauſæ fuerit, cur Sinnichius Tamburinum potiſſimum perſtringeret, qui hoc unum affirmavit, probabile eſſe, non obligari ſubditos in caſu dubii, vel probabilitatis de injuſtitiâ gabellæ.

CAPVT V.

De Præcepto Fidei, Spei, & Charitatis.

§. I.

Quid judicio Sinnichii, & quid re ipsâ docuerit Tamburinus de præcepto Charitatis,

64. SInnichius Saulis Exr.cap.102.pag.401.col.1. & 2. in Vind.verò cap.15.pag. 174. affingit Tamburino hunc articulum: *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.*

Tamburini verba in Dec. l.2. cap.3. §.2. n.2. quæ vocantur in invidiam, hæc ſunt: *Mihi placet doctrina Azorii, qui docet, hoc præceptum charitatis impoſitum fuiſſe ob juſtificationem impii, ſolum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, quâ ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis, quæ ſemper aliquò tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti involvit &c.*

Ego verò mox oſtendam, etiam hærendo in cortice horum verborum, ubi hæret Sinnichius, verba Tamburini procul diſtare ab articulo reprobato. Sed prius penetremus paulò altius, quò non curavit Sinnichius penetrare.

65. Dico, Tamburinum hoc ſolum docuiſſe, præceptum charitatis non obligare pro aliquo tempore determinato; niſi quando debet juſtificari peccator extra oportunitatem Sacramenti.

Moveor I. Quia Tamburinus dicit placere ſibi doctrinam Azorii tom. 1. lib. 9 cap. 4. q 1. Azorius autem ibi profitetur, ſe docere de præcepto charitatis, quod docuerat de præcepto fidei, & ſpei. De præcepto autem fidei reverà id docuerat lib. 8. cap. 7. q. 6. ubi ultimate concludit his verbis: *Et proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem credendi, cùm impius lege, & precepto compellitur ad juſtitiam adipiſcendam: quâ obtentâ præceptum fidei non habet amplius vim obligandi,* ITA UT CERTO TEMPORE FIDEI ACTUM ELICERE DEBEAMUS.

Idem Azor. l. 9. c. 2. q. 6. cum dixiſſet, *ſpei præceptum habere ſuam vim, cum pœnitentiæ præcepto, & lege compellimur ad anteacta vitæ peccata deteſtanda* &c. quærit ulterius, *An homo poſt obtentam Dei gratiam, & veniam peccatorum,* ALIQUO CERTO TEMPORE *debeat ſpei actum elicere.* Reſpondet verò ſic: *Aliis verò temporibus* DIFFICILE EST DEFINIRE PRÆCISE *quandonam ſpei actum præſtare debeamus; niſi cum ſpes noſtra tentatur* &c. Ecce non dubitat, quin aliis temporibus debeamus ſpei actum præſtare; ſed dicit, eſſe *difficile definire præcisè illa tempora.* Eadem eſt doctrina Azorii de præcepto charitatis, ut profitetur, eadem Tamburini, doctrinam Azorii ſequentis, ut & ipſe profitetur.

66. Moveor II. Quia Tamburinus l. 2. cap. 3. §. 2. ubi videtur negare, dari *ſpeciale præceptum* charitatis, explicat n. 3. quid intelligat per *ſpeciale præceptum*; nimirum *ſpeciali tempore implendum,* hoc eſt tempore certo, & determinato: negat dari tale præceptum, & confirmat eorum auctoritate, qui dicunt præceptum charitatis ſolum eſſe *generale, & imbibitum in omnibus præceptis*: neque ipſe reverà approbat hanc doctrinam; niſi quatenus negat determinatum tempus, quo obligat præceptum charitatis, quatenus eſt diſtinctum à cæteris præceptis, etſi & inſinuet reliqua omnia præcepta eſſe quoddam præceptum dilectionis: qui modus loquendi eſt valde conformis Scripturis, Patribus, & multis Theologis.

67. Moveor III. Quia Tamburinus lib. 2. cap. 1. §. 1. ubi num. 10. declarat, non aliter ſe ſentire de præcepto charitatis, quam de præcepto fidei, & ſpei, probat ſuam aſſertionem de præcepto fidei eo argumento, quo reverà ſolum concluditur præcepta illa non habere certum tempus, quo determinatè obligent: ſic enim probat: *quia, ut alibi diximus, numquam præceptum aliquod obligat, niſi ſit determinatum: cum enim non poſſit ut indeterminatum exire in executionem, non cenſetur practicè eſſe completum.*

68. Moveor IV. Quia Tamburinus illis verbis, *ut alibi diximus,* remittit lectorem loco ad marginem adnotato ad Opuſc. de expedit. ſacrif. l. 2. c. 2. §. 16. n. 5. ubi illam ipſam adhibens rationem de præcepto Communionis,

& Con-

Digitized by Google

& Confeſſionis, hoc unum concludit, non obligaſſe illud, niſi in articulo mortis, donec Eccleſia tempus determinavit.

Ob hæc omnia, cum videtur dicere Tamburinus, numquam obligare præceptum charitatis, niſi ratione alterius præcepti, ad cujus obſervantiam eſt neceſſaria charitas, poteſt, debetque intelligi de obligatione pro certo, & determinato tempore, numquam ſatis determinando, niſi per articulum mortis, ſi ante non fuerit impletum; conſequenter dixit, ne quidem per ſe obligare in articulo mortis, cum poſſit alio tempore impleri. Verſentur, & excutiantur omnia, quæ de præcepto illo diſſeruit, non probabis pejus aliquid docuiſſe illum de præcepto Charitatis.

69. Sed nos animi causâ arripiamus verborum corticem, in quo gaudet inhærere Sinnichius: *Præceptum charitatis ſolum tunc obligat, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, quâ ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis &c.*

Hæc ſic excipit Sinnichius: *His verbis æquivalenter à Tamburino tradi prædictum articulum patet ex eo, quod in rigore loquendo fieri poſſit, ut numquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Porrò Articulus, quem nominat, hic eſt: *In rigore loquendo videtur quod homo non teneatur umquam per totam vitam elicere actum amoris Dei.*

Cenſet ergo Sinnichius, hanc argumentationem eſſe bonam; *In rigore loquendo fieri poteſt, ut numquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Ergo *In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.*

70. Inepta eſt argumentatio I. quia ex mente Auctoris procedit à poſſibili ad actum, ut per ſe patet: II. quia vel à particulari procedit ad univerſale, vel ab eo, quod re ipsâ eſt impoſſibile, ad actum ipſum; quo nihil eſt inſulſius. Etenim in antecedenti cum dicit, *In rigore loquendo fieri poſſe, ut nunquam deſit impio via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ*; vel loquitur de *impio* generatim, ut ſenſus ſit, fieri poſſe, ut omnes prorſus impii juſtificentur per Sacramentum; hoc verò certè moraliter fieri non poteſt, imo ne phyſicè quidem in hoc rerum ordine, ut quilibet per ſe intelligit: vel repugnante Dialecticâ, & conſtructione verborum, id ſolum affirmatum voluit de Impiis quibuſdam: tum verò argumentatio hunc modum habet; *Fieri poteſt, ut alicui impio numquam deſit via ſe juſtificandi per Sacramentum Pœnitentiæ.* Ergo *Homo non tenetur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei.* Inferendum erat: *Ergo fieri poteſt, ut aliquis homo &c.*

71 Inepta denique eſt argumentatio, quia concludit negando obligationem amoris Dei cujuſcumque, ex eo quod Tamburinus negaverit, quoſdam homines in certis circumſtantiis obligari ad amorem Dei ſuper omnia, & juſtificantem; quaſi nullus eſſe queat actus amoris Dei, quin ſit idem perfectus, potenſque juſtificare.

72. Quo-

72. Quoniam verò Doctor Sinnichius Saulis Exr. pag. 402. col 2. in Vind. pag. 178. conqueritur, Tamburinum nullos Auctores pro ſuâ ſententiâ citaſſe, atque inde colligit, *vel nullos ei occurriſſe, vel non niſi tales, quos nominare ſuppuduerit.* Quoniam etiam Saul. pag. 404. col. 1. in Vind. pag. 180. 181. *miratur quomodo Theologo Chriſtiano irrepere in mentem potuerit ea perſuaſio*, affirmatque ideo irrepſiſſe, *ut novam ſententiam procuderet*, poſtulare hic locus videbitur, ut citem eos Auctores, qui ſpeciale præceptum charitatis non agnoverunt. Sunt illi mihi ad manum: ſed quia cenſeo inter Propoſitiones 45. ab Alexandro VII. damnatas, nullam eſſe abſurdiorem, quam primam, quatenus affirmat, *hominem nullo umquam vitæ ſuæ tempore teneri elicere actum charitatis, &c.* quam doctrinam Tamburino Sinnichius attribuit, malo prorſus Cenſori condonare ſuam in hoc puncto inſcitiam, nigramque ſuſpicionem, quam in gratiam Tamburini Theologos alioqui inſignes vocare etiam in tenuem ſuſpicionem doctrinæ tam indignæ, & prorſus pudendæ.

73. Nota mihi ſunt illa, quibus iſti doctrinæ favere D. Thomas videri poſſit incautis: ſed numquam mihi excident illa, quę lego diſertiſſima omnino 1.2.q.100.a.10. ubi dicit; *Actum charitatis, ſecundum quod eſt quidam actus per ſe, cadere ſub præcepto legis, quod de hoc* SPECIALITER DATUR; *ſcilicet Diliges Dominum Deum tuum.*

74. Eſt enim verò lex illa non minus inſcripta cordibus humanis, quam paginis ſacris, quam & uno ore agnoſcunt Theologi omnes, ſi paucos demas, quibus etſi Tamburinum non adnumerem, cenſeo tamen reprehenſione dignum, quod neque ſatis amplè, neque ſatis clarè locutus ſit de lege illâ charitatis: ſed nego dignum eſſe eâ reprehenſione, quâ illum perſtrinxit Sinnichius, cum neque tradiderit Articulum, quem illi affingit, neque ſi tradidiſſet, verum eſſet, *novam ſententiam ab illo procuſam*; multo minus verum eſſet, *deſiderio procudendæ novæ ſententiæ*, ſic illum docuiſſe; quæ cum affirmavit Sinnichius, valde læſit charitatem tam temerè judicans.

§. II.

An Tamburinus conatus ſit enervare præceptum Fidei, Spei & Charitatis.

75. SInnichius Saulis Exregis cap. 102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag. 181. reprehendit Tamburinum, quod generali quâdam ratione conetur enervare vim præceptorum Fidei, Spei, & Charitatis, ita ut nullum eorum umquam obliget *directè, & per ſe*, ſed *indirectè ſolùm, & ratione alterius* præcepti, quod ſine actu fidei, ſpei, aut charitatis ſervari non poteſt.

De

De doctrinâ Tamburini pertinente ad præceptum charitatis jam vidimus: poſſunt modo dicta etiam accommodari huic loco.

Quod attinet ſpecialiter ad præceptum fidei, fatetur Tamburinus l. 2. cap. 1. §. 1. num. 8. ſimulque 9. omnes obligari *ex vi medii ſimul, & præcepti*, elicere actum fidei, *ut primum propoſiti ſufficienter ſunt articuli Fidei.*

Fatetur deinde ibidem l. 9. *Fideles* SÆPISSIME *obligari per accidens, ex vi aliorum præceptorum*, ad credenda ea Myſteria, quæ recenſuerat n. 5. Porro de præcepto Spei non aliter cenſet ratiocinandum, ut oſtendit n. 10.

76. Mirum eſt Doctori Sinnichio hæc tam admirabilia viſa in Tamburino potiſſimum. Legiſſe poterat, quæ multò ante ſcripſerat Petrus Ledeſma tom. 2. Theol. Moral. tract. 3. cap. 4. ubi concluſio 4. eſt hæc: „ Sæpe tenetur homo exercere actus ſpei, quando hujuſmodi actus ſunt neceſſarii, ad implendum aliquod aliud præceptum; ut v. g. ad agendam pœnitentiam ..... Sed eſt dubium, utrum, ſi tunc non ſperet, committat duplex peccatum: nempe quia non agit pœnitentiam, & quia non ſperat ..... Reſpondetur negativè: quia ſolum præceptum, ſcilicet pœnitentiæ, per ſe obligat: aliud verò, ſcilicet ſpei, non niſi ratione pœnitentiæ. Eandem ſententiam de præcepto fidei tradit Baſſæus in Flor. Theol. pract. v. *Fides*: item de præcepto ſpei ibidem v. *ſpes*. Eandem tradit de præcepto fidei Villalobos in Summâ tom. 2. tract. 1. diffic. 2. relatis verbis à Diana p. 5. tract. 13. reſol. 19. qui & Aragonium citat in 2. 2. q. 10. a. 1. His multo plures inveniſſet Sinnichius, niſi tempus conſumpſiſſet in Tamburino, cujus ſententiam de præcepto fidei non putavit cenſurâ dignam Franciſcus Bonæ Spei, qui tract. de fide diſp. 7. dub. 1. num. 44. ad quæſtionem, *quo tempore præceptum fidei obliget*, rejectis aliis opinionibus, non aliter reſpondet, quam præceptum *illud obligare, quam primum fidei objectum ſic eſt propoſitum, ut moraliter non cenſeatur ulla eſſe actus fidei differendi occaſio.* Nihil minus reſpondit ad quæſtionem illam Tamburinus. Etiam Guilielmus Herinx tract. de virt. d. 10. ſect. 3. n. 29. & 30. excuſſis variis Doctorum ſententiis de tempore, quo obliget præceptum ſpei, omnia cenſuit eſſe tam infirma, ut nequidem putarit ſibi aſſerendum abſolutè, dari *ſtrictum præceptum ipſius actus formalis ſpei.* Sed hos Sinnichius adire non potuit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Præcepto Orationis.

§. I.

An Tamburinus eliſerit præceptum divinum de orando Deo.

77. Sinnichius Saulis Exr. cap.102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag.182. Tamburinum accuſat quod l.2.c.4.§.2.n.4. *elidat præceptum divinum de orando.*

Non elidit, ut patet ex his ejus verbis num.3. „ Duplex eſt præceptum „ de orando, idemque de adorando Deum. Alterum naturale, quia præ„ ciſo quocumque Eccleſiæ præcepto tenemur bona, quæ nobis ſunt con„ venientia, procurare, & mala removere. Removere autem tentationes, „ multaque alia mala, & procurare bona, maximè ſupernaturalia, & præſer„ tim perſeverantiam in bono non poſſimus, niſi ea expectando, & impe„ trando à Deo.

Denique fatetur ibi Tamburinus, ſic ſe ſentire de præcepto orationis, ut de præcepto charitatis; oſtendi autem de præcepto charitatis ſpeciali hoc unum docuiſſe Tamburinum, illud non dari ita, ut obliget pro certo, & determinato tempore.

78. Tandem etiam debuiſſet lenire animum Cenſoris reverentia D. Thomæ, qui in 4. ſent. d.15. q.4. a.1. ad.3. quæſt. ſic docet: *Dicendum quod oratio cadit ſub præcepto & determinatè, & indeterminatè. Determinatè quidem ad aliquas orationes ex præcepto tenentur Miniſtri Eccleſiæ* (idque *ex officio,* ut ait) *ſed indeterminatè ad orationem quilibet tenetur, ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia ſic procuranda, quæ non niſi divinitus dantur ..... Et etiam ex hoc ipſo, quod charitatis præcepto tenetur proximum, ſicut ſeipſum, diligere; adeoque ei ſubvenire per eleemoſynam ſpiritualem &c.* Denique nullam ibi agnoſcit S. Doctor obligationem directam ad orandum, quam ſolam videri poteſt negaſſe Tamburinus.

79. Non poteſt non eſſe plurimorum auctorum ſententia, quæ D. Thomæ placuit. Unde & Guilielmus Herinx tract. de Relig. diſp. 1 q.3.n.18. „ Notant, inquit, varii Doctores aliis contradicentibus, orationem eate„ tenus ſolum cadere ſub præceptum, quatenus præceptus eſt finis, ad „ quem eſt medium neceſſarium. Hanc etiam, & non aliam neceſſitatem „ Scriptura, aliæque auctoritates indicant ..... Præterea omittendo ora-

„ tionem

„ tionem ſolum committitur peccatum contra præceptum obligans ad finem, v.g. ſi oratio ſit neceſſaria ad ſervandam caſtitatem omittens peccabit contra caſtitatem ..... Quare non eſt diſtincta malitia omiſſæ orationis &c.

Idem videtur ſenſiſſe Franciſcus Bonæ Spei tract. de Relig. diſp. 1. dub. 1. n. 14. ubi de neceſſitate orationis hoc unum definit: *eſſe neceſſariam, prout neceſſaria ſunt auxilia ad tentationes vitandas, gratiam habendam &c.* Atque hi duo viri ſunt graves Auctores Noſtrates, quorum judicium etſi ſolum pro ſe obtinuiſſet Tamburinus, non debuiſſet terreri cenſuris Sinnichii.

§ II.

Eximitur Tamburinus impoſturâ Sinnichii de attentione Orationis.

80. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 434. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 254. Tamburinum ait contendere, ſatis eſſe attentionem externam *in audiendâ miſſâ de præcepto &c.* Sed lectorem ibi mittit ad §. 399. illo igitur §. hoc eſt Saulis Exr. pag. 428. col. 2. in Vind. pag. 240. de Tamburino ſic loquitur: *Sed audiamus eumdem alibi in hâc ipsâ materiâ laxioribus indulgentem, vel potius, ut præ ſe fert ſcrupuloſioribus medentem, quibus ſuggerit, ut perſuaſum habeant, in audiendo miſſam de præcepto, vel recitandis horis ex obligatione, ſatis eſſe attentionem externam, unde poſſe quemlibet voluntariè diſtrahi.*

Tamburinus lib. 1. cap. 3. §. 8. unde ſumpta ſunt verba illa, reverâ hoc agit ex profeſſo, ut ſcrupuloſis ſubveniat. Sinnichius autem, pro ſuâ benevolentiâ in hunc Auctorem, *Audiamus*, ait, *eumdem alibi laxioribus indulgentem*: ipſum puduit hujus dicti: Unde, *vel potius*, inquit, UT PRÆ SE FERT, *ſcrupuloſioribus medentem.* Languida correctio, quid erat opus iſto, *ut præ ſe fert*? ſimulavitne Tamburinus, ſe ſcrupuloſis mederi, & laxioribus indulgere ſtuduit? Vide ſuſpicionem atram. Erraverit in quibuſdam Tamburinus: erravit in multo pluribus, graviuſque Sinnichius; quæ res eſt nota vulgo. De mente ſuâ, & intentione rationem reddidit ſupremo Judici Sinnichius, reddet quoque Tamburinus, cum hinc evocabitur. Interea ille rectæ intentionis ſuæ argumenta præbere pergit vitâ innocente, & inculpatâ.

Jam verò quid reprehenſionis meretur remedium illud à Tamburino ſcrupuloſis præſcriptum? conſulantur Theologi etiam liberius vulgò medentes iſti hominum generi, ne denique attentione orationis hoc efficiant, ut inepti ad orandum ſint.

Rectius citaſſet Sinnichius Tamburinum l. 4. c. 2. §. 1. n. 19. 20. 21. ubi ut probabilem amplectitur ſententiam affirmantium, tempore ſacri, & in

 reci-

recitatione officii divini non eſſe neceſſariam attentionem internam; ſed iterum, iterumque ſignificat, attentionem ſe intelligere *actualem*, monetque, ſe loqui ſolum de neceſſitate ſub *peccato mortali*.

81. Denique ille Cenſor quare ſe occupavit in ſcrupulis, & ſcrupuloſis, quibus ſubvenire ſtuduit Tamburinus? Decebat illum non ignorare, quam multi, & quam graves viri docuiſſent ſimpliciter, non requiri attentionem internam, ut ſatisfiat præcepto recitandi Horas canonicas.

Sic docuit S. Atoninus 3. p. Tit. 13. cap. 4. §. 7. ubi hæc lego: „ Quæritur, utrum attentio in Horis dicendis ſit neceſſaria. Reſpondeo quamvis aliqui dixerint, quod ſic . . . . . benignior tamen eſt ſententia ſecundum Hoſtienſem, qui dicit, quod in præcepto eſt horas dicere, ſed alia quæ in devotione conſiſtunt, ſuadendo dicuntur . . . . . Et hunc intellectum teneas, qui benignior eſt, & quia non debet Eccleſia alicui laqueum injicere: nec homines debet Eccleſia oneribus importabilibus alligare! conſtat ſibi §. 8. & citat pro ſe Hoſtienſem, Hen. Umbertum.

Sic docuit Sylveſter in Sum. v. *Hora.* q. 11. num. 13. „ Et ideo, inquit, dico ex mente D. Thomæ, & Petri de Palude, quod ibi præcipitur devotio, quantum ad actum interiorem, ut non dicantur horæ operando manualiter, aut confabulando &c. & ſimiliter quantum ad actum interiorem, ſine quo iſte exterior haberi non poteſt . . . . non autem attentio; ſine quâ prædicta eſſe poſſunt.

Sic docuit Angelus v. *Hora* n. 27. *Evagatio, quæ eſt advertentis, & ſolum ſecundum actum interiorem,* LICET SIT TEMERARIA, ET GRAVIS, *non tamen eſt mortale, niſi propter contemptum.*

Durandus in 4. d. 15. q. 12. num. 6. *de ipsâ evagatione temerariâ, & gravi,* quæ *eſt à propoſito,* dicit, *fortè tamen non eſſe peccatum mortale, niſi eſſet contemptus: quia Eccleſia non habet judicare de actibus merè interioribus, & ideo non poteſt eam ponere ſub præcepto. Propter quod,* inquit, *Miniſter Eccleſiæ, ſi dicendo horas ſcienter cogitat aliud, non videtur transgreſſor præcepti Eccleſiæ, quantum eſt ex naturâ facti:* mox contrarium ait videri, ſi occupatio externa non compatiatur attentionem.

Ut paucis abſolvam: Leander à SS. Sacr. tom. 2. de Sacramentis tract. 6. d. 13. q. 13. citat præter jam dictos Gloſſam, Archidiaconum, Joan. Medinam citatos à Leſſio, item Ægidium, Valerium, Dianam: ipſe verò *ſine metu,* inquit, *probabilem eſſe affirmo cum Leſſio, Henriquez, Victorello, Layman:* citat denique pro ſententiâ Machadum. Valerius quoque in differ. utriuſque fori v. *Hora* differ. 1. pro eâdem refert Doctores viginti. Unde non eſt mirum poſt hæc Guilielmum Herinx tract. de Relig. d. 2. q. 4. num. 40. ſic pronuntiaſſe: *Cenſeo valde probabile ab Eccleſiâ non præcipi attentionem internam, ſed ſolum externam.* Meritò tamen & cenſet præcepiſſe

quoque

quoque internam; ſed ille vir ſapiens non erat promptus tam flocci pendere auctoritatem tot Doctorum, uti fuit Sinnichius.

Atque illa ſuperiora tam publica, & notoria ignoravit Doctor Sinnichius: vel ſi non ignoravit cenſor fuit mirabilis, cui hoc potiſſimum diſplicuerit, quod Tamburinus dixerit, monendos ſcrupuloſos, ut ſciant probabile eſſe, *in audiendo miſſam de præcepto, & recitandis horis ſatis eſſe attentionem externam.*

§. III.

Quam ſyncere, & quanto jure Sinnichius Tamburinum accuſaverit circa intentionem perverſam recitandi horas.

82. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 435. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 256. Tamburinum ait docere l. 2. cap. 5. §. 3. num. 3. *Te ſatisfacere præcepto, ſi horas recites animo non ſatisfaciendi.* Invidioſiſſimè omiſit, quæ mox ſubdit Tamburinus: *Teneris tamen tempore præcepti ab hoc animo ceſſare, & velle obedire præcepto: ſecus enim præceptum ipſum voluntate violares; unde & peccares.* Cur hæc non adnotavit Sinnichius? illis adnotatis patet inanem eſſe criminationem.

Debebat quoque inquirere, an illud ipſum non docuiſſent abſolutè illi viri, quos non erat decens abipſo reprehendi omnes de laxitate. Sic docuerat Garzias de benef 3. p. tract. de obligat. recitat. cap. 1. num. 198. dicens *ita tenere multos Thomiſtas.* Bonacina tom. 1. de Horis Can. d. 1. q. 3. p. 2. §. 1. num. 31. citans Paulum Squillas, Molfeſium, Francoſinum, Barſam, alioſque multos. Sic docuerat Franc. Suarez de Horis Can. cap. 26. num. 8. & ſequentib. Naldus v. *Officium divinum* num. 3. Vaſquez Opuſc. de Beneficiis cap. 4. §. 1. dub. 7. num. 114. in fine. Thomas Sanchez l. 1. in Dec. cap. 13. num. 13. Alios referre non lubet, præcipuè eos qui cenſent, opus eſſe, ut ſaltem poſt recitationem mutetur intentio: hoc verum eſt, etiam ex mente Tamburini, quod non liceat continuare iſtam intentionem, poſtquam decreviſti non recitare iterum, quod fortè ſolum aliqui ex iſtis voluerunt.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Præcepto Communionis, & Confeſſionis.

Magnum peccatum Tamburini, potiſſimum judicio Sinnichii.

83. SInnichius Saulis Exr. cap. 102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag. 182. putavit adnotatu dignum, quod Tamburinus doceat non obligaſſe *præceptum Confeſſionis, & item Communionis extra mortis articulum, antequam Eccleſia determinaſſet tempus Paſchale.*

Credimuſne, ignoraſſe Doctorem Sinnichium, fuiſſe permultorum ſententiam, qui nec in articulo mortis, quem excipit Tamburinus, nec in reliquâ vitâ agnovere præceptum divinum communionis, ſed ſolum Eccleſiaſticum? Apud Sylveſtrum v. *Eucbariſtia* 3. ſic lego. *Sumptio Eucbariſtiæ non eſt ex neceſſitate ſecundum ſe, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ*: citat D. Thomam. Audiamus quoque S. Bonaventuram in 4. d. 12. a. 2. q. 1. *Dicendum quod Sacramentum hoc non eſt de neceſſitate, quantum eſt de ſua inſtitutione: ſed ſi eſt, hoc eſt ex aſſumpto officio, vel mandato ſuperaddito.* Audiamus Alex. Alenſem 4. p. q. 11. memb. 2. a. 4. §. 1. prope finem: *Hoc Sacramentum non eſt de neceſſitate ſalutis, quantum eſt de ſui inſtitutione, ſed ſi hoc eſt, eſt de mandato ſuperaddito v. g. Eccleſia conſtituit &c.*

De ipſo D. Thomâ audire poterat Sinnichius Cajetanum in 3. p. q. 80. a. 11. *Multi Doctores, inquit, & Auctor in 4. ſent. d. 9. q. 1. a. 1. tenent communionem non eſſe ex Chriſti, ſed Eccleſiæ præcepto neceſſariam: & rationes in litera allatæ, inferentes communionem eſſe ſub præcepto Chriſti probabiles ſunt*: paulo poſt dicit eas tamen rationes *non eſſe accipiendas ut coactivas.* Concludit denique tutiorem apparere viam Auctoris hic, quamvis cogens ratio non appareat. Adiri poteſt Leander tom. 2. de Euchariſt. tract. 7. d. 2. q. 1. citans pro ſententiâ illa etiam Charthuſianum, Gabrielem, Graffium, aliosque.

An ignoravit Doctor Sinnichius, quid de præcepto confeſſionis, quatenus divinum eſt, non obligante ante mortis articulum docuerint graves, & perantiqui viri? Res notior eſt, quam ut immorandum ſit Suarez de Pœnit d. 35. ſect. 3. num. 6. pro ea ſententiâ citare non dubitavit D. Thomam, Scotum, Durandum, Gabrielem, Richardum, Paludanum. Hi erant excutiendi Sinnichio: ſed Tamburinus erat exagitandus.

CAPUT VIII.

De Præcepto colendi Feſta.

§. I.

Immeritò accuſatum à Sinnichio Tamburinus potiſsimum circa obligationem abſtinendi à labore ſervili.

84. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 431. col 2. in Vind. cap. 20. pag. 247. Tamburinum reprehendit, quod *excuſet plane Barbitonſores, atque etiam Sutores à violatione feſtorum, titulo ſignanter lucri ceſſantis.*

Tamburinus l. 4. cap. 3. ſ. 2. num. 13. loco citato à Sinnichio, illos excuſat, non titulo cujuſcumque lucri ceſſantis; ſed *ex lucro ceſſante* NON ORDINARIO, quando alioqui *facilè*, ut loquitur, *à pleriſque relinqueretur, cum notabili lucri jacturâ.*

Accuſat ibidem Sinnichius Tamburinum, quod loco citato num. 8. *Cenſeat generaliter excuſari quoſcumque Artifices die feſto laborantes ſpe notabilis lucri; modo tamen non ſit ordinarium.*

Tamburinus iſto loco affirmat ſententiam eſſe probabilem: quibus autem ibi modis explicet *lucrum notabile, & non ordinarium* exponam n. 86.

De reliquo mirum eſt, in his Tamburinum fuiſſe præcipuè accuſandum. Crediderim ignoraſſe Doctorem Sinnichium ſententiam Cajetani in Summa v. *feſtos dies* inter cauſas excuſantes laborem die feſto ſuſceptum recenſet quarto loco *Occurſum lucri ceſſantis. Indulſit enim*, inquit, *Eccleſia (ut patet ex cap. licet. de feriis) ut alecia, quæ quodam tempore tranſeunt, capere liceat in feſto. Et pari ratione non ſolum alios piſces tranſitorios, ſed* QUOMODOLIBET OCCURRAT TRANSITORIUM ALIQUOD LUCRUM *aggredi licitum eſt: tamquam hujuſmodi lucram ceſſans damnum reputetur: ſed memento moderaminis ſubjuncti: ut ſcilicet circumpoſitis Eccleſiis, & Chriſti pauperibus honeſta lucri portio detur.* Bona monitio. Patet ex dictis etiam Tamburinum pro laborantibus poſuiſſe caſum *lucri tranſeuntis*: poſuit enim, quod *facile à pleriſque relinquerentur.*

Illis ſimilia, quæ ex Cajetano audivimus, habet Angelus in Sum. v. *feria* num. 34. ſimilia Baſſæus v. *feſtum* citans Cajetanum, Clavem Regiam, Navarrum: neque ſe Cajetanus, & Baſſæus (imo neque Angelus) tam fundant in diſpenſatione Pontificis, quæ facta ſit d. cap. *licet* de feriis quam in *lucro ceſſante*, quod *reputetur damnum.*

De Tonſoribus idem planè, quod Tamburinus, eodémque nixus fundamento docuerat Antonius Fernandez de Moure Exam. Theol. p. 1. cap.7. §. 1. num. 6. his verbis: *Ex interpretativâ licentiâ Episcopi videtur excuſari uſus tonſorum &c. Quamquam ex alio capite id licere mihi perſuadeam; nimirum ex occaſione ceſſantis lucri: quoniam aliis diebus tondendi non accedunt &c.*

De Pictoribus, de quibus ibidem Tamburinum potiſſimum reprehendit Sinnichius, Baſſæum adeat lector eoſque Auctores, quos citat ille ibidem num.9. Tædet his immorari, uti & iis cavillationibus, quibus mox argumentatur ibidem contra Tamburinum: illas licebit exagitare in 2. parte Stateræ. Satis hoc loco eſt, oſtendiſſe, quam odioſe ille Cenſor opiniones, quæ laxiores videbantur, communes permultis Auctoribus omnis generis, ſic referat, ut uni Tamburino, alterive ex iis, quos oderat, proprias.

85. Sinnichius Saulis Exreg. cap.107. pag.432. col.1. in Vind. cap.20. pag.248. Tamburinum reprehendit, quod lib.4. cap.3. §.2. num.1. narret, *eſſe jam noſtra ætate receptam ſententiam*, quod *per duas horas vacare ſervilibus non ſit mortale.*

Incertum eſt, quid hic reprehendat, aut quid neget Doctor Sinnichius. Negatne eſſe receptam ſententiam à non paucis Theologis? neque enim Tamburinus narrat, eſſe receptam ab omnibus. Atqui certum eſt eſſe receptam à non paucis; de hâc re non dubitant, qui paulò univerſalius ſe dederunt explorandis ſententiis Auctorum, quam Sinnichius, qui præter Tamburinum, Caramuelem, & paucos quoſdam alios videtur vix legiſſe Theologos morales. Non dubitavit Marchantius apud Dianam p.5. tract.5. reſol.6. ubi ad quæſtionem præſentem, *Reſpondeo*, inquit, *alii dicunt, quatuor horas, alii verò duas: ego ut minimum requirerem tres ad peccatum mortale.*

Fortaſſe diſplicuit ſententia ipſa: atqui Tamburinus non affirmat illam eſſe ſuam ſententiam: demus verò, quod affirmarit: quid Sinnichium impulit in Tamburinum potius, quam in Marchantium, tres ut minimum horas requirentem? Addidit Tamburinus: *Apud Marchantium aliquis dat etiam horas quatuor, ipſe requirit tres ad mortale*: his ipſe negat ſe aſſentiri. Sinnichius his præteritis gaudet invehi in Tamburinum, quia dixit *receptam eſſe ſententiam*, de duabus horis.

Sinnichius Saulis Exreg. cap.107. pag.432. col.1. in Vind. c.20. pag.248. Tamburinum accuſat, quaſi neget, peccare mortaliter herum, qui duodecim ſervis injungit laborem integri diei, aſſignando ſingulis duas horas ſucceſſivè.

Tamburinus l. 4. cap.3. §. 2. num. 2. loco citato à Sinnichio, ſolum refert

Google

refert ſententiam, & rationem Bonacinæ illa docentis diſp. 5. de 3. Dec. præc. q.un. p.3.n.4.

At Tamburinus, inquies, non improbat ſententiam Bonacinæ. Hæc ratio non eſt ſufficiens, ut vel auctor ſententiæ dicatur Tamburinus, vel potius debuerit vapulare à Sinnichio, quam Bonacina, qui ſententiæ illius apertiſſimè eſt auctor. Citavit etiam Tamburinus Portellam: ſed plus omnibus peccavit Tamburinus.

Rogo lectorem, ut adire dignetur Sinnichium loco citato, & admiretur robur rationum, quibus illam ſententiam Bonacinæ; & aliorum conatur convellere. Saulus Stephanum lapidavit eorum manibus; quorum veſtimenta ſervavit, ut expeditius lapidarent: ergo herus jubens ſervos laborare ſingulos ſucceſſivè per modicas diei particulas, laboravit toto die &c: perplexa res, aſſignare diſparitatem. Sic refutare laxitates eſt prodere ſeveritatem: timendum ne improbandam prorſus doctrinam etiam judicio meo, iſtiuſmodi argumentis refutatam, ſuſpicetur lector confirmatam potius, quam refutatam.

§. II.

Malâ fide à Sinnichio accuſatus Tamburinus circa cauſas omittendi miſſam die feſto.

86. SInnichius Saulis Exr. cap.106. in Vind. cap. 19. in fine affirmat Tamburinum l.4. cap.2. §.1. num. 7. docere, *miſſam omitti poſſe ſine culpâ in die feſto* PROPTER LUCRUM, *quod tunc ceſſaret, ſi quis miſſæ adeſſet.*

Tamburinus iſto loco nihil habet ſimile. Habet quiddam ſimile §. 2. n.7. ſed locum invidioſè truncavit Sinnichius. Verba Tamburini hæc ſunt: „ſed redeo ad difficultatem. An Miſſa omitti poſſit ſine culpâ die feſto „propter lucrum, quod mihi ceſſaret, ſi Miſſæ adeſſem: communis „hæc mihi quæſtio videtur cum eâ, an in eodem die feſto *propter lucrum* „*notabile* poſſit quis operibus ſervilibus vacare, & ut affirmativè de eâ re„ſpondebimus infrà cap. 3. §.2. n.8. ſic & affirmativè propter eamdem ra„tionem de hâc erit ſentiendum.

Placuit Sinnichio omittere particulam NOTABILE, quaſi Tamburinus ob quodlibet lucrum doceat omitti poſſe Miſſam.

Placuit rurſus Sinnichio diſſimulare, quod Tamburinus remittat Lectorem ad cap.3.§.2. num.8. ubi niſi legatur, intelligi non poteſt, quomodo reſpondeat ad quæſtionem, quia cap.8. §.1. modum reſponſionis ſuſpendit ex reſpondendis infrà, dicens; *ut affirmative de eâ reſpondebimus infrà, ſic &c.* Atqui

Atqui Tamburinus *infrà*, hoc eſt cap. 3. §. 2. num. 8. ad quæſtionem, *An ſpes lucri notabilis concedat opera ſervilia die feſto*, ſolum reſpondet ſententiam affirmantem eſſe probabilem. *Reſpondeo*, inquit, *quamvis Suarez, & Caſtropalaus inclinent in ſententiam negativam, tamen* AFFIRMATIVAM SENTENTIAM ESSE PROBABILEM. Eodem num. 8. iterum, iterumque inculcat, ſe eam ſententiam ſolum tenere, ut probabilem. Non debebat ergo Sinnichius ſimpliciter affirmare, Tamburinum CENSERE *Miſſam omitti poſſe &c.*

Rurſus iſto loco *infrà*, hoc eſt cap. 3. §. 2. num. 8. ſtudioſè explicat, quid intelligat per *lucrum notabile*: explicat verò lucrum illud opponens *omiſſioni Vindemiæ*, ob quam licet laborare die feſto. Tum verò disertè DE EXTRAORDINARIO, inquit, *lucro ſermonem facimus.* Extraordinarium lucrum ſic mox explicat: *Adde non eſſe exiſtimandum piam Matrem Eccleſiam velle obligare Fideles ad rem oppidò difficillimam, qualis eſt ob abſtinentiam ſervilium* amittere CENTUM, DUCENTOS, MILLE, PLURES AUREOS. Poſtea FAVERE aït *Pontificem, qui conceſſit Halecum piſcationem die feſto*: & *favere Doctores, qui ex paritate cum dictâ Halecum, piſcationem Thynnorum eodem feſto, ne magnum lucrum amittatur, concedunt.* Hæc omnia quibus *lucrum notabile* exaggeravit Tamburinus, non diſſimulaſſet Sinnichius, ſi fuiſſet æquus Cenſor.

Ut ut ſit: non fuiſſe de his præcipuè reprehendendum Tamburinum, intelliget Lector ex iis, quæ inveniet num. 84. ubi citantur Auctores excuſantes laborem die feſto ob lucrum alioqui ceſſaturum.

87. Sinnichius ibidem aït Tamburinum lib. 4. cap. 2. §. 3. num. 9. affirmare, *Prævisionem carentiæ Miſſæ non obſtare quò minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum, ubi ob penuriam ſacerdotis, nequibit die feſto Miſſam audire.*

Tamburinus hoc non affirmavit: quia cum ibi retuliſſet caſum ſingularem de omittendâ miſsâ ob venationem, ſimulque reſponſionem benigniorem cujuſdam, ipſe de ſuo hoc unum pronuntiat, illum eſſe *probabiliter locutum.* At ergo, inquit Sinnichius, *conſequenter ad ſua principia agnoſcit ſententiam in praxi eſſe ſecuram.* Hoc genus cavillationis Sinnichio familiare & ſæpe rediens excluſi à num. 28.

Alterum in iſtâ citatione peccatum eſt Sinnichii, quod affirmationem Tamburini de caſu ſingulari, exquiſitiſque conditionibus affecto, faciat univerſalem. Adeatur locus Tamburini: ipſe reſponſionem benigniorem de caſu valde ſingulari affirmat probabilem: mox verò loquens generaliter, *Quantam*, inquit, *ſit hâc in re propinquitas, vel diſtantia* ſylvæ, in quâ venandum, ob quam liceat die feſto miſſam omittere, *ex gravitate, vel rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis neceſſitate, utilitate, honeſtate, & cæteris ſimilibus eſt judicandum.*

Adde

Digitized by Google

Adde quod Theologus ille, quem Tamburinus dixit *probabiliter locutum*, expreſſe negarit, ut ipſe narrat Tamburinus univerſaliter licere proficiſci ad venationem, ſi prævideatur omittenda Miſſa. Negat quoque id diſertè Tamburinus lib. 4. cap. 5. §. 7. n. 3. in fine. Quâ ergo fiduciâ Sinnichius Reum facit Tamburinum affirmationis univerſalis, quod Theologum illum de caſu ſingulari affirmantem benignius, dixerit *probabiliter locutum*.

88. Denique dixit Tamburinus probabiliter locutum, qui reſpondit Nobiles Adoleſcentes, qui condixerant de venatione in ſylvâ valde remotâ, ad quam erat proficiſcendum itinere unius diei, cum poſtridie eſſet futurus dies feſtus &c. licitè proficiſci, etſi præviderent fore, ut non poſſent poſtridie intereſſe Miſſæ. Is qui hinc infert ſimpliciter dixiſſe Tamburinum, *Prævisionem carentia Miſſæ non obſtare, quo minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum &c.* idque quia ex ejus principiis probabilis ſententia *eſt ſecura in praxi*, tantumdem facit, ac ſi ex eo, quod quis affirmet in dubio Matrimonii, orto ex impotentiâ fortaſſe non perpetuâ, adeoque in dubio de fornicatione, ſeu immunditiâ, licere certo tempore ſe gerere pro conjuge, inferret, eum affirmare ſimpliciter in dubio Matrimonij licitum eſſe ſe gerere pro conjuge. Res patebit conſideranti: ſtante nimirum probabili ſententiâ formari poteſt dictamen conſcientiæ, practicum, quod hic & nunc illa actio ſit licita, ut quidem cenſet Tamburinus: ſtante ſimiliter illo dubio de impotentiâ perpetuâ, formari poteſt dictamen conſcientiæ practicum, quod illa actio coniugalis ſit licita: Tamburinus loquitur de caſu venationis in certis, & determinatis circumſtantiis: ille quoque poſterior loquitur de caſu actionis coniugalis ſtante dubio de Matrimonio in certis, ac determinatis circumſtantiis. Imprudenter hunc accenſes quod affirmet ſimpliciter in dubio de Matrimonio, licitos eſſe actus conjugales: neque prudentius accuſes Tamburinum, quod affirmet ſimpliciter, *Prævisionem carentiæ miſſæ non obſtare &c.*

Denique putavitne Sinnichius *Prævisionem carentiæ Miſſæ* aliquot diebus feſtis ſecuturis obſtare, quo minus liceat cuipiam ſe dare Navigationi in Hiſpaniam e. c. negotiorum causâ, vel, ſi mavis, oblectationis, & curioſitatis videndi Hiſpaniam? Non aſſignabitur diſpar ratio hujus caſus, & illius de venatione, quem retulit Tamburinus.

Minori periculo injuriæ Sinnichius laxitatis arguiſſet eos Theologos, qui docent, etiam dantem operam rei illicitæ, ex quâ prævidetur fore, ut non poſſit impleri preceptum Eccleſiæ, quod poſtea urgebit, non peccare contra præceptum illud. Auctores hoc docentes Lector inveniet num. 92. 93.

§. III.

Aliter aliterque accuſatus à Sinnichio. Tamburinus circa præceptum audiendæ Miſſæ: ſed vel cavillatoriè, vel imperitè.

89. SInnichius Saulis Exreg. cap. 106. pag. 428. col. 1. in Vind. cap. 19. pag. 239. exagitat Tamburinum quod lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 10. probabile dixerit *ſaltem propter auctoritatem extrinſecam multorum id aſſerentium*, ſatisfieri precepto Eccleſiæ, ſi audiatur die feſto media Miſſa ab uno Sacerdote, & poſtea altera media Miſſa ab alio: mox verò impro-bet iſtam ſententiam, contendens ex eâ *conſequi abſurdum*: ut nimirum etiam ſimultaneâ auditione plurium partium diverſarum Miſſarum ſatis-fiat præcepto Eccleſiæ.

Hic verò Sinnichius non capit ſe præ gaudio, quod Tamburinus *repu-taverit probabile, quod ipſemet aſſerit eſſe abſurdum.* Tamburinus non dixit eſſe abſurdum id, quod dixerat eſſe probabile: dixit conſequi abſurdum judi-cio Suarezij, & ſuo: neque hinc ſequitur, quod putaverit antecedens eſſe abſurdum: neque enim abſurditas conſequentis redundat in antecedens, niſi quando conſequentia eſt omnino perſpicua; qualem non affirmat Tamburinus eſſe eam, quam ibi format: neque revera conſequentia eſt perſpicua, ut ſapienti Lectori eam conſideranti patebit.

Si etiam Sinnichio Tamburinus diſplicuit, quod probabilem dixerit ſententiam affirmantium, ſatisfieri præcepto auditione ſucceſſivâ duarum partium Miſſarum diverſarum; non ignorabat multos præiviſſe Tambu-rino, qui non ſolum illud probabile dixerant, ſed abſolute aſſeruerant: verùm & illos Sinnichius paulò ante locum citatum appellare non eſt veritus *Patronos laxitatum*.

Fuit ergo judicio Sinnichij *Patronus laxitatum* graviſſimus Doctor Mar-tinus Navarrus, qui illud abſolute aſſeruit in Sum. cap. 21. n. 2. item in Commentar. de oratione & hor. can. cap. 10. n. 43.

Fuit ergo rurſus judicio Sinnichii *laxitatum Patronus* Joannes Major in 4. d. 12. q. 3. ante med. Itemque Dom. Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Martin. Bonacina Tomo 1. d. 4. quæſt. ult. p. 11. n. 13. qui docuerunt ſatisfieri præcepto Eccleſiæ quoad ſubſtantiam auditione partium Miſſarum diver-ſarum. Denique *laxitatum Patroni* Sinnichio fuerunt communiter Theo-logi: certe enim & Bonacina, & Suarez de Ven. Euch. d. 88. ſect. 2. (qui ſententiam repudians fatetur probabilem ob auctoritatem) & Guilielmus Herinx de Ven. Euch. diſp. 8. q. 16. n. 203. (qui fatetur *hanc opinionem poſſe,*

dum

Digitized by Google

dum ſaltem cauſa ſubeſt, practicè admitti, & Diana p. 2. tract. 17. reſol. 18. aiunt ita docere *communiter Theologos*. Ecce quam fuerit vel imperitus harum rerum Doctor Sinnichius, vel arrogans, qui tales & tot Theologos cenſuerit eſſe *Patronos laxitatum*. Ego opinionem illorum non approbabo: ſed tamen cavebo mihi, ne illico cenſeam eſſe *Patronos laxitatum*.

90. Sinnichius Saulis Exr. cap. 106. in Vind. cap. 19. ſub finem, Tamburinum reprehendit de *laxitate, quâ cenſet*, inquit, *ſatisfieri præcepto auditionis Miſſæ, etiamſi quis non interſit conſecrationi*.

Sed quare Doctor Sinnichius vocavit hanc laxitatem Tamburini? cur non potius laxitatem Emin. Cardinalis de Lugo d. 22. de ſacr. ſect. 2. n. 27.? hujus ſententiæ auctorem citavit Tamburinus iſto loco, de quo reprehenditur à Sinnichio hoc eſt lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 3. Poterat ſimiliter vocare laxitatem omnium eorum, qui docent eſſentiam ſacrificij non conſiſtere in conſecratione. Non enim exiſtimarunt defectum cujuſlibet partis, quamvis parvæ in auditione Miſſæ eſſe peccatum mortale. Poterat ergo eam appellare laxitatem Ruardi Tapperi, poterat Ledeſmæ, & aliorum, quos memorare diſtinctius ſupervacaneum ſit.

CAPUT IX.

De Præcepto jejunii.

§. I.

Præcipitanter à Sinnichio accuſatus Eſcobarius de excuſandis à jejunio fatigatis.

91. SInnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 433. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 251. cum retuliſſet Articulum hunc: *Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. g. cum feminis commixtione, liberatur à lege jejunij*, ſic ſubdit; *Articulus videtur deſumptus ex Theologiâ Morali P. Antonij Eſcobar ex capite proximè præcedenti n. 23.* hoc eſt tract. 1. exam. 13. cap. 2. n. 23.

Eſcobarius iſto loco de *laborante ad malum finem* ſic diſtinguit: *Non poteſt jejunium ſolvere, ut vires colligat ad crimen patrandum, ſed poſt commiſſum poteſt ad vires recuperandas, laſſitudini jejunio ſoluto occurrere.* Eſcobarius proximè ſequenti capite n. 45. propoſitâ quæſtione, *An defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito obligationi jejunandi ſubjaceat*, ſolum hoc reſpondet, alios affirmare, alios negare. Sed per me licet, ut non habeatur hujus rei ratio.

Vellem ſcire, quid diſplicuerit Sinnichio in Eſcobarii ſententiâ. Ipſe more ſuo parum diſtinguens, ſatis habet nominaſſe Eſcobarium, & plebi invidioſum feciſſe.

Eſcobarius docuit, *poſt commiſſum crimen*, *poſt transactum laborem* licitum, vel illicitum, ex quo orta eſt defatigatio, non eſſe obligationem jejunandi. Eſtne hoc, quod diſplicuit Doctori Sinnichio? Caſus poteſt eſſe duplex: Primò ut nullo modo fuerit prævisum ſecuturum impedimentum jejunii. Tunc verò certum eſt, hominem ſatis defatigatum ex labore licito, vel illicito non obligari ad jejunium; quod jam eſt moraliter impoſſibile: neque de hoc ſani Theologi dubitabunt.

Secundò ita, ut aliquo modo fuerit præviſum impedimentum, vel aliquâ negligentiâ culpabili factum ſit, ut non prævideretur. Demus verò gratis, ſententiam Eſcobarii proceſſiſſe etiam pro caſu hoc.

Dico, quod Eſcobarius non negaverit illum hominem peccaſſe, & quidem contra legem jejunii, ponendo cauſam impedimenti ad ſervandam legem jejunii, ut patebit conſideranti ejus verba.

Dico rurſus, Eſcobarium non eſſe reprehenſione dignum, quod etiam pro iſto caſu dixerit, hominem defatigatum, jam transacto labore, non obligari ad jejunandum. Hæc enim, ut rationes omittam, eſt communis ſententia Doctorum, ut colligitur ex iis, quæ adnotat Diana p. 10. tract. 14. reſol. 11. §. *Quare malè*. Item ex iis, quæ habet Leander de quinque præcept. tract. 5. d. 8. q. 156. Rem bene expreſſit Silveſter V. *Iejunium* n. 24. ſic loquens: *Addit Petrus de Palude, quod ſi peregrinatio non eſt neceſſaria, peccat illam aggrediens indiſcretè .... eâ tamen aggreſſâ licet incompoſſibile jejunium frangere, ſicut licet infirmo* EX SUA CULPA DURANTE INFIRMITATE. Paſqualigus deciſ. 320. dicit, illud *communiter omnes concedere*: Videatur etiam Stubrockius nota. 2. in diſſert. Theol. de probab. ubi Janſeniano homini illa carpenti in Filliucio, quæ reprehendit Sinnichius in Eſcobario vultum Janſenij ſui agnoſcendum exhibet.

92. Sed cur Doctor Sinnichius non eſt invectus in eos Theologos, qui, quod Eſcobarius non fecit, docuerunt, non ſolum non peccare jam fatigatum labore licito, vel illicito, ſi non jejunet; ſed nequidem peccare contra legem jejunii ponendo cauſam fatigationis, quæ prævidetur jejunium impeditura? ſic docuit Bonacina Tom. 2. d. 2. q. 8. p. 1. n. 16. agens etiam de labore in quærendâ meretrice. Sic & Leander Tom. 3. in quinque præcepta Eccleſiæ tract. 5. d. 8. q. 156. agens de *labore aſſumpto ob quærendam concubinam, aut ob alium malum finem*, & citans Medinam, Petrum de Ledeſma, Dianam, Filliucium, aliosque. Erravit citans Filliucium tract. 27. p. 2. n. 123. ibi enim fatetur ille quidem *ſecutâ defatigatione excuſari à jejunio, qui malo fine laboravit*: negat tamen excuſari à violatione legis

legis jejunii in ponendâ causâ: *Sed melius*, inquit, *alii culpam quidem eſſe in apponendâ causâ fractionis jejunii, at eâ poſitâ excuſari à jejunio.*

93. De Medina dubitari non poteſt, ſi Petro de Ledeſma credimus 2.p. Sum. tract.27. cap.3. agit verò Medina etiam de labore itineris ſuſcepti ad viſendam amicam. Sententiam Medinæ probat Ledeſma, tamquam quæ magis probabilis videatur, quatenus affirmat, non peccari contra legem jejunii, ponendo cauſam impedimenti ad jejunandum, idque advertenter: pro exemplo ſtatuit eum, qui ſe luſu pilæ reddit ineptum ad jejunandum. Quod idem docent Rocafful in Praxi Theol. Mor. Tom.2. l 3. de præcept. Eccl. cap. 9. num. 153. & 154. Joannes Henriquez in Sum.ſect.16.q.29. verſu *y aun dize*.

Ultra progreſſus Paſqualigus deciſ. 32. num. 6. aſſerit non peccare eum contra legem jejunii, qui ſciens ponit cauſam ex ſe illicitam, impeditivam jejunii, & quidem ex intentione non jejunandi: pro quâ ſententiâ Leander ſupra q.158. citat Rocafful.

94. Atque hæc, ut puto, ſufficiunt, ut intelligat Lector, quanto jure Sinnichius putaverit reprehendendum Eſcobarium potiſſimum, qui in hâc materiâ ſolum docuit, non eſſe obligationem jejunandi in fatigato poſt commiſſum crimen, poſt laborem licitum, vel *illicitum*, quod communiſſimè docent omnes Theologi. Sufficiunt hæc eadem, ut intelligat Lector, quam parum peritus fuerit idem Cenſor, qui loco citato indicet, nullum ſe ſcire auctorem, qui docuerit illam ſententiam Eſcobarii: putavit enim adnotandum, quod Eſcobarius nullum pro ſuâ ſententiâ Auctorem citaverit.

Ego, quod ad me attinet, improbandam cenſeo illorum ſententiam, qui in ponendâ causâ impeditivâ jejunii, præcipuè aliunde illicitâ, non agnoſcunt peccatum ſpeciale contra legem jejunii: ſed & explodendos cenſeo, qui putent cenſurâ dignam eſſe eorum ſententiam, qui cenſent, poſito jam impedimento, & *tranſacto labore* non fieri novum peccatum non jejunando, præcipuè ſi non fuerit præviſum impedimentum ex illâ causâ oriturum.

§. II.

Per injuriam lis eadem à Sinnichio intentata eſt Tamburino.

95. SInnichius Saulis Exr. cap.107. pag.433. col. 1. in Vind. cap.20. pag. 251. cum retuliſſet hunc articulum: *Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito v. g. cum feminis commixtione liberatur à lege jejunii*, poſt pauca Tamburinum ait huic articulo videri favere l.4. c.5. §.7. n.30. & 32.

Tamburinus illo num. 30. cum quæſiviſſet An *ſi quis artem, ſeu vivendi modum laborioſum non eſt ex ſuâ conditione ſortitus, poſſit ex ſuâ voluntate laborioſum opus aliquo die aſſumere, & conſequenter eo die abſtinentiæ legem non ſervare.* Reſpondet circumſpectè; *ſi id fiat aliquâ notabili ex causâ, poſſe.* Exempla hæc ſubdit: *Ut ſi quis v.g. carens ornatore templi, ipſe cum diurno labore, ne feſtum relinquatur, exornet. Idem erit ſi pietatis gratiâ iter pedeſtre ad ſacram imaginem arripiat, ſi ſe flagellis uſque ad ſanguinem notabiliter cædat, ſi ad ſerviendum infirmis totum diem, etiam cum proprio lucro laborando conſumat: ipſa enim pietas ſatis rationabilem dat cauſam &c.* Hactenus nihil video, quod videatur favere illi articulo.

Pergit Tamburinus. „ At ſi ſine causâ; ut ſi quis pedeſter ad venan- „ dum ſolum ob voluptatem ſe conferat, vel pilâ ludat, vel haſtiludio „ vacet, multò magis ſi cum peccato, ut ſi ad adulterandum, vel ad fu- „ randum, dictum pedeſtre iter arripiat, diſtinguendum erit. Nam ſi „ hæc fiant eodem die, quo urget jejunii præceptum, cum id ſit pone- „ re directum impedimentum executioni præcepti, dum præceptum ur- „ get, illicitè contra præceptum de jejunando fient: ſi verò fiant tem- „ pore remoto, nec multum proximo ipſi diei, quo jejunium urget, non „ illicitè fieri ſuprà per occaſionem diximus.

96. Hoc ergo ſolum docuit Tamburinus, eum, qui ex devotione ſuſcepit peregrinationem Lauretanam &c. non teneri ad jejunium, ſi poſt arreptum iter incidat dies jejunii, quo ipſe pedibus continuat iter. Item eum, qui intemperantiâ victus &c. ſe fecit ineptum ad jejunandum, non teneri poſteâ ad jejunium. Si hæc diſplicebant Sinnichio, non debebant diſplicere in ſolo Tamburino: Quotus enim quiſque eſt Theologus, qui hæc non docet? putavitne eos obligari ad jejunium, qui intemperantiâ victus (eadem eſt ratio de aliis peccatis) exhauſerunt omnes vires?

Etiam num. 32. citato à Sinnichio nihil habet Tamburinus, quod carpere in ipſo potiſſimum debuerit: ſic ibi loquitur. *Si etiam cum peccato te ita defatigaſti, ut non poſſis jejunium pati: peccaſti quidem, dum impedimentum jejunio exhibendo appoſuiſti: at poteris deinde ſine novo peccato comedere, quia tunc verè incapax es macerationis jejunii.* Si facultas Theologica Lovanienſis cenſuratam voluit hanc doctrinam, quando reprobavit Articulum ſuprà deſcriptum, rem auſa eſt miram contra *omnes communiter* Theologos, ut intelliget Lector ex iis, quæ habeo n. 91.

Crediderim ergo Cenſoribus diſplicuiſſe Articulum ſic intellectum, ut nullum ibi aſſeratur intervenire peccatum contra legem jejunii, nequidem in ponendâ causâ fatigationis, vel infirmitatis impeditivæ jejunii, quando hoc aliquo modo eſt prævisum: hoc docuerunt plurimi, ut

oſtendi

oſtendi num.92. manifeſte verò contrarium docuit Tamburinus, ut patet ex ejus verbis citato num.32. quæ modo exſcripſi. Doctor Sinnichius nihil diſtinxit, ut Tamburinum faceret odioſum.

§. III.

Incautè à Sinnichio accuſati Eſcobarius, & Tamburinus circa ſomni defectum excuſantem à jejunio.

97. Sinnichius Saul. Exr. cap. 107. pag. 433. col.1. in Vind. cap. 20. pag. 251. cum retuliſſet articulum hunc; *Qui dormire nequit niſi veſperi ſumpta cœnâ, non tenetur jejunare; imo neque in prandio collationem ſumere: quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet &c.* ſic ſubdit *Articulus videtur deſumptus ex Theologiâ morali I. Antonii Eſcobar ex Exam.13. cap.3. n.67. Citat ille ibidem Filiucium.* Sic eſt, citat ille ibidem Filliucium, & more ſuo non tam ſuam tradit ſententiam, quam aliorum, ut præfatus erat: Filliucius autem tom.2. tract.27.p.2. cap.6. num.130. hoc unum dicit: *Qui bonâ fide credit ſe habere juſtam cauſam non jejunandi, & propterea non jejunat, is non peccat ſaltem mortaliter .... Quo pacto excuſari poſſunt multi ſolventes jejunium, vel excedentes in refectiunculâ: putant enim ſe non teneri ex variis cauſis; ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum.*

98. Si hæc cenſurata voluit Lovanienſis Schola, quod non credo, ſcire debebat, ante Eſcobarium, & Filliucium ea docuiſſe viros graviores, quam ut eſſet decens, cenſuris iſtis operam dari. Cajetanus in Summâ v. *jejunium*, cum monuiſſet generaliter à peccato violati jejunii eos excuſandos, qui habent *rationabilem cauſam æſtimatam ſufficientem ab ipſis debentibus jejunare, quamvis in veritate ſufficiens non fuerit*, dixiſſetque *nec per accidens ſeu materialiter ſic eos operari, ut redeat peccatum in naturam ſua forma*, mox ſubdit, *ex hoc capite innumerabiles perſonas timoratas excuſari ſæpiſſimè.* Cauſas verò ab ipſis exiſtimatas ſufficientes ponit *debilitatem*, SOMNUM HABENDUM &c. ſubjungit verò hoc monitum: *Cave ne ſis imprudens, & nimis ſapiens in oculis tuis, dicendo, quod omnino iſti ſolvunt jejunium &c. & ſis cauſa, quod iſti non jejunent juxta ſuum poſſe: nam ipſi ſic, ut dictum eſt, agendo, non agunt contra præceptum Eccleſiæ, & forte quandoque, nec venialiter peccant.* Addit quædam de DOCTIS STULTIS hoc eſt Cenſoribus, & monitoribus importunis, & imperitis.

Denique pro ſuâ ſententiâ Filliucius citat etiam Paludanum, Antoninum, Sylveſtrum, Navarrum. Diana verò p.1.tract.9.reſol.51 pro Eſcobario citat Lopez Ludovicum de S. Juan, alioſque.

99. Sinnichius ibidem, cum retuliſſet eumdem Articulum; *Qui dormire*

mire nequit, niſi veſperi ſumptâ cœnâ, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem ſumere quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet &c. Poſt pauca Tamburinum ſugillat, quod huic articulo favere videatur lib. 4. c. 5. §. 7. n. 14.

Quod attinet ad primam partem Articuli; Tamburinus non quemcumque defectum ſomni ait excuſare, ſed *notabilem*, & qui *notabile*, & rurſus, qui *grave detrimentum* valetudini afferret: legatur loco cit. n. 15. Non eſt credibile Lovanienſes Cenſores id reprobatum voluiſſe: quia Articulum damnant, ut *fundatum ſuper frivolo prætextu.* Tamburinus nihil prætexit, ſed hypotheſim ſtatuit ſolidam: ſi qui in ipsâ praxi prætexant cauſas frivolas, hi non ſequuntur doctrinam Tamburini.

100. Denique ſi eſt reprehenſione dignus, quod docuerit, eum non obligari ad jejunium, qui noctu dormire non poteſt &c. (de quo judicium relinquo melioribus Theologis moralibus, quam fuit Sinnichius) certè non fuit reprehenſione dignus præ aliis permultis viris gravibus, qui vel hoc idem, vel alia docuerunt, de quibus ratio erat eadem.

Imò poſſunt pro illâ ſententiâ citari omnes Theologi, qui ſequuntur D. Thomam in 4. d. 15. q. 3. a. 2. quæſt. 2. ubi, cum dixiſſet, *Bonum ſtatum virtutis conſiſtere in conſervatione vitæ, & valetudine ſufficienti ad opera, quæ quis facere debet*, generaliter pronuntiat, omne id excuſare à lege jejunii, *cum quo ſimul, & jejunio prædictus ſtatus conſervari non poſſit.* Addit quiddam de diſpenſatione petendâ, quâ conſtat non eſſe opus, niſi in caſu dubii: Mihi autem videtur, hominem *qui dormire nequit*, non habere bonum ſtatum deſcriptum à D. Thomâ. Unde Navarrus in Sum. cap. 21. num. 16. non dubitavit eos eximere lege jejunii, *qui tam infirmâ ſunt complexione, ut vacuo ſtomacho capitis dolorem, vel vertiginem patiantur, aut tota nocte calere, vel dormire nequeant.* Atque hæc omnia ſine dubio revocanda ſunt ad Regulam D. Thomæ de notabili detrimento *boni ſtatus*. Cumque de hoc inter omnes conveniat, non fuit reprehendendus Tamburinus, quod faviſſe videretur primæ parti Articuli, quo affirmatur licere cœnam ſumere, ſi quis alioqui non poſſit dormire.

101. Poſteriorem partem articuli neceſſe eſt tenuiſſe illos omnes, qui ſimpliciter docuerunt, cauſam excuſantem à jejunio eſſe defectum ſomni, aut calefactionis nocturnæ: non enim ignorabant, huic incommodo occurri poſſe, ſi meridie ſumptâ collatione differretur plenior refectio ad cœnam: illud verò docuit Navarrus, ut jam vidimus, plurimique alii citati à Thoma Sanchez Conſil. l. 5. c. 1. dub. 14. n. 10 & apud Joannem Sanchez diſp. 54. n. 13. Dianam p. 1. tract. 9. reſol. 51. Non erat ergo cur unum alterumve Auctorem potiſſimum hoc loco reprehenderet Sinnichius, ſi ſatis æquo fuiſſet animo erga perſonas.

§. IV.

Google

§. IV.

Quo merito accuſatus à Sinnichio Tamburinus potiſſimum de excuſandis à jejunio Artificibus.

102. SInnichius Saul. Exr. c. 5.107. pag.433. col.1. in Vind. cap.20. pag. 251. Tamburinum reprehendit quod l. 4. cap. 5. §. 7. num.28. aſſerat, *Propter auctoritatem Doctorum eſſe probabile, nullos artifices obligari ad jejunia.* Continenter addit Tamburinus, quod Sinnichius omiſit; *Quia Eugenius vel conceſſit, ajunt, iis privilegium non jejunandi, vel declaravit, eos non comprehendi lege jejunii*: quæ verba non erant omittenda, ne Tamburinus videretur plus aliquid probabilitatis tribuiſſe illi ſententiæ, quam habeat narratio de privilegio, vel declaratione Eugenii IV.

Ceterum Tamburinus loco citato damnat ſutores ad jejunium: *Horum autem*, inquit, *non apprehendo eſſe valde laborioſam*: fatetur tamen contrariam ſententiam eſſe *probabilem* ob auctoritatem *multorum magni nominis Doctorum.* Sed *excipe*, inquit, *niſi ſutor ſolum ſcindat corium &c. vel tam molle ſit corium, ut non calcei, ſed pannus conſui videatur.* Quare ibidem inſinuat, ne probabile q[illegible] excuſandos à jejunio ſartores, alioſque Artifices, quorum labor non eſt major.

103. Denique cum Sinnichius putarit, reprehendendum Tamburinum; quia dixit, *propter auctoritatem Doctorum eſſe probabile, nullos artifices obligari ad jejunia* exceptis ſutoribus &c. debebat, ſi æquus erat Cenſor, magis reprehendere Doctores illos, quorum auctoritatem aliquouſque reveritus eſt Tamburinus, nondum edito decreto Alexandri VII. quo reprobata eſt opinio docentium, ſimpliciter, nullos artifices obligari ad jejunium. De Auctoribus illis, ut breve faciam, adiri poteſt D. Nicolaus du Bois ad 45. Propoſitiones à num. 579.

§. V.

Variè, atque imprudenter accuſatus à Sinnichio Tamburinus de excuſandis à jejunio Conjugibus.

104. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 433. in Vind. c. 20. pag. 251. Tamburinum arguit, quod l.4.c.5.§.7.n.37. docuerit, *conjugatos liberari ab obligatione jejunii, quando illud ſervando nequeunt invicem reddere debitum.*

CAPUT VII.

De Præcepto Communionis, & Confeſsionis.

Magnum peccatum Tamburini, potiſsimum judicio Sinnichii.

83. SInnichius Saulis Exr. cap. 102. pag. 404. col. 1. in Vind. cap. 15. pag. 182. putavit adnotatu dignum, quod Tamburinus doceat non obligaſſe *præceptum Confeſsionis, & item Communionis extra mortis articulum, antequam Eccleſia determinaſſet tempus Paſchale.*

Credimuſne, ignoraſſe Doctorem Sinnichium, fuiſſe permultorum ſententiam, qui nec in articulo mortis, quem excipit Tamburinus; nec in reliquâ vitâ agnovere præceptum divinum communionis, ſed ſolum Eccleſiaſticum? Apud Sylveſtrum v. *Euchariſtia* 3. ſic lego. *Sumptio Euchariſtiæ non eſt ex neceſsitate ſecundùm ſe, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ*: citat D. Thomam. Audiamus quoque S. Bonaventuram in 4. d. 12. a. 2. q. 1. *Dicendum quod Sacramentum hoc non eſt de neceſsitate, quantum eſt de ſua inſtitutione: ſed ſi eſt, hoc eſt ex aſſumpto officio, vel mandato ſuperaddito.* Audiamus Alex. Alenſem 4. p. q. 11. memb. 2. a. 4. §. 1. prope finem: *Hoc Sacramentum non eſt de neceſsitate ſalutis, quantum eſt de ſui inſtitutione, ſed ſi hoc eſt, eſt de mandato ſuperaddito v. g. Eccleſia conſtituit &c.*

De ipſo D. Thomâ audire poterat Sinnichius Cajetanum in 3. p. q. 80. a. 11. *Multi Doctores,* inquit, *&* AUCTOR *in 4. ſent. d. 9. q. 1. a. 1. tenent communionem non eſſe ex Chriſti, ſed Eccleſiæ præcepto neceſſariam: & rationes in litterâ allatæ, inferentes communionem eſſe ſub præcepto Chriſti probabiles ſunt:* paulò poſt dicit eas tamen rationes *non eſſe accipiendas ut coactivas.* Concludit denique tutiorem apparere viam Auctoris hic, quamvis cogens ratio non appareat. Adiri poteſt Leander tom. 2. de Euchariſt. tract. 7. d. 2. q. 1. citans pro ſententiâ illa etiam Charthuſianum, Gabrielem, Graffium, alioſque.

An ignoravit Doctor Sinnichius, quid de præcepto confeſſionis, quatenus divinum eſt, non obligante ante mortis articulum docuerint graves, & perantiqui viri? Res notior eſt, quam ut immorandum ſit Suarez de Pœnit d. 35. ſect. 3. num. 6. pro ea ſententiâ citare non dubitavit D. Thomam, Scotum, Durandum, Gabrielem, Richardum, Paludanum. Hi erant excutiendi Sinnichio: ſed Tamburinus erat exagitandus.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Præcepto colendi Feſta.

§. I.

Immeritò accuſatus à Sinnichio Tamburinus potiſsimum circa obligationem abſtinendi à labore ſervili.

84. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 431. col 2. in Vind. cap. 20. pag. 247. Tamburinum reprehendit, quod *excuſet plane Barbitonſores, atque etiam Sutores à violatione feſtorum, titulo ſignanter lucri ceſſantis.*

Tamburinus l. 4. cap. 3. §. 2. num. 13. loco citato à Sinnichio, illos excuſat, non titulo cujuſcumque lucri ceſſantis; ſed *ex lucro ceſſante* NON ORDINARIO, quando alioqui *facilè*, ut loquitur, *à pleriſque relinqueretur, cum notabili lucri jacturâ.*

Accuſat ibidem Sinnichius Tamburinum, quod loco citato num. 8. *Cenſeat generaliter excuſari quoſcumque Artifices die feſto laborantes ſpe notabilis lucri; modo tamen non ſit ordinarium.*

Tamburinus iſto loco affirmat ſententiam eſſe probabilem: quibus autem ibi modis explicet *lucrum notabile, & non ordinarium* exponam n. 86.

De reliquo mirum eſt, in his Tamburinum fuiſſe præcipuè accuſandum. Crediderim ignoraſſe Doctorem Sinnichium ſententiam Cajetani in Summa v. *feſtos dies* inter cauſas excuſantes laborem die feſto ſuſceptum recenſet quarto loco *Occurſum lucri ceſſantis. Indulſit enim*, inquit, *Eccleſia (ut patet ex cap. licet. de feriis) ut alecia, quæ quodam tempore tranſeunt, capere liceat in feſto. Et pari ratione non ſolum alios piſces tranſitorios, ſed* QUOMODOLIBET OCCURRAT TRANSITORIUM ALIQUOD LUCRUM *aggredi licitum eſt: tamquam hujuſmodi lucrum ceſſans damnum reputetur: ſed memento moderaminis ſubjuncti: ut ſcilicet circumpoſitis Eccleſiis, & Chriſti pauperibus honeſta lucri portio detur.* Bona monitio. Patet ex dictis etiam Tamburinum pro laborantibus poſuiſſe caſum *lucri tranſeuntis*: poſuit enim, quod *facile à pleriſque relinquerentur.*

Illis ſimilia, quæ ex Cajetano audivimus, habet Angelus in Sum. v. *feria* num. 34. ſimilia Baſſæus v. *feſtum* citans Cajetanum, Clavem Regiam, Navarrum: neque ſe Cajetanus, & Baſſæus (imo neque Angelus) tam fundant in diſpenſatione Pontificis, quæ facta ſit d. cap. *licet* de feriis quam in *lucro ceſſante*, quod *reputetur damnum.*

De Tonſoribus idem planè, quod Tamburinus, eodémque nixus fundamento docuerat Antonius Fernandez de Moure Exam. Theol. p. 1. cap. 7. §. 1. num. 6. his verbis: *Ex interpretativâ licentiâ Epiſcopi videtur excuſari uſus tonſorum &c. Quamquam ex alio capite id licere mihi perſuadeam; nimirum ex occaſione ceſſantis lucri: quoniam aliis diebus tondendi non accedunt &c.*

De Pictoribus, de quibus ibidem Tamburinum potiſſimum reprehendit Sinnichius, Baſſæum adeat lector eoſque Auctores, quos citat ille ibidem num. 9. Tædet his immorari, uti & iis cavillationibus, quibus mox argumentatur ibidem contra Tamburinum: illas licebit exagitare in 2. parte Stateræ. Satis hoc loco eſt, oſtendiſſe, quam odioſe ille Cenſor opiniones, quæ laxiores videbantur, communes permultis Auctoribus omnis generis, ſic referat, ut uni Tamburino, alterive ex iis, quos oderat, proprias.

85. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 432. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 248. Tamburinum reprehendit, quod lib. 4 cap. 3. §. 2. num. 1. narret, *eſſe jam noſtra ætate receptam ſententiam*, quod *per duas horas vacare ſervilibus non ſit mortale.*

Incertum eſt, quid hic reprehendat, aut quid neget Doctor Sinnichius. Negatne eſſe receptam ſententiam à non paucis Theologis? neque enim Tamburinus narrat, eſſe receptam ab omnibus. Atqui certum eſt eſſe receptam à non paucis; de hâc re non dubitant, qui paulò univerſalius ſe dederunt explorandis ſententiis Auctorum, quam Sinnichius, qui præter Tamburinum, Caramuelem, & paucos quoſdam alios videtur vix legiſſe Theologos morales. Non dubitavit Marchantius apud Dianam p. 5. tract. 5. reſol. 6. ubi ad quæſtionem preſentem, *Reſpondeo,* inquit, *alii dicunt, quatuor horas, alii verò duas: ego ut minimum requirerem tres ad peccatum mortale.*

Fortaſſe diſplicuit ſententia ipſa: atqui Tamburinus non affirmat illam eſſe ſuam ſententiam: demus verò, quod affirmarit: quid Sinnichium impulit in Tamburinum potius, quam in Marchantium, tres ut minimum horas requirentem? Addidit Tamburinus: *Apud Marchantium aliquis dat etiam horas quatuor, ipſe requirit tres ad mortale*: his ipſe negat ſe aſſentiri. Sinnichius his præteritis gaudet invehi in Tamburinum, quia dixit *receptam eſſe ſententiam*, de duabus horis.

Sinnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 432. col. 1. in Vind. c. 20. pag. 248. Tamburinum accuſat, quaſi neget, peccare mortaliter herum, qui duodecim ſervis injungit laborem integri diei, aſſignando ſingulis duas horas ſucceſſivè.

Tamburinus l. 4. cap. 3. §. 2. num. 2. loco citato à Sinnichio, ſolum

refert

refert ſententiam, & rationem Bonacinæ illa docentis diſp. 5. de 3. Dec. præc. q. un. p. 3. n. 4.

At Tamburinus, inquies, non improbat ſententiam Bonacinæ. Hæc ratio non eſt ſufficiens, ut vel auctor ſententiæ dicatur Tamburinus, vel potius debuerit vapulare à Sinnichio, quam Bonacina, qui ſententiæ illius apertiſſimè eſt auctor. Citavit etiam Tamburinus Portellam: ſed plus omnibus peccavit Tamburinus.

Rogo lectorem, ut adire dignetur Sinnichium loco citato, & admiretur robur rationum, quibus illam ſententiam Bonacinæ; & aliorum conatur convellere. Saulus Stephanum lapidavit eorum manibus, quorum veſtimenta ſervavit, ut expeditius lapidarent: ergo herus jubens ſervos laborare ſingulos ſucceſſivè per modicas diei particulas, laboravit toto die &c: perplexa res, aſſignare diſparitatem. Sic refutare laxitates eſt prodere ſeveritatem: timendum ne improbandam prorſus doctrinam etiam judicio meo, iſtiuſmodi argumentis refutatam, ſuſpicetur lector confirmatam potius, quam refutatam.

§. II.

Malâ fide à Sinnichio accuſatus Tamburinus circa cauſas omittendi miſſam die feſto.

86. Sinnichius Saulis Exr. cap. 106. in Vind. cap. 19. in fine affirmat Tamburinum l. 4. cap. 2. §. 1. num. 7. docere, *Miſſam omitti poſſe ſine culpâ in die feſto* PROPTER LUCRUM, *quod tunc ceſſaret, ſi quis miſſæ adeſſet.*

Tamburinus iſto loco nihil habet ſimile. Habet quiddam ſimile §. 2. n. 7. ſed locum invidioſè truncavit Sinnichius. Verba Tamburini hæc ſunt: „ ſed redeo ad difficultatem. An Miſſa omitti poſſit ſine culpâ die feſto „ propter lucrum, quod mihi ceſſaret, ſi Miſſæ adeſſem: communis „ hæc mihi quæſtio videtur cum eâ, an in eodem die feſto *propter lucrum* „ *notabile* poſſit quis operibus ſervilibus vacare, & ut affirmativè de eâ re- „ ſpondebimus infrà cap. 3. §. 2. n. 8. ſic & affirmativè propter eamdem ra- „ tionem de hâc erit ſentiendum.

Placuit Sinnichio omittere particulam NOTABILE, quaſi Tamburinus ob quodlibet lucrum doceat omitti poſſe Miſſam.

Placuit rurſus Sinnichio diſſimulare, quod Tamburinus remittat Lectorem ad cap. 3. §. 2. num. 8. ubi niſi legatur, intelligi non poteſt, quomodo reſpondeat ad quæſtionem, quia cap. 8. §. 1. modum reſponſionis ſuſpendit ex reſpondendis infrà, dicens; *ut affirmative de eâ reſpondebimus infrà, ſic &c.* Atqui

Atqui Tamburinus *infrà*, hoc eſt cap. 3. §. 2. num.8. ad quæſtionem, *An ſpes lucri notabilis concedat opera ſervilia die feſto*, ſolum reſpondet ſententiam affirmantem eſſe probabilem. *Reſpondeo*, inquit, *quamvis Suarez, & Caſtropalaus inclinent in ſententiam negativam, tamen* AFFIRMATIVAM SENTENTIAM ESSE PROBABILEM. Eodem num. 8. iterum, iterumque inculcat, ſe eam ſententiam ſolum tenere, ut probabilem. Non debebat ergo Sinnichius ſimpliciter affirmare, Tamburinum CENSERE *Miſſam omitti poſſe &c.*

Rurſus iſto loco *infrà*, hoc eſt cap. 3. §. 2. num.8. ſtudioſè explicat, quid intelligat per *lucrum notabile*: explicat verò lucrum illud opponens *omiſſioni Vindemiæ*, ob quam licet laborare die feſto. Tum verò disertè *De* EXTRAORDINARIO, inquit, *lucro ſermonem facimus.* Extraordinarium lucrum ſic mox explicat: *Adde non eſſe exiſtimandum piam Matrem Eccleſiam velle obligare Fideles ad rem oppidò difficillimam, qualis eſt ob abſtinentiam ſervilium* amittere CENTUM, DUCENTOS, MILLE, PLURES AUREOS. Poſtea FAVERE aït *Pontificem, qui conceſſit Halecum piſcationem die feſto*; *& favere Doctores, qui ex paritate cum dictâ Halecum, piſcationem Thynnorum eodem feſto, ne magnum lucrum amittatur, concedunt.* Hæc omnia quibus *lucrum notabile* exaggeravit Tamburinus, non diſſimulaſſet Sinnichius, ſi fuiſſet æquus Cenſor.

Ut ut ſit: non fuiſſe de his præcipuè reprehendendum Tamburinum, intelliget Lector ex iis, quæ inveniet num. 84. ubi citantur Auctores excuſantes laborem die feſto ob lucrum alioqui ceſſaturum.

87. Sinnichius ibidem aït Tamburinum lib.4. cap.2. §.3. num.9. affirmare, *Præviſionem carentiæ Miſſæ non obſtare quò minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum, ubi ob penuriam ſacerdotis, nequibit die feſto Miſſam audire.*

Tamburinus hoc non affirmavit: quia cum ibi retuliſſet caſum ſingularem de omittendâ miſsâ ob venationem, ſimulque reſponſionem benigniorem cujuſdam, ipſe de ſuo hoc unum pronuntiat, illum eſſe *probabiliter locutum.* At ergo, inquit Sinnichius, *conſequenter ad ſua principia agnoſcit ſententiam in praxi eſſe ſecuram.* Hoc genus cavillationis Sinnichio familiare & ſæpe rediens excluſi à num.28.

Alterum in iſtâ citatione peccatum eſt Sinnichii, quod affirmationem Tamburini de caſu ſingulari, exquiſitiſque conditionibus affecto, faciat univerſalem. Adeatur locus Tamburini: ipſe reſponſionem benigniorem de caſu valde ſingulari affirmat probabilem: mox verò loquens generaliter, *Quænam*, inquit, *ſit hâc in re propinquitas, vel diſtantia* ſylvæ, in quâ venandum, ob quam liceat die feſto miſſam omittere, *ex gravitate, vel rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis neceſſitate, utilitate, honeſtate, & ceteris ſimilibus eſt judicandum.*

Adde

Google

Adde quod Theologus ille, quem Tamburinus dixit *probabiliter locutum*, expreſſe negarit, ut ipſe narrat Tamburinus univerſaliter licere proficiſci ad venationem, ſi prævideatur omittenda Miſſa. Negat quoque id diſertè Tamburinus lib.4. cap.5. §.7. n.3. in fine. Quâ ergo fiduciâ Sinnichius Reum facit Tamburinum affirmationis univerſalis, quod Theologum illum de caſu ſingulari affirmantem benignius, dixerit *probabiliter locutum*.

88. Denique dixit Tamburinus probabiliter locutum, qui reſpondit Nobiles Adoleſcentes, qui condixerant de venatione in ſylvâ valde remotâ, ad quam erat proficiſcendum itinere unius diei, cum poſtridie eſſet futurus dies feſtus &c. licitè proficiſci, etſi prævidérent fore, ut non poſſent poſtridie intereſſe Miſſæ. Is qui hinc infert ſimpliciter dixiſſe Tamburinum, *Prævifionem carentiæ Miſſæ non obſtare, quo minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum &c.* idque quia ex ejus principiis probabilis ſententia *eſt ſecura in praxi*, tantumdem facit, ac ſi ex eo, quod quis affirmet in dubio Matrimonii, orto ex impotentiâ fortaſſe non perpetuâ, adeoque in dubio de fornicatione, ſeu immunditiâ, licere certo tempore ſe gerere pro conjuge, inferret, eum affirmare ſimpliciter in dubio Matrimonij licitùm eſſe ſe gerere pro conjuge. Res patebit conſideranti: ſtante nimirum probabili ſententiâ formari poteſt dictamen conſcientiæ, practicum, quod hic & nunc illa actio ſit licita, ut quidem cenſet Tamburinus: ſtante ſimiliter illo dubio de impotentiâ perpetuâ, formari poteſt dictamen conſcientiæ practicum, quod illa actio coniugalis ſit licita: Tamburinus loquitur de caſu venationis in certis, & determinatis circumſtantiis: ille quoque poſterior loquitur de caſu actionis coniugalis ſtante dubio de Matrimonio in certis, ac determinatis circumſtantiis. Imprudenter hunc accenſes quod affirmet ſimpliciter in dubio de Matrimonio, licitos eſſe actus conjugales: neque prudentius accuſes Tamburinum, quod affirmet ſimpliciter, *Prævifionem carentiæ miſſæ non obſtare &c.*

Denique putavitne Sinnichius *Prævifionem carentiæ Miſſæ* aliquot diebus feſtis ſecuturis obſtare, quo minus liceat cuipiam ſe dare Navigationi in Hiſpaniam e. c. negotiorum causâ, vel, ſi mavis, oblectationis, & curioſitatis videndi Hiſpaniam? Non aſſignabitur diſpar ratio hujus caſus, & illius de venatione, quem retulit Tamburinus.

Minori periculo injuriæ Sinnichius laxitatis arguiſſet eos Theologos, qui docent, etiam dantem operam rei illicitæ, ex quâ prævidetur fore, ut non poſſit impleri preceptum Eccleſiæ, quod poſtea urgebit, non peccare contra præceptum illud. Auctores hoc docentes Lector inveniet num. 92. 93.

§. III.

Aliter aliterque accuſatus à Sinnichio. Tamburinus circa præceptum audiendæ Miſſæ: ſed vel cavillatoriè, vel imperitè.

89. SInnichius Saulis Exreg. cap. 105. pag. 428. col. 1. in Vind. cap. 19. pag. 239. exagitat Tamburinum quod lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 10. probabile dixerit *ſaltem propter auctoritatem extrinſecam multorum id aſſerentium*, ſatisfieri precepto Eccleſiæ, ſi audiatur die feſto media Miſſa ab uno Sacerdote, & poſtea altera media Miſſa ab alio: mox verò improbet iſtam ſententiam, contendens ex eâ *conſequi abſurdum*: ut nimirum etiam ſimultaneâ auditione plurium partium diverſarum Miſſarum ſatisfiat præcepto Eccleſiæ.

Hic verò Sinnichius non capit ſe præ gaudio, quod Tamburinus *reputaverit probabile, quod ipſemet aſſerit eſſe abſurdum.* Tamburinus non dixit eſſe abſurdum id, quod dixerat eſſe probabile: dixit conſequi abſurdum judicio Suarezij, & ſuo: neque hinc ſequitur, quod putaverit antecedens eſſe abſurdum: neque enim abſurditas conſequentis redundat in antecedens, niſi quando conſequentia eſt omnino perſpicua; qualem non affirmat Tamburinus eſſe eam, quam ibi format: neque revera conſequentia eſt perſpicua, ut ſapienti Lectori eam conſideranti patebit.

Si etiam Sinnichio Tamburinus diſplicuit, quod probabilem dixerit ſententiam affirmantium, ſatisfieri præcepto auditione ſucceſſivâ duarum partium Miſſarum diverſarum; non ignorabat multos præiviſſe Tamburino, qui non ſolum illud probabile dixerant, ſed abſolute aſſeruerant: verùm & illos Sinnichius paulò ante locum citatum appellare non eſt veritus *Patronos laxitatum*.

Fuit ergo judicio Sinnichij *Patronus laxitatum* graviſſimus Doctor Martinus Navarrus, qui illud abſolute aſſeruit in Sum. cap. 21. n. 2. item in Commentar. de oratione & hor. can. cap. 10. n. 43.

Fuit ergo rurſus judicio Sinnichii *laxitatum Patronus* Joannes Major in 4. d. 12. q. 3. ante med. Itemque Dom. Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Martin. Bonacina Tomo 1. d. 4. quæſt. ult. p. 11. n. 13. qui docuerunt ſatisfieri præcepto Eccleſiæ quoad ſubſtantiam auditione partium Miſſarum diverſarum. Denique *laxitatum Patroni* Sinnichio fuerunt communiter Theologi: certe enim & Bonacina, & Suarez de Ven. Euch. d. 88. ſect. 2. (qui ſententiam repudians fatetur probabilem ob auctoritatem) & Guilielmus Herinx de Ven. Euch. diſp. 8. q. 16. n. 203. (qui fatetur *hanc opinionem poſſe,*

Digitized by Google

dum ſaltem cauſa ſubeſt, practicè admitti, & Diana p. 2. tract. 17. reſol. 18. aiunt ita docere *communiter Theologos*. Ecce quam fuerit vel imperitus harum rerum Doctor Sinnichius, vel arrogans, qui tales & tot Theologos cenſuerit eſſe *Patronos laxitatum*. Ego opinionem illorum non approbabo: ſed tamen cavebo mihi, ne illico cenſeam eſſe *Patronos laxitatum*.

90. Sinnichius Saulis Exr. cap. 106. in Vind. cap. 19. ſub finem, Tamburinum reprehendit de *laxuate, quâ cenſet*, inquit, *ſatiſfieri præcepto auditionis Miſſæ, etiamſi quis non interſit conſecrationi.*

Sed quare Doctor Sinnichius vocavit hanc laxitatem Tamburini? cur non potius laxitatem Emin. Cardinalis de Lugo d. 22. de ſacr. ſect. 2. n. 27.? hujus ſententiæ auctorem citavit Tamburinus iſto loco, de quo reprehenditur à Sinnichio hoc eſt lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 3. Poterat ſimiliter vocare laxitatem omnium eorum, qui docent eſſentiam ſacrificij non conſiſtere in conſecratione. Non enim exiſtimarunt defectum cujuſlibet partis, quamvis parvæ in auditione Miſſæ eſſe peccatum mortale. Poterat ergo eam appellare laxitatem Ruardi Tapperi, poterat Ledeſmæ, & aliorum, quos memorare diſtinctius ſupervacaneum ſit.

CAPVT IX.

De Præcepto jejunii.

§. I.

Præcipitanter à Sinnichio accuſatus Eſcobarius de excuſandis à jejunio fatigatis.

91. SInnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 433. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 251. cum retuliſſet Articulum hunc: *Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito, v. g. cum feminis commixtione, liberatur à lege jejunij*, ſic ſubdit; *Articulus videtur deſumptus ex Theologiâ Morali P. Antonij Eſcobar ex capite proximè præcedenti n. 23.* hoc eſt tract. 1. exam. 13. cap. 2. n. 23.

Eſcobarius iſto loco de *laborante ad malum finem* ſic diſtinguit: *Non poteſt jejunium ſolvere, ut vires colligat ad crimen patrandum, ſed poſt commiſſum poteſt ad vires recuperandas, laſſitudini jejunio ſoluto occurrere.* Eſcobarius proximè ſequenti capite n. 45. propoſitâ quæſtione, *An defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito obligationi jejunandi ſubjaceat*, ſolum hoc reſpondet, alios affirmare, alios negare. Sed per me licet, ut non habeatur hujus rei ratio.

Vellem ſcire, quid diſplicuerit Sinnichio in Eſcobarii ſententiâ. Ipſe more ſuo parum diſtinguens, ſatis habet nominaſſe Eſcobarium, & plebi invidioſum feciſſe.

Eſcobarius docuit, *poſt commiſſum crimen*, *poſt transactum laborem* licitum, vel illicitum, ex quo orta eſt defatigatio, non eſſe obligationem jejunandi. Eſtne hoc, quod diſplicuit Doctori Sinnichio? Caſus poteſt eſſe duplex: Primò ut nullo modo fuerit prævisum ſecuturum impedimentum jejunii. Tunc verò certum eſt, hominem ſatis defatigatum ex labore licito, vel illicito non obligari ad jejunium; quod jam eſt moraliter impoſſibile: neque de hoc ſani Theologi dubitabunt.

Secundò ita, ut aliquo modo fuerit prævisum impedimentum, vel aliquâ negligentiâ culpabili factum ſit, ut non præviderетur. Demus verò gratis, ſententiam Eſcobarii proceſſiſſe etiam pro caſu hoc.

Dico, quod Eſcobarius non negaverit illum hominem peccaſſe, & quidem contra legem jejunii, ponendo cauſam impedimenti ad ſervandam legem jejunii, ut patebit conſideranti ejus verba.

Dico rurſus, Eſcobarium non eſſe reprehenſione dignum, quod etiam pro iſto caſu dixerit, hominem defatigatum, jam transacto labore, non obligari ad jejunandum. Hæc enim, ut rationes omittam, eſt communis ſententia Doctorum, ut colligitur ex iis, quæ adnotat Diana p. 10. tract. 14. reſol. 11. §. *Quare malè*. Item ex iis, quæ habet Leander de quinque præcept. tract. 5. d. 8. q. 156. Rem bene expreſſit Silveſter V. *Iejunium* n. 24. ſic loquens: *Addit Petrus de Palude, quod ſi peregrinatio non eſt neceſſaria, peccat illam aggrediens indiſcretè .... eâ tamen aggreſſâ licet incompoſſibile jejunium frangere, ſicut licet infirmo* EX SUA CULPA DURANTE INFIRMITATE. Paſqualigus deciſ. 320. dicit, illud *communiter omnes concedere*: Videatur etiam Stubrockius nota. 2. in diſſert. Theol. de probab. ubi Janſeniano homini illa carpenti in Filliucio, quæ reprehendit Sinnichius in Eſcobario vultum Janſenij ſui agnoſcendum exhibet.

92. Sed cur Doctor Sinnichius non eſt invectus in eos Theologos, qui, quod Eſcobarius non fecit, docuerunt, non ſolum non peccare jam fatigatum labore licito, vel illicito, ſi non jejunet; ſed nequidem peccare contra legem jejunii ponendo cauſam fatigationis, quæ prævidetur jejunium impeditura? ſic docuit Bonacina Tom. 2. d. 2. q. 8. p. 1. n. 16. agens etiam de labore in quærendâ meretrice. Sic & Leander Tom. 3. in quinque præcepta Eccleſiæ tract. 5. d. 8. q. 156. agens de *labore aſſumpto ob quærendam concubinam, aut ob alium malum finem*, & citans Medinam, Petrum de Ledeſma, Dianam, Filliucium, alioſque. Erravit citans Filliucium tract. 27. p. 2. n. 123. ibi enim fatetur ille quidem *ſecutâ defatigatione excuſari à jejunio, qui malo fine laboravit*: negat tamen excuſari à violatione

legis

legis jejunii in ponendâ causâ: *Sed melius,* inquit, *alii culpam quidem eſſe in apponendâ causâ fractionis jejunii, at eâ poſitâ excuſari à jejunio.*

93. De Medina dubitari non poteſt, ſi Petro de Ledeſma credimus 2. p. Sum. tract. 27. cap. 3. agit verò Medina etiam de labore itineris ſuſcepti ad viſendam amicam. Sententiam Medinæ probat Ledeſma, tamquam quæ magis probabilis videatur, quatenus affirmat, non peccari contra legem jejunii, ponendo cauſam impedimenti ad jejunandum, idque advertenter: pro exemplo ſtatuit eum, qui ſe luſu pilæ reddit ineptum ad jejunandum. Quod idem docent Rocafful in Praxi Theol. Mor. Tom. 2. l. 3. de præcept. Eccl. cap. 9. num. 153. & 154. Joannes Henriquez in Sum. ſect. 16. q. 29. verſu *y aun dize.*

Ultra progreſſus Paſqualigus decis. 32. num. 6. aſſerit non peccare eum contra legem jejunii, qui ſciens ponit cauſam ex ſe illicitam, impeditivam jejunii, & quidem ex intentione non jejunandi: pro quâ ſententiâ Leander ſupra q. 158. citat Rocafful.

94. Atque hæc, ut puto, ſufficiunt, ut intelligat Lector, quanto jure Sinnichius putaverit reprehendendum Eſcobarium potiſſimum, qui in hâc materiâ ſolum docuit; non eſſe obligationem jejunandi in fatigato poſt commiſſum crimen, poſt laborem licitum, vel *illicitum*, quod communiſſimè docent omnes Theologi. Sufficiunt hæc eadem, ut intelligat Lector, quam parum peritus fuerit idem Cenſor, qui loco citato indicet, nullum ſe ſcire auctorem, qui docuerit illam ſententiam Eſcobarii: putavit enim adnotandum, quod Eſcobarius nullum pro ſuâ ſententiâ Auctorem citaverit.

Ego, quod ad me attinet, improbandam cenſeo illorum ſententiam, qui in ponendâ causâ impeditivâ jejunii, præcipuè aliunde illicitâ, non agnoſcunt peccatum ſpeciale contra legem jejunii: ſed & explodendos cenſeo, qui putent cenſurâ dignam eſſe eorum ſententiam, qui cenſent, poſito jam impedimento, *& tranſacto labore* non fieri novum peccatum non jejunando, præcipuè ſi non fuerit præviſum impedimentum ex illâ causâ oriturum.

§. II.

Per injuriam lis eadem à Sinnichio intentata eſt Tamburino.

95. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 433. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 251. cum retuliſſet hunc articulum: *Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito v. g. cum feminis commixtione liberatur à lege jejunii,* poſt pauca Tamburinum ait huic articulo videri favere l. 4. c. 5. §. 7. n. 30. & 32.

Tamburinus illo num. 30. cum quæſiviſſet An *ſi quis artem, ſeu vivendi modum laborioſum non eſt ex ſuâ conditione ſortitus, poſſit ex ſuâ voluntate laborioſum opus aliquo die aſſumere, & conſequenter eo die abſtinentiæ legem non ſervare.* Reſpondet circumſpectè; *ſi id fiat aliquâ notabili ex cauſâ, poſſe.* Exempla hæc ſubdit: *Vt ſi quis v.g. carens ornatore templi, ipſe cum diurno labore, ne feſtum relinquatur, exornet. Idem erit ſi pietatis gratiâ iter pedeſtre ad ſacram imaginem arripiat, ſi ſe flagellis uſque ad ſanguinem notabiliter cædat, ſi ad ſerviendum infirmis totum diem, etiam cum proprio lucro laborando conſumat: ipſa enim pietas ſatis rationabilem dat cauſam &c.* Hactenus nihil video, quod videatur favere illi articulo.

Pergit Tamburinus. „ At ſi ſine causâ; ut ſi quis pedeſter ad venan„dum ſolum ob voluptatem ſe conferat, vel pilâ ludat, vel haſtiludio „vacet, multò magis ſi cum peccato, ut ſi ad adulterandum, vel ad fu„randum, dictum pedeſtre iter arripiat, diſtinguendum erit. Nam ſi „hæc fiant eodem die, quo urget jejunii præceptum, cum id ſit pone„re directum impedimentum executioni præcepti, dum præceptum ur„get, illicitè contra præceptum de jejunando fient: ſi verò fiant tem„pore remoto, nec multum proximo ipſi diei, quo jejunium urget, non „illicitè fieri ſuprà per occaſionem diximus.

96. Hoc ergo ſolum docuit Tamburinus, eum, qui ex devotione ſuſcepit peregrinationem Lauretanam e.c. non teneri ad jejunium, ſi poſt arreptum iter incidat dies jejunii, quo ipſe pedibus continuat iter. Item eum, qui intemperantiâ victus e.c. ſe fecit ineptum ad jejunandum, non teneri poſteà ad jejunium. Si hæc diſplicebant Sinnichio, non debebant dſplicere in ſolo Tamburino: Quotus enim quiſque eſt Theologus, qui hæc non docet? putavitne eos obligari ad jejunium, qui intemperantiâ victus (eadem eſt ratio de aliis peccatis) exhauſerunt omnes vires?

Etiam num. 32. citato à Sinnichio nihil habet Tamburinus, quod carpere in ipſo potiſſimum debuerit: ſic ibi loquitur. *Si etiam cum peccato te ita defatigaſti, ut non poſſis jejunium pati: peccaſti quidem, dum impedimentum jejunio exhibendo appoſuiſti: at poteris deinde ſine novo peccato comedere, quia tunc verè incapax es macerationis jejunii.* Si facultas Theologica Lovanienſis cenſuratam voluit hanc doctrinam, quando reprobavit Articulum ſuprà deſcriptum, rem auſa eſt miram contra *omnes communiter* Theologos, ut intelliget Lector ex iis, quæ habeo n 91.

Crediderim ergo Cenſoribus diſplicuiſſe Articulum ſic intellectum, ut nullum ibi aſſeratur intervenire peccatum contra legem jejunii, nequidem in ponendâ causâ fatigationis, vel infirmitatis impeditivæ jejunii, quando hoc aliquo modo eſt prævisum: hoc docuerunt plurimi, ut oſtendi

oſtendi num.92. manifeſte verò contrarium docuit Tamburinus, ut patet ex ejus verbis citato num.32. quæ modo exſcripſi. Doctor Sinnichius nihil diſtinxit, ut Tamburinum faceret odioſum.

§. III.

Incautè à Sinnichio accuſati Eſcobarius, & Tamburinus circa ſomni defectum excuſantem à jejunio.

97. SInnichius Saul. Exr. cap. 07. pag. 433. col.1. in Vind. cap. 20. pag. 251. cum retuliſſet articulum hunc; *Qui dormire nequit niſi veſperi ſumpta cœnâ, non tenetur jejunare; imo neque in prandio collationem ſumere: quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet &c.* ſic ſubdit *Articulus videtur deſumptus ex Theologiâ morali I. Antonii Eſcobar ex Exam.13. cap.3. n.67. Citat ille ibidem Filiucium.* Sic eſt, citat ille ibidem Filliucium, & more ſuo non tam ſuam tradit ſententiam, quam aliorum, ut præfatus erat: Filliucius autem tom.2. tract.27.p.2. cap.6. num.130. hoc unum dicit: *Qui bonâ fide credit ſe habere juſtam cauſam non jejunandi, & propterea non jejunat, is non peccat ſaltem mortaliter .... Quo pacto excuſari poſſunt multi ſolventes jejunium, vel excedentes in refectiunculâ: putant enim ſe non teneri ex variis cauſis; ut ob debilitatem, vel ad capiendum ſomnum.*

98. Si hæc cenſurata voluit Lovanienſis Schola, quod non credo, ſcire debebat, ante Eſcobarium, & Filliucium ea docuiſſe viros graviores, quam ut eſſet decens, cenſuris iſtis operam dari. Cajetanus in Summâ v. *jejunium*, cum monuiſſet generaliter à peccato violati jejunii eos excuſandos, qui habent *rationabilem cauſam æſtimatam ſufficientem ab ipſis debentibus jejunare, quamvis in veritate ſufficiens non fuerit*, dixiſſetque *nec per accidens ſeu materialiter ſic eos operari, ut redeat peccatum in naturam ſua forma*, mox ſubdit, *ex hoc capite innumerabiles perſonas timoratas excuſari ſæpiſſimè.* Cauſas verò ab ipſis exiſtimatas ſufficientes ponit *debilitatem*, SOMNUM HABENDUM &c. ſubjungit verò hoc monitum: *Cave ne ſis imprudens, & nimis ſapiens in oculis tuis, dicendo, quod omnino iſti ſolvunt jejunium &c. & ſis cauſa, quod iſti non jejunent juxta ſuum poſſe: nam ipſi ſic, ut dictum eſt, agendo, non agunt contra præceptum Eccleſiæ, & forte quandoque, nec venialiter peccant.* Addit quædam de DOCTIS STULTIS hoc eſt Cenſoribus, & monitoribus importunis, & imperitis.

Denique pro ſuâ ſententiâ Filliucius citat etiam Paludanum, Antoninum, Sylveſtrum, Navarrum. Diana verò p.1.tract.9.reſol.51 pro Eſcobario citat Lopez Ludovicum de S. Juan, alioſque.

99. Sinnichius ibidem, cum retuliſſet eumdem Articulum; *Qui dormire*

Google

mire nequit, niſi veſperi ſumptâ cœnâ, non tenetur jejunare; imò neque in prandio collationem ſumere quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſet &c. Poſt pauca Tamburinum ſugillat, quod huic articulo favere videatur lib. 4. c. 5. §. 7. n. 14.

Quod attinet ad primam partem Articuli; Tamburinus non quemcumque defectum ſomni ait excuſare, ſed *notabilem*, & qui *notabile*, & rurſus, qui *grave detrimentum* valetudini afferret: legatur loco cit. n. 15. Non eſt credibile Lovanienſes Cenſores id reprobatum voluiſſe: quia Articulum damnant, ut *fundatum ſuper frivolo prætextu.* Tamburinus nihil prætexit, ſed hypotheſim ſtatuit ſolidam: ſi qui in ipsâ praxi prætexant cauſas frivolas, hi non ſequuntur doctrinam Tamburini.

100. Denique ſi eſt reprehenſione dignus, quod docuerit, eum non obligari ad jejunium, qui noctu dormire non poteſt &c. (de quo judicium relinquo melioribus Theologis moralibus, quam fuit Sinnichius) certè non fuit reprehenſione dignus præ aliis permultis viris gravibus, qui vel hoc idem, vel alia docuerunt, de quibus ratio erat eadem.

Imò poſſunt pro illâ ſententiâ citari omnes Theologi, qui ſequuntur D. Thomam in 4. d. 15. q. 3. a. 2. quæſt. 2. ubi, cum dixiſſet, *Bonum ſtatum virtutis conſiſtere in conſervatione vitæ, & valetudine ſufficienti ad opera, quæ quis facere debet*, generaliter pronuntiat, omne id excuſare à lege jejunii, *cum quo ſimul, & jejunio prædictus ſtatus conſervari non poteſt.* Addit quiddam de diſpenſatione petendâ, quâ conſtat non eſſe opus, niſi in caſu dubii: Mihi autem videtur, hominem *qui dormire nequit*, non habere bonum ſtatum deſcriptum à D. Thomâ. Unde Navarrus in Sum. cap. 21. num. 16. non dubitavit eos eximere lege jejunii, *qui tam infirmâ ſunt complexione, ut vacuo ſtomacho capitis dolorem, vel vertiginem patiantur, aut totâ nocte calere, vel dormire nequeant.* Atque hæc omnia ſine dubio revocanda ſunt ad Regulam D. Thomæ de notabili detrimento *boni ſtatus.* Cumque de hoc inter omnes conveniat, non fuit reprehendendus Tamburinus, quod faviſſe videretur primæ parti Articuli, quo affirmatur licere cœnam ſumere, ſi quis alioqui non poſſit dormire.

101. Poſteriorem partem articuli neceſſe eſt tenuiſſe illos omnes, qui ſimpliciter docuerunt, cauſam excuſantem à jejunio eſſe defectum ſomni, aut calefactionis nocturnæ: non enim ignorabant, huic incommodo occurri poſſe, ſi meridie ſumptâ collatione differretur plenior refectio ad cœnam: illud verò docuit Navarrus, ut jam vidimus, plurimique alii citati à Thoma Sanchez Conſil. l. 5. c. 1. dub. 14. n. 10 & apud Joannem Sanchez diſp. 54. n. 13. Dianam p. 1. tract. 9. reſol. 51. Non erat ergo cur unum alterumve Auctorem potiſſimum hoc loco reprehenderet Sinnichius, ſi ſatis æquo fuiſſet animo erga perſonas.

§. IV.

Google

§. IV.

Quo merito accuſatus à Sinnichio Tamburinus potiſſimum de excuſandis à jejunio Artificibus.

102. SInnichius Saul. Exr. cap.107. pag.433. col.1. in Vind. cap.20. pag. 251. Tamburinum reprehendit quod l. 4. cap. 5. §. 7. num.28. aſſerat, *Propter auctoritatem Doctorum eſſe probabile, nullos artifices obligari ad jejunia.* Continenter addit Tamburinus, quod Sinnichius omiſit; *Quia Eugenius vel conceſſit, ajunt, iis privilegium non jejunandi, vel declaravit, eos non comprehendi lege jejunii*; quæ verba non erant omittenda, ne Tamburinus videretur plus aliquid probabilitatis tribuiſſe illi ſententiæ, quam habeat narratio de privilegio, vel declaratione Eugenii IV.

Ceterum Tamburinus loco citato damnat ſutores ad jejunium: *Horum artem*, inquit, *non apprehendo eſſe valde laborioſam*: fatetur tamen contrariam ſententiam eſſe *probabilem* ob auctoritatem *multorum magni nominis Doctorum*. Sed *excipe*, inquit, *niſi ſutor ſolum ſcindat corium &c. vel tam molle ſit corium, ut non calcei, ſed pannus conſui videatur.* Quare ibidem inſinuat, ne probabile quidem eſſe excuſandos à jejunio ſartores, alioſque Artifices, quorum labor non eſt major.

103. Denique cum Sinnichius putarit, reprehendendum Tamburinum; quia dixit, *propter auctoritatem Doctorum eſſe probabile, nullos artifices obligari ad jejunia* exceptis ſutoribus &c. debebat, ſi æquus erat Cenſor, magis reprehendere Doctores illos, quorum auctoritatem aliquouſque reveritus eſt Tamburinus, nondum edito decreto Alexandri VII. quo reprobata eſt opinio docentium, ſimpliciter, nullos artifices obligari ad jejunium. De Auctoribus illis, ut breve faciam, adiri poteſt D. Nicolaus du Bois ad 45. Propoſitiones à num. 579.

§. V.

Variè, atque imprudenter accuſatus à Sinnichio Tamburinus de excuſandis à jejunio Conjugibus.

104. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 433. in Vind. c. 20. pag. 251. Tamburinum arguit, quod l. 4. c. 5. §. 7. n. 37. docuerit, *conjugatos liberari ab obligatione jejunii, quando illud ſervando nequeunt invicem reddere debitum.*

Digitized by Google

Tamburinus iſto loco expreſſe monet, ſe agere de *debito moderate petito, qua moderatio attendenda ſit ſpectatâ qualitate conjugum.*

Ceterum valde mirum eſt, potuiſſe Doctori Sinnichio diſplicere iſtam doctrinam: anne putavit legem jejunii Eccleſiaſticam prævalere legi naturali juſtitiæ? Certè non debebat ignorare, quam graves Doctores ſecutus ſit iſto loco Tamburinus. Hoc enim ipſum expreſſiſſime docuerunt Navarrus in Sum. c.21. n.6. Cajetanus in Sum. v. *jejunium* §. *ex neceſſitate.* Armilla v. *jejunium* n 4. Bonacina d. ultima de præcept. Eccl. q.1. puncto ultimo n.14. & citati à Fagundez de 4. Eccl. præcepto. l. 1. c.8. n.18. De graffis, Medina, Ledeſma, Philiarchus. Alii ſunt permulti, quos non eſt neceſſe referre in re tam exploratâ.

105. Sinnichius ibidem auget accuſationem Tamburini, quod loco cit. ſic doceat: *Si precibus, aliove modo poſſet conjux removere alterum à petendo debitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque adeo poſſet non jejunare, & ſic reddere,* quando ſcilicet aliter reddere non poſſet, niſi non jejunando.

Nihil eſt, cur de hâc re præcipuè reprehendatur Tamburinus. Docuerunt idem Paſqualigus deciſ. 280. Sanchez l.9. de Matrim. d.3. num. 10. Leander de præcept. Eccleſ. tract.5. d.[illegible]. q.68 debentque neceſſario docere omnes, qui cenſent famulum, qui laborare non poteſt ſervans jejunium, non teneri precibus agere apud dominum, ne jubeatur laborare, etiam quando id ſciret ſe impetrare poſſe. Velim aſſignari diſparitatem rationis inter hunc, & illum caſum.

106. Sinnichius ibidem veluti ſupremum caput accuſationis contra Tamburinum profert hæc ejus verba ibidem n. 41. *Illud approbo, ſi advertat conjux periculum incontinentiæ in alio, poſſe petere debitum; etiamſi, ut petat, opus ſit jejunium frangere.*

Hic ego hæreo, fateor. Non memini, quod legerim Auctorem, qui hoc expreſſe docuerit, neque Tamburinus ullum pro ſe citat iſto loco. Quid ergo remedii? Non habeo in promptu; niſi quod certò ſciam, neminem, qui habeat micam caritatis Chriſtianæ, & rem ipſam expenderit, prout oportet, poſſe negare illam doctrinam Tamburini. Voluitne Sinnichius, non licere nobis ſolvere jejunium, ab Eccleſiâ præceptum, ut poſſit e.c. confici iter pedeſtre incompatibile cum jejunio, & neceſſarium ad impediendum peccatum mortale amici nobis conjunctiſſimi? non eſt neceſſe, ut addam plura: Eruditus, & prudens lector videt abſurditatem, quam non vidit Sinnichius.

Digitized by Google

CAPUT

CAPUT X.

De Præcepto Eleëmoſynæ.

§. I.

Iniquiſſimâ diſſimulatione Sinnichius deformavit Doctrinam Gabrielis Vaſquez de præcepto Eleëmoſynæ ex ſuperfluis ſtatui.

107. SInnichius Saulis Exr. cap. 117. pag. 534. col. 1. in Vind. cap. 30. pag. 502. graviter accuſat Gabrielem Vaſquez, quod in Opuſc. de Eleëmoſynâ cap. 1. num. 27. hæc exaraverit: *Vix aliquis tenetur aut ſecundum opinionem Cajetani, aut ſecundum noſtram, ad eleëmoſynam, quando tantum tenetur ex ſuperfluo ſtatus.*

Doctor Sinnichius hoc loco incuriâ mirabili luſit in famâ præſtantiſſimi Scriptoris: Cum enim vulgaris habeat opinio, non eſſe obligationem faciendi eleëmoſynam de ſuperfluis naturæ, niſi in extremâ proximi neceſſitate, quis non perſuadeat, ibi audito Sinnichio, ex doctrinâ Gabrielis Vaſquez eſſe con[illegible] nunquam eſſe obligationem faciendi eleëmoſynam ſaltem extra neceſſitatem proximi extremam? Alieniſſimus eſt Vaſquez ab hâc doctrinâ. Dixit *vix aliquem teneri ad eleëmoſynam, quando tantum tenetur ex ſuperfluo ſtatus*, idque dixit veriſſimè, ſuppoſitâ notione *ſuperflui ad ſtatum*, quam à Cajetano, & Navarro profitetur ſe ſumere, ut nimirum illud ſolum ſit *ſuperfluum ſtatui*, quod eſt ſuperfluum, ſtatui præſenti, & futuro *quem ego* LICITE *poſſum acquirere*, & *quem* DIGNE *poſſum conquirere*: ſed quantò magis reſtrinxit notionem *ſuperflui ad ſtatum*, tanto magis ampliavit obligationem largiendi eleëmoſynam ex *ſuperfluis naturæ*. quæ eſſent *neceſſaria ſtatui*.

108. Unde quod alii dicunt, in urgente, ſeu gravi neceſſitate, etſi non extremâ, obligari unumquemque ſubvenire proximo *de ſuperfluis ſtatui*, Vaſquez loco citato num. 24. fatetur quoad rem eſſe verum: quia tamen ipſe *ſuperfluum ſtatui* accipit reſtrictius, quam illi, dicit ſubveniendum eſſe illi neceſſitati etiam de *ſuperfluis naturæ*, etſi non ſint *ſuperflua ſtatui*. Ipſum audiamus: *Urgens neceſſitas*, inquit, *primò poteſt eſſe corporis, ut cum imminet infirmitas aliqua gravis, & in hoc caſu obligat eleëmoſyna ex neceſſario adhuc ſtatus, & ſuperfluo naturæ, ſicut extrema* &c. Rurſus num. 26. *Si alicui imminet periculum famæ amittendæ, quia illa eſt pretioſior auro, & ſtatu, ſeu dignitate, ideo tenetur quis cum detrimento ſui ſtatus, & rei familiaris ſuperflua naturæ, ſimilem neceſſitatem propellere, & ſublevare, ut ordinata ſit charitas.* Denique

regulam condit univerſalem n. 24. *Ordo ergo charitatis talis eſſe debet, quod ad conſervanda bona proximi cum proprio damno conſiderandum eſt, æqualiane ſint, vel diſparis conditionis: vitam enim proximi cum detrimento vitæ meæ non teneor tueri, cum detrimento ceterorum teneor, & ſic de reliquis: alias quomodo charitas Dei manet in nobis* &c? Atque ex his Lector videt, quam iniqua diſſimulatione & truncatione ſit uſus Sinnichius in referendâ doctrinâ Gabr. Vaſquez.

109. Sinnichius ibidem graviter reprehendit Gabrielem Vaſquez, qui in Opuſc. de eleëmoſ. cap. 4. num. 14. docuerit, *Laicos poſſe de bonis patrimonialibus ſervare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum mutandum, & tunc illud non dici ſuperfluum. Vnde vix in ſæcularibus te inventurum, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui.*

Ex dictis proximè liquet nihil eſſe in verbis iſtis admiratione dignum; quando Vaſquez cenſet ſubveniendum neceſſitatibus gravibus etiam ex neceſſariis ſtatui, & merè ſuperfluis naturæ.

Cajetanus non erat ex iis, quos perſequebatur Sinnichius: Cajetanum in acceptione vocis *ſuperflui* ſecutus eſt Vaſquez: doctrinam verò ipſam temperavit non uno modo, ut patuit: Attamen idoneus eſt viſus, qui exponeretur locis Saulis infamibus. Non diſplicuit Sinnichio hæc oratio Cajetani in Sum. v. *Eleëmoſyna*: „Eleëmoſynam non facere eſt „peccatum mortale in duobus tantummodo caſibus. Primus eſt, ſi quis „habet de ſuperfluo naturæ, & perſonæ &c. Secundus eſt, cum apparet „pauper in extremâ neceſſitate &c. Et in primo caſu intellige duo. Pri- „mò ſuperfluum non conſiſtere in puncto, quoniam, ſicut multis ablatis „ab aliquo non cenſetur quis indigens, ita multis adjunctis non pro- „pterea ſuperfluit. Secundò quod ſuperfluum in tali latitudine conſi- „ſtens, judicandum eſt conſideratis ſumptibus honorabilibus, etiam filio- „rum, familiæ, ſtatus munificentiâ, communibus eventibus, hæredibus, & „aliis ejuſmodi: ita ut rarò videatur contingere, ut *homo ſecundum ſtatum* „*gloriosè vivens ſuperfluum habeat.*

110. Ex iis, quos perſequebatur Sinnichius non erat Navarrus, cujus lego verba hæc in Sum. cap. 24. num. 6. „Facilè judicandum non eſt, ali- „quem ſæcularem plura, quam quæ ſuo ſtatui neceſſaria ſunt, habere, „cum etiam ille, qui ad aliquod dominium emendum, & *mutandum ſuum* „*ſtatum in alium majorem*, ad quem idoneus eſt, pecunias congerit, non „habet plus, quam ſuum ſtatum deceat, ut dictum eſt c. 1. præced. „num. 74. . . . . . . Sequitur, Roſellam ſine juſtâ ratione dixiſſe, paucos „divitum Confeſſarios ſalvatum iri . . . . non tot ſunt, quot putat, hu- „juſmodi divites, quibus ſit ſuperfluum ſtatus. Conſentanea docuit Petrus à Navarra de Reſtit. l. 3. c. 1. n. 366.

111. Nequeo præterire ſilentio animadverſionem, quam ſuggerit

Na-

Google

Navarrus in Sum. cap. 23. num. 74. ſic loquens: *Coacervare ad providendum futura neceſſitati ſuæ, vel ſuorum . . . . . non eſt actus vitioſus, ſed prudentiæ: imo nec ſi id faciat ad augendum ſuum ſtatum, &* SE IN ALTIOREM ORDINEM PROMOVENDUN, *quo altioribus virtutibus ſerviat Deo &c. Alioqui* NULLUS PLEBEJUS JUSTE SUUM STATUM MUTARE POSSET, *aut nobilis ſuum augere; quod eſt abſurdum, & ideo non dicendum.* Hoc eſſe abſurdum non diffitetur Doctor Sinnichius: qui nunquam fuiſſet Lovanienſis Doctor, niſi *coacervaſſet ad augendum ſuum ſtatum, & ſe in altiorem ordinem promovendum*; idque contra doctrinam Gabrielis Vaſquez docentis Opuſc. de Eleëmoſ. cap. 1. num. 24. 25. 26. unumquemque obligari proximorum occurrentium neceſſitatibus urgentibus, quæ in Belgio, atque inprimis Lovanii ſunt valde frequentes, ſubvenire, non ſolum de ſuperfluis ſtatui, ſed etiam de ſuperfluis naturæ, neque ſatisfacere, ſi uni, alterive identidem ſubveniat; ſed ſubveniendum eſſe, quoad facultas fert, omnibus iſtiuſmodi neceſſitatibus occurrentium, ut intelligitur ex iis, quæ diſſerit ibidem num. 22. & 23.

§. II.

Perperam ſugillatus à Sinnichio in eâdem cauſa Tamburinus, & Eſcobarius.

112. SInnichius Saulis Exr. cap. 117. pag. 535. col. 1. in Vind. c. 30. pag. 504. Admordet Tamburini orationem hanc l. 5. cap. 1. §. 1. num. 14. *Aliqui contendunt probabiliter, ea, quæ ſunt neceſſaria ad acquirendum ſtatum meliorem, non eſſe ſuperflua; quamvis aliqui id negent, ideo rarò quis in hâc ſententia dicetur habere ſuperflua.*

Hæc ſunt narrantis, & non affirmantis ſententiam graviſſimorum virorum Cajetani, Navarri, Petri à Navarra aliorumque, de quibus ſuprà n. 109. ipſe verò Tamburinus iſto loco n. 15. ex ſuâ ſententiâ ſic loquitur: *Probabilius aſſero, obligari quempiam ex ſuperfluis, & ſuo præſenti ſtatui non admodum neceſſariis gravi neceſſitati proximis ſuccurrere.* Vides, ut non tantum ex ſuperfluis, ſed etiam ex neceſſariis ſtatui (quod communiter negant Theologi) modò non ſint *admodum neceſſaria*, affirmet obligari nos ſubvenire gravi neceſſitati proximi?

At, inquit, Sinnichius probabilem reputat opinionem, quam retulerat; adeoque in praxi tutam. Cantiunculam hanc ſæpe ſonantem præoccupavi ſemel: vide dicta à num. 28. Tamburinus non fuit tanti animi quanti fuit Sinnichius; ut graviſſimos ſcriptores traduceret, tamquam laxones improbabilia locutos.

Digitized by Google

113. Sinnichius Saulis Exr. cap. 117. pag. 534. in Vind. cap. 30. pag. 501. Eſcobario tract. 5. Exam. 5. cap. 6. num. 105. conatur affricare invidiam hujus Articuli: *Superfluum non eſt, quod homines ſervant pro ſtatus ſui, vel parentum qualitate habitâ, vel adipiſcendâ: ideoque vix poterunt inter ſæculares inveniri, qui ſuperfluum habeant.* Unde vix continget, illos obligari ad Eleëmoſynam faciendam.

Eſcobarius loco cit. ad quæſtionem hanc; *Quænam precor bona dicenda ſunt ſtatui ſuperflua?* profitetur ſe reſpondere ex Granado 2. 2. Contr. 3. tract. 11. d. 2. ſect. 4. num. 18. verbiſque ipſis Granadi ſic reſpondet: *Bona temporalia ad tria genera revocantur. Aliqua ſunt neceſſaria ad vitæ propriæ, omniumque, qui ſub noſtrâ curâ ſunt, ſuſtentationem: Alia ad ſtatum decenter conſervandum, Alia denique,* QUÆ NEC VITÆ, NEC STATUI NECESSARIA SUNT, SUPERFLUA APPELLANTUR. Hactenus nihil reprehenſione dignum, ut puto.

114. Quæſtiunculam his adnectit; *An ea dicenda ſint ſuperflua, quæ ad meliorandum ſtatum conſervantur?* Nota *meliorandum.* Non quærit, an ea ſint ſuperflua, quæ conſervantur ad mutandum ſtatum, transferendumque ad ordinem novum, ut quiſpiam e.c. de Fabro fiat negotiator, de Negotiatore Aulicus &c; ſed ſimpliciter ut ſtatum faciat meliorem, altioremque in ſuo ordine; qui eſt modus quidam ſecurus conſervandi ſtatum: alioqui enim nimis ridiculè ſtatuiſſet plurimis univerſaliter, *Alia bona, quæ nec vitæ, nec ſtatui neceſſaria ſunt, ſuperflua appellari.* Porrò ad quæſtionem reſpondet, ea, *quæ ad meliorandum ſtatum conſervantur,* non eſſe ſuperflua: quod ipſum profitetur ſe reſpondere ex ſententiâ Granadi dicto num. 3. quem certum eſt loqui de ſolâ conſervatione ſtatus: liquet ergo, quid intellexerit per *meliorationem ſtatus*; adeoque procul diſtare doctrinam illam Eſcobarii ab Articulo, quem proponit Sinnichius.

115. Non eſt videlicet individua ſtatus cujuſque conditio, ut rectè obſervavit D. Thomas 2. 2. q. 32. a. 6. in corp. *Dicitur aliquid neceſſarium, ſine quo non poteſt convenienter vita tranſigi ſecundum conditionem, & ſtatum ..... Hujuſmodi neceſſarii terminus* NON EST IN INDIVISIBILI CONSTITUTUS: *ſed multis additis non poteſt dijudicari, eſſe ultra tale neceſſarium, & multis ſubtractis adhuc remanet unde poſſit convenienter aliquis vitam tranſigere ſecundum proprium ſtatum. De hujuſmodi ergo eleëmoſynam dare eſt bonum,* ET NON CADIT SUB PRÆCEPTO; SED SUB CONSILIO. Reverentia S. Doctoris debebat cohibere Sinnichium, ne de iis, quæ exhibui, ſugillaret Eſcobarium.

Digitized by Google

S. III.

§. III.

Iniquè, aut parum ſyncerè accuſati à Sinnichio Eſcobarius, & Laymannus circa ſubventionem pauperum in communnibus neceſſitatibus.

116. SInnichio ibidem aliud diſplicuit. Eſcobarius tract. 5. Exam. 5. cap. 4. num. 47. ad hanc Quæſtionem; *Qui vita & ſtatui habet ſuperflua teneturne omnibus neceſſitatibus ſubvenire?* Reſponderat, *probabile eſt teneri; probabilius non teneri.* In iſtâ voce *probabilius* inſiſtit Sinnichius: & non animadvertit, Eſcobarium proxime ſic reſtringere: *Attamen aſſero, divites,* QUI SUPERFLUIS VITÆ, ET STATUI ABUNDANT, GRAVITER DELINQUERE, *ſi aliquam eleëmoſynam communibus neceſſitatibus non elargiantur.* Plus eſt *abundare ſuperfluis*, quam utcumque *habere ſuperflua*: de Abundantibus non affirmat Eſcobarius eſſe probabilius &c.

117. Mirari ſatis non poſſum, quid Sinnichio placuerit traducere Eſcobarium, ut laxum in hâc materâ. Ego enim comperio, illum eſſe inprimis reſtrictum, qui illâ ipsâ paginâ aſſerat ſimpliciter *de præcepto eleëmoſynam eſſe*, ſi proximo ſolum deſit quod eſt *neceſſarium ad ſtatus decentiam*: qui ibidem de iis, *qui ſuperflua ad ſtatus opulentiam retinent, aut exædificandis templis impendunt*, aſſerat ſimpliciter, *opulentiam ſtatus in communi neceſſitate non excuſare*: *Extructionem templi non excuſare in gravi*: Qui aſſerat ibidem, *Profectò generaliter loquendo, cum eleëmoſyna ex præcepto obligat, non ſufficere mutare, quia eleëmoſyna ſine donatione non eſt*: Qui aſſerat ibidem, *Divites, qui ſuperfluis abundant, graviter delinquere, ſi aliquam eleëmoſynam communibus neceſſitatibus non elargiantur.*

118. Poterat Sinnichius Navarrum legiſſe in Sum. cap. 24. num. 5. qui non niſi duos caſus agnoſcit, in quibus eleëmoſyna eſt de præcepto, inter quos non eſt ille, quo ſubveniendum ſit communibus neceſſitatibus. *Alter eſt*, inquit, *cum quis habet ſuperflua naturæ, & occurrit, & petit ab eo aliquis egens extremè. Alter cum quis habet ſuperflua naturæ, & ſtatus, & eſt alius egens neceſſariis ad ſuum ſtatum, quod probatur &c.* Mox verò ſubjungit: *Quamvis Panormitanus communiter receptus, S. Antoninus, & Summa Roſella oppoſitum tenent, non rectè S. Thomam intelligentes ..... In quibus tamen duobus non eſt de præcepto ſubvenire donando; ſed ſatis eſt ſubvenire commodando, vel mutando, ut diximus ſupra cap. 17. num. 61.* ubi id dixerat diſertè, etiam de ſubſidio ferendo extremè egenti. Sed Navarrus & alii iſti Auctores non erant Eſcobarii, Tamburini &c.

119. Poterat quoque Sinnichius excutere Auctores omnis generis quos

Digitized by Google

quos permultos citat Diana p.2. tract. 16. reſ.26. qui ſimpliciter affirmant nullam eſſe obligationem de ſuperfluis ſubveniendi communibus neceſſitatibus egentium, inter quos numerat Sylveſtrum, Alenſem, Armillam, Paludanum, Gabrielem, D. Antoninum, Malderum, Molfeſium, Navarrum, Medinam, Toletum. Illos itidem, quos ibi Diana ait docuiſſe, non eſſe obligationem gravem ſubveniendi neceſſitatibus gravibus. *Illam*, inquit, *opinionem docet Gabriel, Alenſis cum aliis, & probabilem vocat Malderus.* Sed neque hi erant Eſcobarii: grande Eſcobarii peccatum fuit, quod docuerit, eſſe probabilius, HABENTEM SUPERFLUA, *non teneri ſubvenire communibus neceſſitatibus: Attamen divites, qui* SUPERFLUIS ABUNDANT *graviter delinquere, ſi non ſubveniant.*

120. Non putavit ab hoc dictum graviter reprehendendum Eſcobarium, inſignis Theologus è noſtratibus Franciſc. Bonæ Spei, qui tract. de Charit. diſp.5. dub.3. num.28. ſic pronuntiavit. *Nullum quidem videtur eſſe præceptum proximo in neceſſitatibus communibus ſubveniendi ex bonis naturæ, aut ſtatui ſuperfluis: non tamen ulli umquam in ſimilibus neceſſitatibus ſubvenire, non videtur ſatis tutum.* Sinnichius hæc non legerat, neque, ut reor, multum ſe turbaſſet, ſi legiſſet.

121. Sinnichius Saulis Exr. cap.117 pag.535. col.1. in Vind. cap.30. pag.504. Eſcobario vitio vertit, quod in Theol. Mor. tract.5. Exam. 5. cap.6. num.104. ad hanc quæſtionem; *An actus hic divitis; nolo erogare de ſuperfluis ſtatus eleemoſynam in communibus neceſſitatibus, ſit mortale piaculum,* reſponſiones tres referat, quarum prima affirmat eſſe mortale piaculum, ſecunda affirmat eſſe veniale, tertia negat ullum eſſe peccatum. Nihil de ſuo addit Eſcobarius, quod ipſi in illo opuſculo eſt familiare, cum profiteatur in ipſo titulo, & proœmio, ſe narratorem potius, quam Doctorem. At Sinnichius, aliquid aſperſit de ſuo, cum deeſſet cenſuræ materia, *pro ſolutione*, inquit, *profert tres diverſas ſententias, dimiſſa lectori optione.* Si amaſſet Eſcobarium, dixiſſet, conſiderandum lectori reliquiſſe, quænam è tribus videatur verior, conſultiſque ſingularum Auctoribus, quos nominat, ſtatuendum, quænam ſolido nitatur fundamento.

122. Mox ſe accingit Sinnichius ad deteſtandam ſententiam negantium eſſe peccatum mortale, eum actum, quo quis ſtatuat, non ſubvenire communibus neceſſitatibus: quo ipſe convocat ea, quibus Scripturæ, Patres, & pii Scriptores damnant univerſè immiſericordiam erga pauperes, quæ faciat *filios perditionis æternæ, pernicioſos, ac noxios dæmones &c.*

Mihi quidem non occurrit facilis ratio, quâ probem, eſſe peccatum mortale per ſe eum actum, quo dives *nolit erogare de ſuperfluis in communibus neceſſitatibus*, ſi reverà non ſit peccatum mortale, *Non erogare de ſuperfluis in communibus neceſſitatibus.* Atqui non eſſe iſtud peccatum mortale, ac ne veniale

Digitized by Google

veniale quidem; eſt graviſſimorum Scriptorum ſententia Navarri, aliorumque: vide dicta num. 118. Verendum igitur ne judicio Sinnichii Auctores illi Lectores ſuos faciant *filios perditionis æternæ, perniciosos, ac noxios dæmones &c.* Diſplicet mihi illorum ſententia, neque tamen eâ utar confidentiâ, ut tam atrociter illam condemnem.

123. Sinnichius Saulis Exr. cap. 117. pag. 534. col. 1. in Vind. cap 30. pag. 504. ait *Longè profectò aliter Paulum instruxiſſe Timotheum, quam alius quidam Paulus* (Laymannus) *nuper inſtruxerit divitum confeſſarium.*

Etenim S. Paulus Timotheum monuit 1. Tim. 6. ut *præciperet divitibus hujus ſæculi, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Verbo Dicamus: S. Paulus monuit Timotheum, ut præciperet divitibus, facile tribuere eleëmoſynas egentibus.

Paulus Laymannus non docuit his contraria, ſed planè conſentanea. Quia l. 2. tract. 3. cap. 6. quem locum citat Sinnichius, docuit Confeſſarios eadem prorſus, quæ S. Paulus Timotheum, & quidem verbis ipſis S. Pauli 1. Tim. 6. aliiſque etiam ſignificantioribus ex Scripturâ ſacrâ petitis. 1. Joan. 3. Matth. cap. 25. Prov. 21. Ezech. 16. His teſtimoniis ſubdit Laymannus hæc: *Intelligendum illud eſt præceptum reſpectu omnium proximorum indigentium, etiam peccatorum infidelium, & inimicorum.*

124. At, inquit Sinnichius, Confeſſarium inſtruxit Laymannus loco citato num. 5. his verbis: *Confeſſarius abſolutionem à peccatis diviti non facile negare debet, quod communes pauperum miſerias per eleëmoſynam ſublevare monitus recuſet: tum quia de obligatione hâc, an, & qualis ſit, Doctores non conveniant: tum quia ſemper dives aliquam cauſam in ſpecie præfert, cur recuſet.*

Laymannus ibi docuerat, *Dei, ac proximi charitate exutos eſſe, ideoque in malo ſtatu verſari* eos divites, qui omnes à ſe mendicos, & pauperes inhumaniter repellant. Tum verò, ne imprudens Confeſſarius his abuteretur, monitum adjungit, non facile negandam eſſe abſolutionem hoc nomine, quod *communibus neceſſitatibus*, hoc eſt, mendicorum, & ſimilium, recuſent ſubvenire. Non dixit abſolutè, *non eſſe negandam*: dixit *non facile*, non temerè, & inconſultò eſſe negandam (quo indicat aliquando negandam eſſe); illud verò dixit prudenter, occurrens indiſcreto zelo illorum, qui pœnitentibus gaudent imponere onera, quæ ipſi digito ſuo nolunt movere: Judicavit Laymannus circumſpectè agendum, & conſiderandum, nullamne fortaſſe habeat pœnitens juſtam cauſam negandi eleëmoſynam in *communibus neceſſitatibus*: rurſus conſiderandum eſſe, an expediat negare abſolutionem pœnitenti, cui ſit perſuaſa doctrina Navarri, & tot aliorum, quos citavi num. 118. docentium, non eſſe obligationem ſuccur-

rendi communibus neceſſitatibus. Cum bonâ veniâ Doctoris Sinnichii, omniumque prurientium ad negandas abſolutiones, ego aſſentior Laymanno, & judico magnâ diſcretione utendum eſſe, & *non facile*, neque temerè negandam eſſe abſolutionem ei, qui Confeſſario videtur dives, & recuſat ſubvenire communibus neceſſitatibus.

§. IV.

Imperita Sinnichii cenſura in doctrinam Eſcobarii de ſubventione per mutuum.

125. SInnichius Saulis Exr. cap. 117. pag. 535. col. 2. in Vind. cap. 30. pag. 505. NOVORUM ETHICORUM *laxitatem* appellat eam doctrinam, quâ Eſcobarius Theol. Mor. tract. 5. Exam. 5. cap. 6. num. 99. ad quæſtionem hanc, *An extremè indigentibus ſufficiat per mutuum ſubvenire*, Reſpondet, *ſufficere appoſitâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ reſtituant.*

Non eſt illa NOVORUM ETHICORUM *laxitas* propria; ſi laxitas dicenda eſt, de quo judicium committo Cenſoribus magis maturis. Martinus Navarrus non eſt *Novus Ethicus*, ſaltem ex iis, quos indigitat Sinnichius: Navarrum audivimus ſuprà num. 118. affirmantem, etiam in caſu neceſſitatis extremæ ſatis eſſe ſubvenire *commodando*, *vel mutuando*: quod ipſum in Sum. cap. 17. num. 61. & 62 probat operosè, ac diffusè: Non eſt etiam *Novus Ethicus* Lovanienſis Doctor Adrianus, posteà illius nominis Pontifex VI. qui doctrinam illam *Novorum Ethicorum laxitatem* à Sinnichio appellatam, tradidit diſertiſſimè in 4. de Reſt. pag. 64. col. 4. Sed de Adriano infra. Non eſt *Novus Ethicus* Covarruvias Segovienſis Epiſcopus, doctrinam eamdem aſſerens, probanſque non minus diſertè, & copiosè in Reg. peccatum parte 2. §. 1. num. 4. citans verò Almainum in 4. d. 15. q. 2. & Joannem à Medina de Reſtit. q. 3. in principio &c.

126. Neque deinde cenſuit eam eſſe *laxitatem novorum Ethicorum* inſignis Theologus Franciſcus Bonæ Spei, qui Tract. de Charit. d. 5. dub. 3. num. 36. multorum ſententiæ maluit adhibere aliquid ſalis, ſeu explicationis, quam cenſuram; idque his verbis: „Pauperibus ſecundum quid ſive „iis, quorum neceſſitas certò moraliter prævidetur non niſi aliquo tem„pore duratura, imponere dictam reſtitutionem, & ſatisfactionem condi„tionatam, nec barbarum, nec inhumanum eſt, ſed rationi ſatis congruum. Si hujuſmodi viros conſuluiſſet Doctor Sinnichius, non fuiſſet tam preceps ad cenſuras.

CAPUT XI.

De Suſpicione temerariâ.

Quanto jure ſit accuſatus à Sinnichio Tamburinus, & Laymannus circa doctrinam de ſuſpicione temeraria.

127. SInnichius Saulis Exr. cap. 119. in Vind. cap. 32. in principio perſtringit graviter Tamburinum, quod lib. 9. cap. 1. num. 11. doceat, *ſuſpicionem in re gravi, & ſine ſufficientibus judiciis, atque adeo temerariam*, non eſſe culpam mortalem; & quidem loquens de ſuſpicione, quatenus hæc opinionem includit; modo non perveniat ad rationem *judicii*: pro quo vide quæ habet num. 7. Hanc cenſor vocat *laxitatem Tamburini*.

Expenditne ſatis quæ ſcripſit D. Thomas 2.2. q. 60. a. 3. in corp.? Deſcribamus locum: *Suſpicio importat opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit*. Conſentit Tamburinus num. 2. niſi quod addat; *cum aliquâ formidine oppoſiti* quod cauſam ipſius non poteſt facere pejorem. Pergit D. Thomas quibuſdam interpoſitis: *Suſpicio vitium quoddam importat, & quanto magis procedit ſuſpicio, tanto magis eſt vitioſum* (fatebitur Tamburinus.) *Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis: primus gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leve peccatum, pertinet enim ad tentationem humanam, ſine quâ vita ipſa non ducitur, ut habetur in Gloſſa ſuper illud 1. ad. Cor. 4.* Nolite ante tempus judicare (aſſentitur Tamburinus.) *Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis. Et hoc, ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi: unde gloſſa ibidem ſubdit: Si ergo ſuſpiciones vitare non poſſimus, quia homines ſumus, judicia tamen, id eſt diffinitivas, firmaſque ſententias continere debemus.* His aſſentitur omnibus Tamburinus; niſi quod *cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis*, ipſe putet ſuſpicionem non eſſe nominandam; in quo neque D. Thomæ diſplicebit, qui denique verbis gloſſæ, imo Auguſtini tract. 90. in Joannem ea vocat *judicia*, & *certas diffinitivaſque ſententias*. Pergit D. Thomas. *Tertius gradus eſt cum aliquis judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum & hoc directè ad injuſtitiam pertinet: unde eſt peccatum mortale* (adnotat idem prorſus Tamburinus num. 14.) atque ibi ſermonem iſtum finit D. Thomas, neque aliam agnoſcit gravem malitiam ſuſpicionis iſto loco, ubi ejus malitiam ex profeſſo inquirit.

128. Inania ſunt illa, quibus ex Sylvio petitis locum perſpicuum obſcurare nititur Sinnichius, contendens, loqui D. Thomam de non ſatis deliberatis motibus ſuſpicionis, ubi eam à peccato mortali excuſat: urget præcipue Sylvius iſtud D. Thomæ, *dubitare incipit*, quo vult ſignificari tenuitatem deliberationis: manifeſtum eſt ex contextu, ſignificari tenuitatem adhæſionis, ſeu *certitudinis*, ut vocat S. Doctor. Urget quoque, quod ait D. Thomas ex Auguſtino, *pertinere ad tentationem humanam*. Pertinent omnino ad tentationem humanam peccata venialia certi generis etiam deliberata, ſi ob occaſiones frequentiſſimas, ſummamque facilitatem, difficillimè omnia vitantur; cujuſmodi ſunt ſuſpiciones illæ. Quæ alia in eandem rem comminiſcitur Sylvius, ſi vim habent, omnis *contemptus proximi*, quin & omnis *injuria proximi* eſt peccatum mortale ex mente D. Thomæ. Immorari non vacat.

Notanda erat Sylvio pariter, & Sinnichio imperfectio ſuſpicionis, ob quam generaliter D. Thomas Quodlib. 12. art. 34. eam excuſat à peccato mortali. *Suſpicio*, inquit, *eſt quid imperfectum in genere indicii, & ideo eſt imperfectus motus, & ideo non eſt mortale ex genere, quamvis ſi fiat ex odio erit aliquando mortale.* Nota *imperfectum* IN GENERE JUDICII: non dicit imperfectum defectu deliberationis. Nota rurſus; *non eſt mortale ex genere*: non deſineret eſſe mortale ex genere ſuo, ſi ſolum eſſet veniale defectu deliberationis. Sed nos progrediamur.

129. Legitne Sinnichius Cajetanum ad priorem locum D. Thomæ? Cenſet, *ſecundum gradum ſuſpicionis*, qui peccatum mortale dicitur, accipiendum eſſe *pro aſſertivâ determinatione*, quæ non habet *hæſitationem admiſtam*. Quæ cum pluribus explicuiſſet, *Hæc nota*, inquit, *pro multis, qui credunt ſe incidiſſe in temerarium iudicium ex malâ, quam conceperunt, opinione proximi, nec ſciunt diſcernere inter opinionem*, quæ CUM FORMIDINE ALIQUA ALTERIUS PARTIS *eſt, & judicium ex opinione non natum.* Rem ipſam etiam clarius expreſſit in Sum. v. *iudicium temerarium.*

Legitne Sinnichius, Martinum, Navarrum Com. in Rub. de judiciis n. 50? Doctor ille eam ſolam ſuſpicionem docet eſſe mortiferam, *quæ neque actu, neque virtute habet hæſitationem*; eam verò, quæ, *licet non habeat actu, ſed tamen habet virtute* hæſitationem, negat eſſe mortiferam. Hæc ſunt non res tantum, ſed verba prope ipſa, quibus doctrinam ſuam explicat Tamburinus dicto n. 11.

Legitne Sinnichius Petrum à Navarrâ lib. 2. de Reſt. cap. 4. n. 454? Negat ullam ſuſpicionem eſſe mortalem.

130. Legitne Joannem de la Cruz Director. Præcept. 8. q. 1. dub. 2? Ad quæſtionem: *An ſuſpicio plene deliberata in re gravi, & levibus indiciis ſit peccatum mortale*, Reſpondet Concl. 2. *partem negativam videri probabiliorem.*

Digitized by Google

rem ET PATET, inquit, *nullum judicium citra certitudinem eſſe peccatum mortale juxta D. Thomam, & Caietanum. Sed iſta certitudo tollitur, non ſolum per dubitationem, ſed etiam per ſuſpicionem, & opinionem: quia etſi ſuſpicio, & opinio uni parti magis adhæreat; ſed non ſine formidine alterius partis: Ergo.* Præter D. Thomam, & Cajetanum citat Roſellam, Armillam, Ludovicum Lopez. His infrà accedent Lovanienſes Doctores. Videt Lector quam disertè eadem prorſus multo ante tradiderint laudatiſſimi Scriptores, quæ in Tamburino potiſſimum diſplicuerunt Sinnichio tam graviter: videt quo jure doctrinam iſtam vocarit laxitatem Tamburini potiſſimum. Ego quam vera ſit opinio, non habeo exploratum: hoc ſcio, non fuiſſe laxitatem propriam Tamburini: neque decuiſſe Sinnichium, in Tamburino cenſuram impingere tot, & tam gravibus viris.

131. Sinnichius Saulis Exr. cap. 119. pag. 545. col. 1. in Vind. cap. 32. pag. 529. Laymannum exhibet, qui Tamburino dux fuerit ad eam laxitatem, quâ generaliter affirmatur, ſuſpicionem temerariam numquam eſſe peccatum lethale.

Laymannus lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 2. n. 6. §. *valde tamen* debiliſſime id opinatur, ſi tamen opinatur, quando materia eſt gravis admodum, & ſuſpicio eſt de perſonâ honeſtâ, contrariam ſententiam vocans valde probabilem.

Cæterum ex jam dictis patet, injurium fuiſſe Sinnichium Laymanno, & Tamburino, qui ſic tractaverit quæſtionem illam, ut ſi hi vel ſoli vel potiſſimum eſſent Auctores laxitatis, quam vocat.

CAPUT XII.

De Reſtrictione mentali.

§. I.

Leſſius *magnus reſtrictionum mentalium patronus* judicio Sinnichii.

132. SInnichius Saulis Exr. cap. 104. pag. 416. col. 2. in Vindiciis cap. 17. pag. 212. Leonardum Leſſium vocat *Magnum reſtrictionum mentalium Patronum.* Oſtendere licebit in ſecunda parte Stateræ, Doctorem Sinnichium non penetraſſe doctrinam Leſſii, aliorumque de reſtrictionibus.

Hîc inquiro, cur Leſſium vocarit *Magnum reſtrictionum mentalium Patronum.* An quia valde aſſeveranter dixit eſſe licitas interdum? An quia

valde ſolicitè illis patrocinatus eſt ? An quia illi ſententiæ laxas induſſit habenas? An denique quia vel ſolus, vel primus ſententiam illam docuit? Singula examinemus.

Primò Leſſius non valde aſſeveranter dixit eſſe licitas interdum reſtrictiones mentales. Quia lib.2. cap. 42. dub. 9. num. 47. ubi aſſertionem poſuit de licito uſu reſtrictionis mentalis in certis circumſtantiis, poſt pauca contentus eſt id, quod aſſeruerat, dicere *probabilius*.

Secundò Leſſius non valde ſolicitè patrocinatus eſt illis reſtrictionibus: quia citata dubitatione 9. ubi ex profeſſo quæſtionem tractat, tam brevis eſt, ut vix amplius, quam duas columnas illi impendat: tantillæ vero chartæ bonam partem occupat moderationibus, & exceptionibus doctrinæ adhibendis.

133. Tertiò Leſſius illi ſententiæ non induſſit laxas habenas: adhibet enim moderationes varias. Primò enim requirit num. 47. juſtam cauſam celandi mentem ſuam. Secundò inſtitutâ ibidem quæſtione de reſtrictione adhibendâ in juramento, requirit *neceſſitatem, vel utilitatem exigentem*; quod rurſus num. 48. inculcat. Tertiò quia eodem numero 48. monet ſolicitè, *Numquam licitum eſſe uti hoc artificio orationis, niſi quando juſte poſſumus veritatem occultare; ut ſi aliquod malum vel incommodum non poſſit aliter averti. Si abſque juſtâ causâ fiat, eſſe abuſionem Orationis contra virtutem veritatis, & civilem conſuetudinem*, AC PROINDE ESSE PECCATUM. 4°. Indicat etiam num. 48. ſub finem, quod expreſſius affirmaverat num. 46. *Quando quis ſe ſponte ſuâ offert ad jurandum, vel legitime ad hoc compellitur*, PECCARE MORTALITER, *ſi alieno ſenſu juret*. Alias, aliaſque moderationes adhibet.

134. Quarto Leſſius neque ſolus neque primus ſententiam illam docuit, ſed ſecutus eſt Auctores graves etiam antiquos, comiteſque habuit recentiores non ignobiles: paucos nominabo de multis: ac primum quidem ex iis quoſdam, quos ipſe citat, quoſque ſperandum eſt Sinnichium non habuiſſe pro laxonibus.

Inter tam multos nemo eſt, qui operoſius illam ſententiam tradidit, quam Navarrus Doctor tam celebris, tamque ab omnibus æſtimatus; primum quidem in Summâ cap. 12. num. 8. 9. 14. 18. 19. libemus pauca. num. 8. hæc lego. *Si Iudex juramentum exigens competens non fuerit .... tunc jurare poterit* (reus) *id, quod ſecundum ſuam mentem eſt verum, falſum autem ſecundum mentem alterius. Sicuti feciſſe B. Franciſcum ferunt, qui rogatus, qua perrexiſſet quidam homicida &c.* ſubdit de S. Franc. vulgo cantatam fabellam ex Angelo de Peruſio, & Joanne de Ananiâ. num. 9. de muliere loquens, habente impedimentum matrimonii occultum, atque excommunicatâ, quia cum viro habitare noluit, *cum poſteà*, inquit, *eam in articulo mortis conſtitutam oporteat jurare, ſe cum marito vitam acturam, ut poſſit abſolvi, tunc temporis poteſt,*

Digitized by Google

teſt, & debet jurare, ſe id factutam, CONCIPIENDO INTRA SE *conditionem illam, ſi id ſine peccato fieri poſſit:* tum negat futuram ream perjurii, ſi valetudini reſtituta non redierit ad virum. Alia permulta hujus generis ibi invenies. num. 14. affirmat *liquido conſtare* nihil falſi in ſimilibus jurari.

135. Dicet quiſpiam in his caſibus adeſſe circumſtantias conſignificantes. Ego dico, nullas hic adeſſe circumſtantias præter neceſſitatem, vel utilitatem reſtringendi, ſpectatâ perſonâ jurantis, & exigentis juramentum: neceſſitatem illam, vel utilitatem ubique requirit Leſſius, ubi ait licitas eſſe reſtrictiones ut patuit. Intereà uti Leſſius, ita & Navarrus veritatem ſermonis petunt à reſtrictione, quæ peragitur in animo.

136. Multò accuratius rem totam explicuit Navarrus prolixo commentario in cap. *Humanæ aures.* Argumentum, ſive caſum hunc tractans. *N. qui dixit clam cuidam feminæ: accipio te in uxorem meam, ſine animo eam ducendi, reſpondit iudici eum adiuranti, & interroganti, an ea verba dixiſſet? ſe non dixiſſe illa;* SUBINTELLIGENDO *mente, quod ea non dixerit animo illam ducendi.*

Quæritur primò: an coram Deo mentitus fuerit?
Secundò an pejeraverit?
Tertiò an alia ratione peccaverit?

Ad primum reſpondet negative: probatque reſponſionem argumentis octo, quibus hanc vim conatur tribuere internæ reſtrictioni. Tertium argumentum hoc eſt *quod una, & eadem oratio poteſt componi ex diverſis partibus, quarum aliæ ſint expreſſe vocales, vel ſcriptæ, & aliæ* TACITÆ, ET MENTALES &c. Hæc illa ſunt, quæ in Leſſio potiſſimum reprehendi ſolent. Ad ſecundum quæſitum reſpondet ſimiliter negative, eamdem viam tenens conſtanter: Ad tertium reſpondet *præfatum N. non quidem peccaſſe peccatum mendacii, & perjurii, potuiſſe tamen peccaſſe, alia malè miſcendo; puta dolum, & ſtuprum, & peccatum ſimulationis, utendo ſine juſtâ cauſâ amphibologiâ præfatâ: quia feciſſet actum* CONTRARIUM VIRTUTI VERITATIS. Hæc ipſa verbis ferè totidem Leſſius identidem inculcat. Hic tamen Sinnichio eſt magnus reſtrictionum mentalium patronus, potius quam Navarrus, quem eſt ſecutus Leſſius.

137. Multo ante hæc eadem docuerat Silveſter in Summâ V. *juramentum* 3. q. 2. approbans ſententiam Rodonenſis, & Aſtenſis, quod, *cum vir exigit ab uxore juramentum ſuper adulterio, quia inique agit, poterit jurare, quod eſt verum* SECUNDUM SUAM INTENTIONEM, *licet ſit falſum ſecundùm intellectum audientis.* Poſtea de muliere jurante in articulo mortis, ſe cohabitaturam viro docet illa ipſa, quæ deinde uſurpantem Navarrum audivimus modò, atque ſic jurantes Silveſter paulò poſt ait *jurare cautelosè.*

Similiter v. *Iuramentum* 4. q. 7. de eo loquens, qui vim patitur, *Si,* inquit

quit, *in aliquo ſenſu intendebat facere, quod jurabat, licet non in ſenſu ejus, cui jurabat; ut ſi juravit dare centum,* SUBAUDIENDO IN ANIMO SUO, *ſi debuero; tunc non peccat: quia non tenetur jurare ſecundum intentionem ejus; cum non ſit ſuus judex: ſed utitur ſimulatione licitâ.* Ad hæc, & ſimilia notandum eſt, quod Sinnichius Saulis Exr. c. 122. in Vind. c. 15. non dubitet, quin Tamburinus patrocinetur reſtrictionibus mentalibus, quia dixit, *teſtem interrogatum de occulto crimine poſſe jurare, ſe remneſcire,* INTELLIGENDO; *ita ut teneat illi judicio ſubdere.*

Etiam v. *Mendacium* q. 5. licitæ reſtrictionis exemplum hoc ponit Silveſter: *Si quis interrogetur de eo, qui quæritur ad mortem, an tranſiverit per talem viam, & reſpondeatur, non tranſivit hâc,* INTENDENS, *per locum proprium, & individuum, quem pede, aut manu tangit.* Accumulat alia exempla: notandum hoc: *Quando aliquis interrogatur de aliquo, quod dicere non expedit: quia dicere poteſt, ſe illud neſcire* SUBINTELLIGENDO, *ut revelandum: exemplo filii hominis qui juxta Marcum dicit ſe neſcire diem judicij* &c.

138. Silveſtro hæc pleraque tradiderat Angelus de Clavaſio in Summâ v. *juramentum* 4. & 5. non vacat deſcribere ſingula, quia pene ad verbum ſunt eadem, quæ jam retuli ex Silveſtro v. *juramentum.* Valde expreſſa ſunt illa, quæ habet Angelus v. *juramentum* 5. n. 9. loquens, de eo, qui vim patitur, quem ait *non peccare, ſi juret nolens ſe obligare, quando jurando* HABUIT ANIMUM *ſolum inducendi juramentum ad reverentiam Dei, non ad obligationem ſuam, &* IN MENTE HABUIT *aliquam circumſtantiam debitam, quâ verum jurabat: puta promitto, quod dabo tibi centum* CUM ISTA SUBAUDITIONE; *ſcilicet, ſi ſum tibi obligatus.* Similiter v. *Confeſſio* ultimo n. 4. de Confeſſario interrogato loquens, *ſecundum Scotum,* inquit, *& Richardum debet reſpondere, ſe nihil ſcire, vel audiviſſe;* SUPPLE, AD REVELANDUM, *ſicut & Chriſtus dixit Marci 13. Quod nec Filius hominis ſcit.* Et infrà. *Debet audacter dicere, quod nihil ſcit, & quod nihil audivit* &c. citat mox *S. Bonaventuram, & communiter Doctores:*

139. Poſt Navarrum, Silveſtrum, & Angelum citat Leſſius Adrianum, qui ſententiam eamdem docuit quodl. 11. longè poſt medium ad quoddam 2. argumentum litt. CC. Docuit item in 4. tract. de Confeſſione non procul à fine. Docuit quoque in 4. Tract. de corrept. fraternâ non procul à fine, ubi ad verbum habet eadem, quæ Quodlib. 11. verba Adriani referemus, ubi Lovanienſium doctrinam moralem explicabimus.

140. Adriano ſubdit Joannem Majorem, & meritò, quia Major in 4. diſt. 15. q. 12. ſic loquitur; *Religioſus non tenetur peccatum ſuum ſecretum dicere in capitulo, nec ſuo Prælato, citra confeſſionem, nec alterius crimen debet dicere occultum, & dato, quod juraret ſuperiori dicere veritatem de interrogandis, ſuum juramentum debet intelligi; dicam quæ poſſum dicere* &c. Et infra. *Sed pone quod Iudex ſæcularis, vel alius dicat ei, reſponde ad interrogata, alias habebo te pro convicto,*

Digitized by Google

victo, & ipſe dicit; Nego propoſita, INTELLIGENS, *nego ea eſſe facta, ut proponis, vel nego me feciſſe ad tibi aperiendum, an iſte peccat? Dicitur imprimis; non mentitur: non dicitur unum exterius, & habet aliud in mente. Sed an fallat imputabiliter? Apparet quod non, cum alter interroget injuſtè.* Nota rationem, ob quam dicit, illum *non mentiri*. Nota etiam rationem, ob quam dicit *non fallere imputabiliter*. Si ceſſaret ratio poſterioris, non continuo ceſſaret ratio prioris: ſunt hæc prorſus illa, quæ medullam continen t doctrinæ in Leſſio potiſſimum reprehendi ſolitæ.

141. Citat denique Leſſius Cardinalem Toletum, & Valentiam. Quid hic ſenſerit non vacat inquirere: cum à Sinnichio adnumeretur laxonibus. Cardinalem Toletum ſpero quod ſit reveritus. Clarè locutus eſt Toletus in Summâ l.4. c.21. de eo, qui à Superiore interrogatur: *Si crimen,* inquit, *omnino eſt occultum, non debet jurare, & ſi cogatur, utatur æquivocatione; puta, neſcio,* INTELLIGENDO INTRA SE, *ut dicam tibi: vel non feci, intelligendo, nunc non feci, vel quid ſimile.*

Parum diligens fuit Leſſius in conquirendis Auctoribus ſententiæ, ob quam vocandus erat ipſe *Magnus reſtrictionum mentalium patronus*: prævidere hoc ipſe non poterat. Nos ſuppleamus.

142. Gregorius Ariminenſis in 1. d.42. q. 2. ad 1. affirmat Deum per ſuos Prophetas adhibuiſſe locutiones mente reſtrictas. *Ad primam,* inquit, *probationem de Ionâ dico, quod vel ipſa fuit comminatoria, vel conditionalis; licet conditione* NON EXPRESSA, SED TACITE à DEO SUBINTELLECTA.

Petrus Paludanus in 4. d.2. q.3. circa med „Qui negat, inquit, ſe ſcire „aliquid omni modo, dicens; nullo modo ſciendi ſcio illud: ſi ſcit illud „aliquo modo, mentitur & peierat, ſi juret: ſi tamen illa negativa ſit ita „univerſalis SECUNDUM MENTEM, ſicut eſt ſecundum verba. Alias cum „ſermo ſit ſubjectus intentioni, & non è converſo, quantumcumque verba „ſint generalia, ſi loquens *intendat ſe reſtringere*, & audiens ſimiliter debet „intelligere, non eſſe mendacium.

143. Joannes Capreolus in 4. d. 21. q. 2. verſus finem oſtendit, locutionem mentaliter reſtrictam non rectè probari falſam, quod ejus contradictoria videatur vera: „Quia in talibus non totum, quod affirmatur in „unâ, negatur & totaliter in aliâ, ſicut eſt in propoſito: ideo utraque ta„lium, quæ videntur contradictoriæ, poteſt eſſe vera ſimul cum aliâ. Nec „obſtat ſi additiones, & reſtrictiones, QUÆ FIUNT IN MENTE, NON EXPRI„MANTUR IN VOCE: quia voces ſunt ad placitum, & proferens vocem „poteſt aliquid ſignificare ſibi ipſi, quod non ſignificat, NEC SIGNIFICARE „INTENDIT ALTERI: unde voces illæ non contradicunt, apud dicentem, „etſi apud audientem contradicant: quia aliud ſignificant audienti, & „aliud dicenti.

Jacobus Almainus in 4. d. 15. q. 4. Memb. 3. quærens, an qui negat crimen occultum, de quo publicè eſt accuſatus, peccet, ſic reſpondet: *Si intelligat ſimpliciter dicendo; non feci, quod in me obÿcis, peccat: ſed* SI INTELLIGAT, *non feci, ſupple, ita publicè, ſicut imponis, non peccat ſic intendendo refellere.* Obiicit ſibi eum poſſe tacere. *Contra*, inquit, *per taciturnitatem aggenerabit opinionem in audientibus, quod commiſit: ergo tacendo diffamabit ſeipſum.*

144. Joannes Baptiſta Corradus 1. p. q. 137. „ Poſſumus ait, vitare „ innumera peccata, quæ paſſim aliquot negligentiores admittunt, ne„ gando, vel affirmando paſſim SINE ALIQUA SUBINTELLECTIONE, cum quâ „ conjuncta eſſent vera .... Abſque peccato reſpondere poſſemus ſubin„ telligendo aliqua, quibus fient vera, quæ annuimus, vel falſa, quæ ne„ gamus. Ut ſi quis reſpondeat petenti pecuniam, librum, nova, & alia; „ non habeo, vel neſcio illa, SUBINTELLIGENDO, ita ut teneatur, vel „ conveniat illi præſtare, tradere, dicere, vel palam facere, vel alia, quæ „ rei, quæ agitur conveniant ad hoc, quod ſit verum, quod affirmat, vel „ falſum, quod negat.

Machado tom. 1. lib. 2. pag. 3. tract. 8. docum. 10. ſua lingua hæc fatur: *Tamen alii multi majori probabilitate defendunt, quod, cum eſt juſta cauſa, licitum ſit uti æquivocatione in juramento per orationem ambiguam, quæ faciat perfectum, & verum ſenſum cum iis verbis, quæ* MENTALITER ADIUNCTA FUERINT. Pluribus hæc declarat.

145. Peſantius in 2. 2. q. 70. a. 4 diſp. unicâ, ad 1. quæſt. ſic loquitur: „ Navarrus c. 12 num. 8. & 9. dat hanc doctrinam generalem, quod, ſi Ju„ dex competens exigit juramentum, & interrogat contra juris ordinem, „ tunc poterit jurari id, quod *ſecundum mentem ſuam* verum eſt, falſum „ autem ſecundum mentem Iudicis cap. Humanæ aures 22. q. 5. in cujus „ commentario egregiè hic Doctor, & ex his, & aliis canonibus infert, „ quando Judex interrogat de aliquo delicto, quod notorium non eſt „ &c. non teneri illum Judici reſpondere *ſecundum eius intentionem*, rei ve„ ritatem manifeſtando: ſatis eſt enim, eum qui jurat dicere veritatem „ IUXTA INTENTIONEM SUAM &c.

Emanuel Rodriquez in Summâ cap. 246. „ Quarta concluſio. Loquen„ do cum arte diſſimulationis vitantur peccata, quæ communiter commit„ tuntur propter ejus uſus ignorantiam: quia ſæpe interrogamur, quid „ comedimus, quot habemus nummos, quid dixit nobis N. &c. Et poſſu„ mus reſpondere INTELLIGENTES NONNULLA, quibus dicamus veritatem, „ & negemus, quod petitur à nobis. Sicut ſi dicat quis, ut dicamus ei „ aliquid novi, poſſumus dicere, nihil ſcire novi, *intelligentes interius*, quod „ conveniat dicere aliis; ut dicit Navarrus, quæ doctrina debet notari.

146. Dom. Sotus reſtrictius locutus eſt de Juſt. l. 5. q. 6. a. 2. fatetur

teſtem

teſtem præter juris ordinem interrogatum rectè reſpondere *Neſcio*, etiamſi viderit: quia *oratio illa neſcio recipere hunc ſenſum citra mendacium poteſt, neſcio, ut tibi dicam.* Quod ſi interrogetur an viderit, poteſt quidem reſpondere juxta Sotum, *non memini*; non tamen; *non vidi.*

Michael Salonius 2.2. q.69. a.2. controv.11. *Cum quis non tenetur omnem ſuam mentem alteri exprimere, poteſt ſine mendacio proferre orationem, cujus veritas pendeat* EX PARTICULA TACITA, ET AB EO MENTE CONCEPTA. Illuſtrat rem exemplis Scripturæ. Denique ad primum Soti *Reſpondeo*, inquit, *quando quis voluntariè, & liberè loquitur, debere uti vocibus juxta communem ſermonem. At quando aliqua vis, vel fraus ei infertur, non teneri, ſed poſſe uti vocibus amphibologicis hoc genere amphibologiæ, ut* PARTEM ORATIONIS PROFERAT, PARTEM MENTE RETINEAT.

147. Coſmas Philiarchus tom. 1. de officio Sacerdotis p. 2. lib. 3. cap. 14. de eo loquens, qui interrogatur contra ordinem juris „Poteſt, inquit, „ita accommodare verba, quod ſint vera ſecundum propriam intentionem „& falſa ſecundum intentionem juramentum exigentis ...... poteſt re- „ſpondere ſe neſcire, INTELLIGENDO, *ut illi dicat*: & ſe non feciſſe, nec „vidiſſe, nec audiviſſe, INTELLIGENDO *ut illi dicat, vel tali die, tali horâ, vel* „*anno.* Et ſic reſpondendo non mentitur, nec eſt perjurus. Nam formalis „ratio mendacii non ſumitur ab intentione falſitatem in alterius mente „conſtituendi (nam alias qui ad celandam veritatem uteretur verbis æqui- „vocis, mentiretur) ſed conſiſtit in hoc, quod aliter dicitur, quam eſt in „mente. Hic Auctor eſt valde prolixus de reſtrictionibus, & ſuam illam ſententiam vocat *magis piam, quatenus liberat ab infinitis ſcrupulis*, quâ etiam *obvietur ſcandalis.*

Ludovicus Lopez p. 1. Inſtruct. Conſcient. c. 37. in fine: *Marito interroganti de adulterio mulieris confeſſo, poteſt confeſſarius, ſi opus eſt, jurare, nullum adulterium ſibi confeſſum,* CONCIPIENDO INTRA SE, *eo ſcilicet modo, quo dicere tenear.* Etiam cap. 42. *Mulier*, inquit, *in mortis articulo conſtituta, noſcens impedimentum matrimonii, ſi compulſa fuit excommunicatione reddere debitum viro, poteſt jurare ſe facturam, ut abſolvatur* CONCIPIENDO INTRA SE, *ſi id ſine peccato fieri poſſit*, ut ſcilicet ad virum redeat.

148. Gregorius Sayrus lib. 12. Clavis Reg. cap. 17. num. 21. *Quando non prodeſt aut expedit appellatio juſta, licitum eſt uti verbis æquivocis, & amphibologiis ad eludendum judicem, hoc eſt proferre poteſt aliquod verbum juxta mentem ſuam, quod verum ſenſum habet, quamvis Iudex alio in ſenſu illud accipiat ..... ſic omnes uno excepto Geneſio Sepulneda* Quid intelligat per *amphibologias* explicat ibidem in fine: *vix poteſt*, inquit, *alio modo, quàm appellatione ſubterfugere, niſi hujuſmodi amphibologiis, &* SUBINTELLIGENDO ALIQUID ALIUD, *quam verba ſonant.*

Alardus Gazæus ad Collat. 17. Caſſiani cap. 8. ſub fin. *Non mentitur, qui utitur amphibologiâ, vel tacitâ reſtrictione: quia non intendit dicere falſum, aut loqui contra mentem, ſed vel mentem ſuam aliter exponere, quam alter intelligat, vel* NON TOTAM EXPRIMERE, SED SOLUM EX PARTE.

149. Bonacina d. 4. de Legib. q. 1. p. 12. num. 1. *Non committitur mendacium, conſequenter neque perjurium, quando verba faciunt verum ſenſum ex additione* IN MENTE PROFERENTIS RETENTA. Utiliter mox animadvertit, etſi reſtrictio mentalis ſemper excuſet à mendacio, eſſe tamen peccatum omiſſionis contra præceptum affirmativum veritatis; niſi aliqua juſta cauſa perſuadeat uti verbis amphibologicis. *Iuſta autem cauſa,* inquit, *utendi his verbis eſt neceſſitas, aut utilitas corporis, aut honoris, aut rerum familiarium &c.* Tum verò infert *non eſſe illicitum uti verbis amphibologicis, addendo reſtrictionem aliquam* IN MENTE RETENTAM. *Quoties aliquid incommodi, vel injuriæ nobis impendet, loquendo ad mentem interrogantis.* Habet alia multa pro eâdem doctrinâ ibidem numero 4. 5. 6. & ſequentibus.

Laurentius de Portel in dubiis regular. v. *Iuramentum* num. 12. *Poteſt etiam excuſari juramentum à perjurio, ſi verba externa prolata ex ſe vera non ſint: at redduntur vera ex aliquo alio* IN MENTE PROFERENTIS RETENTO, *quodcumque illud ſit.* Rem hanc illuſtrat exemplis, & inculcat ſedulo numeris ſequentibus.

150. Mihi ſuboritur tædium tam multa deſcribenti, vereor ne & Lectori moleſtus fiam. Quare qui plures deſiderat hujus doctrinæ Auctores, adeat eos ſingulos, quos citavi; inquirat verò, quos illi alios citent: Illi, quos retuli, ſufficiunt, ut pateat non debuiſſe Leſſium dici *Magnum reſtrictionum mentalium patronum* hoc nomine, quod vel primus, vel ſolus illarum uſum licitum defenderit: ſed & oſtendi, quod neque valde aſſeveranter, neque valde ſolicitè, neque laxis habenis illam doctrinam inſtruxerit. Nihil ergo cauſæ habuit Sinnichius, cur Leſſium diceret *Magnum reſtrictionum mentalium patronum.*

§. II.

§. II.

Exorbitans, & exotica cenſura, Sinnichii doctrinam Thomæ Sanchez de reſtrictionibus exorbitantem, Tamburini verò, & Rainaudi exoticam vocantis.

151. SInnichius Saulis Exr. c.120. pag.557. in Vind. c.33. in fine *Exorbitantiam laxitatis* vocat doctrinam Thomæ Sanchez lib. 3. in Decal. cap.6. num. 15. ponentis regulam tertiam, quâ affirmat, merâ reſtrictione mentali fieri poſſe, ut vitetur culpa mendacii. Contra hæc Sinnichius cenſuram profert Caramuelis ex Theol. fundam. num. 1282. alias 1805. dicentis *Reſtrictiones mentales, ſi contineantur intra terminos pietatis, & ſynceritatis, neceſſarias non eſſe. Quod ſi tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ ſint, ubi deſunt circumſtantiæ ſignificantis, tollere humanam ſocietatem, & tamquam peſtiferas damnandas eſſe.* Hoc loco Illuſtriſſimum Satrianenſium, & Campianenſium Epiſcopum Caramuelem laudat Doctor Sinnichius his verbis: *Advertat Lector quantâ laxitatis exorbitantiâ laborare putanda ſit ea poſitio, quæ à* TANTO ALIOQUI LAXONE *tam acriter meruit cenſurari.*

152. Abutitur auctoritate Caramuelis, qui nullâ cenſurâ affecit poſitionem Thomæ Sanchez; ſolum hoc affirmans, *Peſtiferas eſſe reſtrictiones mentales, ſi dicantur etiam ibi admittendæ eſſe, ubi deſunt circumſtantiæ ſignificantes*: Sanchez non dixit, imò negavit, ibi admittendas eſſe: quia Sanchez cum illo num.15. tradidiſſet regulam de reſtrictionibus, quam exagitat Sinnichius, mox num.16. quartam ponit Regulam hanc: *Nullo modo licet uti verbis ambiguis quibuſcumque, etiamſi ex ſuâ ſignificatione ambigua ſint, id nullâ causâ juſtâ petente, niſi in eo ſenſu uſurpentur, quem communiter audientes percipiunt.* Atqui ex ſententiâ Caramuelis, & ſententiâ omnium (quod alibi oſtendere licebit) ubi eſt reſtrictionum mentalium *juſta cauſa*, quam appellat Sanchez, ibi adſunt *circumſtantiæ ſignificantes*, quas appellat Caramuel.

153. Mentem Caramuelis callebat Sinnichius, etſi diſſimulaverit: proximè enim ante cenſuram illam, quam extollit Sinnichius, poſuerat fundamentum 62. num.1281. alias num.1804. „ *Legis, & audis diſputantes Theologos, & ubi eos toto cœlo differre exiſtimas,* QUOAD REM CONVENIUNT: *qui enim admittunt reſtrictiones mentales, ubi & conſignificantes invenere particulas, nomen merum reſtrictionum admittunt: nam tunc latioris ſignificationis voces non à mentis conceptu, ſed à ſignificantibus particulis, & circumſtantiis reſtringuntur &c.* Exemplo rem declarat. „ Petis, inquit, ut te comiter, & vadam ex- „ ſpatiatum per urbem. Ire nolo, & volo, quod ſentio, tibi dicere: dico;

 „ non

„ non poſſum . . . . . Ut me excuſes ad mentalem, neſcio quam, reſtri-
„ ctionem recurris. Ego neutram admitto: Et dico me tibi locutum fuiſſe
„ non hebraicè, non græcè; ſed latinè, & non in quâcumque dialecto la-
„ tinâ; ſed in civili, & urbanâ, à quâ verbum *nolo* eſt expunctum, &
„ ejus loco verbum *non poſſum* ſubrogatum. Etiam aliis exemplis expli-
cat ſe.

Habeant tamen ſeſe hæc, ut volueris, conſtat ex dictis à num. 134. Regulam illam Thomæ Sanchez non fuiſſe *exorbitantiam laxitatis*, niſi graviſſimos Scriptores omnis generis cenſeas exorbitaſſe laxitate.

154. Sinnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 570. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 590. Tamburinum reprehendit, quod æquivocum, & amphibologicum ſermonem vocet etiam illum, qui, cum non habeat ex ſe duos ſenſus, tamen ad reſtrictum ſenſum limitetur reſtrictione mentali. Hanc acceptionem *æquivocationis*, & *amphibologiæ* Sinnichius ibidem monet placuiſſe quoque Rainaudo, tum verò, *Neminem quidem*, inquit, *ille hujus exoticæ uſurpationis deſignat in particulari Auctorem, vel uſorem: ſed tamen veriſimile eſt eum alluſiſſe ad Suarezium &c.*

Doctor Sinnichius valde exoticè multa judicavit exotica. Non ſolus Tamburinus, Rainaudus, aut Suarezius judicarunt orationem reddi *æquivocam*, aut *amphibologicam* per reſtrictionem internam. Judicavit idem Navarrus citatus num. 136. vocans *amphibologiam* ſolâ mente reſtrictum ſermonem. Similiter *æquivocationem* vocavit Cardinalis Toletus citatus num. 141. Similiter Capreolus citatus num. 143. reſtrictioni internæ tribuit ut voces *aliud ſignificent audienti, aliud dicenti.* Similiter Salonius citatus num. 146. vocat *voces amphibologicas*, & *amphibologiam.* Philiarchus citatus num. 147. vocat *verba æquivoca.* Sayrus citatus num. 148. *verba æquivoca*, & *amphibologias*: Mox ibidem Gazæus *amphibologiam.* Bonacina citatus num. 149. *verba amphibologica.* Machado num. 144. *æquivocationem*, & *orationem ambiguam.* Vereor, ne Lector me rideat, qui his occuper. Sed Doctori Sinnichio videbatur Exotica uſurpatio vocis.

§. III.

Quid peccarint Leſsius & Rainaudus, antiquos Patres conati eximere patrocinio mendacii.

155. Sinnichius Saul. Exr. cap. 104. pag. 416. col. 2. & cap. 121. pag. 563. col. 2. in Vind. cap. 17. pag. 212. & cap. 34. pag. 574. contendit, Leſſium lib. 2. cap. 47. dub. 6. num. 39. prodidiſſe cauſam ſuam eſtrictá de reſtrictionibus, quod veteres Patres, quibus adſcribi ſolet patrocinium mendacii

mendacii *voluerit excuſare, ultroque agnoverit*, patrocinatos ſolum eſſe mentali reſtrictioni.

Leſſius loco citato, cum dixiſſet, Originem, & Abbatem Joſephum putaſſe licitum aliquando eſſe mendacium, atque etiam videri illis conſentire Caſſianum, & Chryſoſtomum: ac denique Hieronymum, Theodoretum, Theophilactum, Oecumenium, & pleroſque græcos docentes Objurgationem Pauli fuiſſe ſimulatam: ſtatuit tandem ſententiam illam eſſe falſam: Subdit tamen: „ Putarem pleroſque ex prædictis Patribus „ excuſari poſſe, quod mendacium vocent etiam orationem alio ſenſu „ dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem, ita ut alter aliud in- „ telligat, & decipiatur, & nomine ſimulationis etiam diſſimulationem „ intelligant.

156. Ex quibus liquet I. Leſſium non abſolute *voluiſſe* illos excuſare, aut omnino *agnoviſſe* illos ſolum locutos de mentali reſtrictione: non hoc ſignificat verbum *putarem*. Patet II. non dixiſſe illum, ſeſe putare, intelligi illos poſſe de reſtrictionibus mentalibus determinatè: dixit disjunctive, fortè illos mendacium vocaſſe *orationem alio ſenſu dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem*: æque erat ipſi parata hæc excuſatio, etſi plane putaſſet tacitam reſtrictionem eſſe mendacium: *oratio alio ſenſu dicta*, quam accipiat audiens, obtineri poteſt ſine reſtrictione illâ.

157. Demus omnino Leſſium voluiſſe excuſare illos Patres ita, ut ait Sinnichius: putavitne illum de hoc reprehendendum? Non aſſentientur etiam illi, qui aliter, ac Leſſius, ſentiunt de reſtrictionibus. Sciunt enim ſententiam illam Leſſii judicio & plurimorum, & doctiſſimorum virorum eſſe veram, utcumque ipſi putent eſſe falſam, adeoque non poterunt non agnoſcere pietatem hic aliquam eximentis Patres tam multos patrocinio mendacii omnino explorati, etſi reipſâ haud ſatis eximat patrocinio mendacii, haud maxime explorati.

158. Lepida eſt argumentatio, quam ex illis Leſſii verbis, *Putarem pleroſque excuſari poſſe &c.* conficit Doctor Sinnichius Saulis Exr. pag. 416. col. 2. in Vind. pag. 212 ſic inſurgit: „ Ex confeſſione igitur hujus mag- „ ni reſtrictionum mentalium Patroni, plerique illorum Patrum voca- „ runt mendacia orationes tacitâ mentis limitatione reſtrictas. Si autem „ eas vocarunt mendacia, procul dubio cenſuerunt reverà eſſe mendacia: „ alioqui fatendum eſſet, eos in hoc ipſo fuiſſe mentitos, quod mendacia „ dixerint, quæ mendacia non eſſe revera cenſuerint. Stramineus eſt iſte modus: *Vocarunt mendacia, ergo cenſuerunt revera eſſe mendacia.* Reſponderet Leſſius, revera ipſos cenſuiſſe, eſſe illa mendacia, non tamen mendacia revera, & proprie, ſed externâ ſpecie quâdam. Illud verò, quod ſequitur, *Alioqui fatendum eſſet, eos in hoc ipſo fuiſſe mentitos*, novam continet infirmitatem. Sed de his in ſecundâ parte Stateræ. Po-

Potuiſſet eâdem argumentatione Sinnichius conficere, amphibologiam quamlibet ex rebus ipſis, & circumſtantiis conſurgentem eſſe mendacium, ſaltem adverſus eos, qui Patres illos explicare ſunt conati tamquam faventes non genuino mendacio, ſed ſermoni quomodolibet ambiguo, aliterque accipiendo, quam intelligat loquens: hoc modo Patres illos dixit excuſari poſſe Gazæus ad Collat. 17. Caſſiani cap. 8. ubi etiam hoc adnotat Abbatem Joſeph, ſub cujus perſona Caſſianus loquitur, mendacium vocaſſe *mutationem conſilii, aut ſponſionis facta*, quod accipi non poteſt de mendacio proprie dicto.

159. Sinnichius Saul. Exr. cap. 121. pag. 564. col. 1. in Vind. cap. 34. pag. 574. reſumit locum Leſſii, quo oſtendit ſe propenſum ad eximendos Patres patrocinio mendacii, ſed gravius peccatum illud ulciſcitur in Theophilo Raynaudo, qui rem illam egit aliquanto ſtudioſius Opuſc. *ſplend. verit*; alias *de æquivocatione* cap. 11. Recoquit Sinnichius argumentum, quo utentem modo audivimus contra Leſſium, idemque rurſus promovet Saulis Exr. cap. 122. pag. 565. col. 1. in Vind. cap 35. pag. 581. Sed de his nos alias. Cum verò Sinnichius animadverteret Raynaudum illos Patres explicuiſſe de mendacio in ſpeciem, atque impropriè dicto, contra ille *Ecce*, inquit, *quemadmodum veteres patroni indidem improbantur, unde ad patrocinandum acciuntur.*

Quæ hæc ſequela eſt; Raynaudus dixit impropriè locutos: ergo Patres illos improbavit?

160. Dolet poſt hæc Sinnichius, plus pietatis oſtendiſſe Raynaudum erga Patres, quam erga Platonem, & Philoſophos Mendacii Patronos: non patitur minus nocentes dici Patres. *Admittit Raynaudus cap. 2. num. 30.* inquit Sinnichius, *Platonem, & Philoſophos de mendacio proprie dicto fuiſſe locutos, cum illud ſubinde licere aſſeruiſſent, & tamen Origenes profitetur, ſe ſequi Platonis ſententiam: Hieronymus ſex alios Origeni ſuffragatores adjungit.*

Raynaudus loco citato non ſimpliciter admittit Philoſophos mendacii patronos fuiſſe: *Platonem*, inquit, *& Xenophontem, quod de Philoſophis universè jam monui*, NISI ALIA VIA EXCUSENTUR, *admitto erroris magiſtros hâc in parte fuiſſe, atque adeo nego audiendos.* Ipſe verò non fuit ſolicitus, ut viam inveniret, quâ illos excuſaret: conatus eſt invenire, ut excuſaret Patres, eamque iis argumentis probabilem fecit, quæ à Sinnichio non ſunt infirmata; nam quod dicit Origenem profiteri, ſe Platonem eſſe ſecutum, unum hinc evinci Raynaudus reſpondebit, judicio Origenis Platonem non fuiſſe genuini mendacii patronum. Hieronymus ſex alios dicens Origeni ſuffragatos de licitâ interdum ſimulatione, non aperit, quid illi de Philoſophis ſenſerint, neque hoc agebatur.

161. Videamus capitalem errorem Raynaudi judicio Sinnichii Saulis

Exr.

Exr. cap.121. pag.564. col.2. in Vind. cap.34. pag.576. Negavit ſcilicet Raynaudus cap.12. num.26. non meminiſſe ſe legere, à quopiam fuiſſe reprehenſum Caſſianum de patrocinio mendacii ante Dionyſium Carthuſianum. *Quod ſanè*, inquit Sinnichius, *mirum eſt excidiſſe Raynaudo*. Contendit reprehenſum fuiſſe à Proſpero lib. contra. Collat. cap. 9. qui fuit mille, & amplius annis antiquior Dionyſio.

Raynaudus iſto loco miratur, ſi mendacii proprie dicti patronus fuit Caſſianus collat. 17. non aliquem Proſperum extitiſſe Auguſtini Zelatorem, qui collatorem impetiti Auguſtini ſuſpectum confutaret ad eum modum, quo inventus eſt, qui de gratiâ diſputantem contraria Auguſtino, confutaret ex profeſſo. Hoc negavit factum eſſe ante Dionyſium Carthuſianum, quod quidem ipſe meminiſſet. Neque verò id factum eſt à Proſpero illo cap.19. ac nequidem ſatis clarum eſt, quod ibi *Proſper Caſſianum tamquam mendacii patronum ſugillet* ut contendit Sinnichius. Caſſianus dixerat, non minus eos errare, qui aſſererent gratiam ſemper eſſe neceſſariam ad initium bonæ voluntatis, quam eos, qui aſſererent numquam eſſe neceſſariam. Dictum hoc refellit Proſper illo cap.9. atque inter alia argumentum format ex abſurdo: *Hâc lege, ac regulâ*, inquit, *poteris prædicare, quod tam errent, qui dicunt, ſemper eſſe fallendum, quam qui definiunt, numquam eſſe fallendum: ſed ut in neutro peccetur, utrumque ſectandum: quia nec ſemper declinanda falſitas, nec ſemper negligenda ſit veritas.* Ex verbis his nequidem hoc ſatis intelligitur, Caſſianum docuiſſe, licere aliquando fallere: ſed potius contrarium, ut conſideranti patebit. Non ergo probatur ex hoc loco, ante Dionyſium extitiſſe, qui Caſſianum de Mendacii patrocinio ſic, atque ex profeſſo refelleret pro Auguſtino, ſicut inventus eſt, qui refelleret errantem de gratiâ: neque hoc probat marginalis nota ad illum locum Proſperi à Lovanienſibus adjecta, licet maximè vera eſſet, quia ad ſummum valde obiter hoc ibi agit Proſper.

162. Hic per tranſennam conſideretur aliud Raynaudi peccatum grande, quo veteres illos imitatus dicitur.

Sinnichius Saulis Exr. cap.122. pag.566. col. 1. in Vind. cap.35. pag. 580. Raynaudum reprehendit, quod cap.24. num.5. *Æquivocationes, & reſtrictiones mentaliter factas abſque idoneâ causâ dicat eſſe illicitas*: licitas verò *cum ſubeſt juſta cauſa eas uſurpandi*. In hoc Cenſor ait eſſe imitatum antiquos mendacii patronos, qui ſimiliter requiſierunt juſtam cauſam, ut liceret mentiri.

Si hoc eſt imitari mendacii patronos, dicendum eſt omnes Theologos eſſe imitatos mendacii patronos: nullus eſt enim, qui Theologi nomen mereatur, quin & fateatur, licere uti ſermone æquivoco aliter accipiendo ab audientibus, quam intelligat loquens, ſi adſit juſta cauſa, & dicat hoc

eſſe illicitum, quando juſta cauſa non ſubeſt. Quid habuit Sinnichius, quod objectaret Rainaudo de imitatione Patronorum mendacii, ob diſtinctionem illam juſtæ, & non juſtæ cauſæ, neque conveniat in Theologos omnes ob diſtinctionem eamdem?

§. IV.

Quo jure accuſatus à Sinnichio Franciſcus Suarez, quod imperitis ſubvenerit in neceſſitate æquivocandi.

163. SInnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 570. col. 1. & 2. in Vind. cap. 35. pag. 591. Franciſcum Suarez accuſat quod modo ſe indigno ſubvenire ſtuduerit imperito reſtrictionum, *Suadens ut in genere intendat eam reſtrictionem, quæ reapſe congrua ſit, tametſi ipſe eam in ſpecie neſciat* &c. ſarcaſtice hæc exponit.

Non erubeſcet verba ſua Suarez; quæ Sinnichius vocat *tanto viro indigna* lib. 3. cap. 10. num. 4. ſic loquitur: *Quod ſi forte rudis ſit, & neſciat in particulari amphibologiam concipere, conſilium erit, ut intendat negare, vel affirmare in ſenſu, qui veritatem reipſa contineat. Ad hoc autem neceſſe eſt, ut ſaltem in genere ſciat, & ſibi perſuadeat, alio vero ſenſu poſſe ſe negare &c.* Hanc orationem nemo poteſt aſpernari, præter eum, qui malit videre homines mendaces, & perjuros, vel arcanorum proditores, quam utentes amphibologiâ. Fuit Lovaniſta quidam mihi commendatus hoc nomine, qui cum multum averſaretur amphibologias, premereturque, ut explicaret, quid faciendum Confeſſario, qui, niſi negaret, videretur fateri peccatum auditum in confeſſione, tandem, cum alia via non pateret, reſpondit, ſe potius mentiturum, quam uſurum amphibologiâ: ſed ille quidem nemini placere poteſt.

164. Dixi, neminem poſſe aſpernari orationem illam Suarezii. Nemo enim negare poteſt, aliquando eſſe neceſſitatem utendi amphibologiâ, atque hujus ope eludendi interrogantem: manifeſtum id eſt in Confeſſario interrogato de peccato pœnitentis: manifeſtum in omnibus, quibus commiſſum eſt ſecretum omnino celandum in iis circumſtantiis, in quibus ſi taceant interrogati, aut tergiverſentur, aut eo ſermone utantur, cujus æquivocatio ex verbis ipſis agnoſci queat, fateri videantur, quod fateri non poſſunt ſine gravi crimine. Certum eſt caſum occurrere quotidie. Quid verò faciet Confeſſarius ſic deprehenſus, ut interrogato non occurrat verus ſenſus, quo dicere liceat; *neſcio*, *vel non audivi*: num voluit Sinnichius fatendum ipſi eſſe, & dicendum; *ſcio*, vel *audivi*? Non puto.

Num

Num voluit eſſe ipſi omnino tacendum? tantumdem hoc erit ac dicere; *ſcio, audivi.* Num voluit utendum quâdam æquivocatione frivolâ ex verbis ipſis agnoſcendâ? pejus hoc erit, quam tacere. Quo ergo ſe vertet Confeſſarius? Ratio, inquies, oficii, & obligatio tacendi poſtulat, ut dicat; *neſcio:* conſignificant enim illæ circumſtantiæ; *ita ut liceat dicere.* Sed quid ſi Confeſſarius ſimplex, vel turbatus non recordetur determinatum illum ſenſum. Profectò ipſi ſuadendum eſt, quod ſuadet Franciſcus Suarez, *ut intendat negare, vel affirmare in ſenſu, qui veritatem reipsâ contineat;* niſi malis ipſum vel mentiri, aut pejerare, vel violare ſigillum Confeſſionis.

165. At Suarez locutus eſt etiam de amphibologiâ per reſtrictionem internam.

Certiſſimum eſt nihil hoc referre ad praxim, de quâ agitur, ut pluribus oſtendere licebit in ſecunda parte ſtateræ, & vel ex eo patet, quod ad licitum uſum reſtrictionum mentalium omnes earum Patroni, & inprimis Suarez requirant eam cauſam, quæ reipsâ continet illas circumſtantias, quas vocant conſignificantes, qui opinionem illorum damnant. Adde quod ſignanter doceat Suarez ibidem cap. 11. num. 5. & 6. juramentum cum reſtrictione internâ ſine juſtâ causâ continere *irreligioſitatem*, quæ ſit *peccatum grave*: ait tamen *rem eſſe dubiam* an ſit perjurium propendetque, ut credat non eſſe (de quo ipſo inurbanè irridetur à Sinnichio, tanquam hoc *addiderit pro conſolatione mentaliter reſtringentium*) manifeſtum eſt ergo, totam illius doctrinam de reſtrictione ad praxim ipſam nihil diverſitatis inducere, & ſolâ ſpeculatione differre à doctrinâ contrariâ.

Debuiſſet hæc conſiderare Doctor Sinnichius. Sed ille ſatis habuit erexiſſe ſeſe, & dixiſſe; *Verba profectò tanto viro indigna ſunt iſta*: nihil diſtinguens, nihil afferens, cur ſint indigna: ſed irridens *tantum*, ut fatetur, *virum*.

§. V.

Gemina Sinnichii impoſtura propulſatur à doctrinâ Tamburini de juramento æquivoco.

166. Sinnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 567. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 582. graviter accuſat Tamburinum, quod dixerit loco citato, *Certum eſſe, jurare ſine animo jurandi licitum eſſe cum causâ.* Contrarium probat multis, etiam auctoritate Scholaſticorum: atque *Ecce*, inquit,

 autem-

quemadmodum extra omne dubium habuerunt vetuſtiores illi Scholaſtici, juramenta ſine jurandi animo illicitè proferri, cum tamen Tamburinus certum velit eſſe oppoſitum dummodo ſcilicet cauſa ſubſit.

Ego cum bonâ veniâ dico, hanc eſſe impoſturam inſignem. Hoc ut appareat, exhibeamus verba Tamburini omnia, quæ ad rem faciunt, citato §.2. Titulum hunc ponit, *De juramento promiſſorio doloſo*. Mox verò ſic: *Tribus modis poteſt in illo dolus intercedere. Primo ſi juretur ſine animo implendi. Secundo ſi ſine animo jurandi. Tertio ſi ſine animo ſe obligandi, ſeu* (quod in idem videtur recidere) *ſine animo promittendi*. Mox de *primo modo* ſic pronuntiat. *Certum eſt primo, jurare ſine animo implendi eſſe mortale*; tum verò ad 2. modum ſic procedit: *Certum eſt ſecundò, jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis*, VEL JURARE VERBIS ÆQUIVOCIS, *non eſſe licitum ſine cauſâ, licitum eſſe cum cauſa &c.* poſtea pergit ad *Tertium modum*.

167. Ex his manifeſtum fit, quod Tamburinus non dixerit ſimpliciter aliquando eſſe licitum *jurare ſine animo jurandi* ſed tantum *jurare ſine animo jurandi eo ſenſu, quo juramentum accipit audiens*. Manifeſtum hoc fit primo quia Tamburinus, cum in diviſione trium modorum juramenti doloſi promiſſorii poſuiſſet ſecundum modum, quo *juratur ſine animo jurandi*, mox in Aſſertione hunc *ſecundum modum* ſic explicat, *Iurare ſine animo jurandi*, VEL JURARE VERBIS ÆQUIVOCIS: in quibus verbis poſteriora eſſe explicationem priorum eſt perſpicuum; quia alioqui jam non ſolum aſſignaret tres modos juramenti doloſi, ſed quatuor: profitetur autem, ſe non niſi tres agnoſcere, ut vidimus. Nimis ergo clarum eſt, quod Tamburinus hoc ſolum voluerit, *licere cum causâ jurare verbis æquivocis*, ſive *jurare ſine animo jurandi eo ſenſu, quo juramentum accipit audiens.* Hoc autem meritò Tamburinus vocavit *certum*: eſt enim certum: neque certitudo hæc dependet à veritate ſententiæ faventis reſtrictionibus mentalibus, ut omnes periti intelligunt.

Hinc abit in fumum omnis illa exaggeratio, quâ Doctor Sinnichius conatur iſto loco odioſum facere Tamburinum oratione longiſſimâ. Detectâ impoſturâ hæc omnia aerem feriunt.

168. Sinnichius Saulis Exr. cap. 112. pag. 569. col. 2. in Vind. cap. 35. pag. 589. ſugillare pergit aſſertionem Tamburini, quâ dixerat lib. 3. c. 3. §. 2. num. 1. (hunc locum non citat ibi Sinnichius, intelliges mox, ob quam cauſam, ſed citaverat quinque columnis ante) quâ inquam dixerat Tamburinus *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ.* Quia autem reverà hoc *certum eſſe* videbat Sinnichius, ſi agatur de verbis æquivocis, præſcindendo, an ſint æquivoca ex ſe, aut circumſtantiis, an verò ex ſolâ mentis reſtrictione, omnem lapidem movet, ut videatur Tamburinus affirmaſſe, id certum eſſe, agendo de verbis æquivocis etiam poſteriori modo.

Porrò,

Porrò, inquit, *Tamburinum comprehendiſſe etiam orationem poſteriori illo ſenſu æquivocam, planum eſt ex eo quod cum in titulo inquireret*, An in judiciis æquivocare cum juramento aliis à Reo liceat, *in textu ſubjungit reſpondeat num. 2.* Teſtis interrogatus à Judice de occulto crimine &c. poteſt jurare ſe rem neſcire intelligendo, ita ut teneatur illi judicio ſubdere.

169. Hic obſerva, Lector, artificium Doctoris Sinnichii, citatâ pag. 569. col. 2. referens Aſſertionem, quâ Tamburinus dixit *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ*, non citat locum, quo id dixit Tamburinus: citaverat quinque columnis ante; ſcilicet lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. ſed ſperabat, opinor, Lectorem jam fore oblitum illius citationis. Jam ergo cupiens probare, Tamburinum id affirmaſſe *certum* etiam de jurante verbis æquivocis per internam reſtrictionem, *planum eſt*, inquit, *ex eo, quod cum in titulo inquireret, an in judiciis æquivocare cum juramento aliis à Reo liceat &c.* in textu deinde faciat mentionem reſtrictionis mentalis. De quo titulo cenſes loqui Sinnichium? An non de eo titulo, ſub quo eſt aſſertio dicens, *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ*? Aberras: conſule notam marginalem, ibi enim videbis citari l. 3. cap. 4 § 2. ſed, inquies, an non & ibi eſt aſſertio dicens *Certum eſſe &c*? Non eſt ibi: locum Aſſertionis citaverat quinque columnis ſupra: & cavit renovare citationem reſumens aſſertionem pag. 569. alias pag. 589. ut videretur aſſertio contineri ſub titulo §. ſecundi cap. 4. quæ revera continetur ſub titulo §. ſecundi cap. 3. atque ita argumentum videretur habere aliquam ſpeciem. Sed argumentum videamus.

170. Contendit ergo Sinnichius Tamburinum dicentem illo § 2. cap 3. Certum esse *licere jurare verbis æquivocis cum causâ*, locutum eſſe etiam de *jurante verbis æquivocis* per reſtrictionem internam, quia cum in titulo §. ſecundi cap. 4 poſuiſſet verbum *æquivocare*, poſtea in contextu facit mentionem *æquivocationis* per reſtrictionem internam. At hinc nequidem ſequitur, quòd in titulo §. ſecundi cap. 4. verbum *æquivocare* ſignificet determinate æquivocationem per reſtrictionem internam. Non eſt novum, titulos poni indefinitos, & rem ipſam determinari aſſertionibus ſub titulo: quomodo ergo hinc ſequetur §. 2. cap. 3 (qui §. 2. diſtat à §. 2. cap. 4. triginta, & amplius columnis), quomodo inquam, ſequitur illo §. 2. ubi dicitur Certum esse *licere jurare verbis æquivocis cum causâ* agi determinatè de jurante verbis æquivocis per reſtrictionem internam? Scatent hæc omnia turbidis, atque inconſultis conatibus in Tamburinum. Nihil dicam amplius. Sciebat Tamburinus *eſſe certum licere jurare verbis æquivocis cum causâ*: hoc ergo unum affirmavit. Sciebat non eſſe certum licere jurare verbis æquivocis per ſolam reſtrictionem internam: hoc ergo non affirmavit: ſed optavit Sinnichius, ut affirmaſſe videretur.

171. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 567. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 582. Tamburinum ſugillat, quod dixerit l. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. *Certum eſſe jurare ſine animo jurandi ſive res ſit levis, ſive gravis, vel jurare verbis æquivocis, non eſſe licitum ſine cauſâ.* Quid verò in his reprehendit? hoc unum, quod Tamburinus affirmaverit quamdam rem, quæ eſt certa; Ne de nihilò videatur reprehendiſſe, probat operoſe illam rem eſſe certam. Tum verò concludit; *Quid ergo magni eſt quod dicat* &c.? Neſcio, quomodo ſe debuerit gerere Tamburinus, ut placeret Sinnichio: ſi affirmare videatur incerta, aut falſa, vapulat; ſi affirmet vera, & certa, etiam vapulat ob hoc ipſum.

§. VI.

Impoſturæ & Cavillationes Sinnichii ad doctrinam Tamburini, & Hurtadi de inducente ad juramentum.

172. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 572. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 595. graviter perſtringit *Tamburini*, ut loquitur, *exoticam plane, ac ipſo auditu horrendam laxitatem, quâ cenſet, & prædicat, licere inducere teſtem ad deponendum juratorie falſum, quod deponens quidem putat eſſe verum, ſed inducens probe ſcit eſſe falſum.*

Tamburinus l. 3. cap. 1. §. 6. num 3. quem locum citat Sinnichius, id non *cenſet*, neque *prædicat*, ſed prorſus contrarium: de illo enim inducente ibi ſic prædicat; *Reſpondeo mortaliter peccaturum*, idque ipſum probat iſto numero 3. & rurſus num. 5.

At num. 7. affirmat, conaturque oſtendere, eſſe quamdam diſparitatem inter hunc caſum, & illum, quo quis inducit ebrium ad contumelias &c. & priuſquam dicat eſſe probabilem ſententiam, quæ licitam affirmat inductionem illam ad perjurium, reſtrictiones, & cautiones adhibet, quas vidit ipſe Sinnichius. Fatetur num. 7. & 4. alia obſtare poſſe, quo minus id liceat, juſtitiam ſcilicet &c. Requirit deinde num. 7. *cauſam proportionatam*, ut illud liceat. Poſt omnia, cum dediſſet diſtinctionis quiddam, *hac ſi penetretur*, inquit, *cenſenda eſt impoſturum probabilis Hurtadi hoc modo explicata ſententia*: etiam Tancredum, & Dianam pro parte iſta citaverat.

173. Evagatur deinde otioſiſſime Sinnichius probans operoſe obligationem impediendi peccatum materiale proximi, adeoque multo magis non inducendi ad tale peccatum. Si tam diligens fuiſſet in veritate indagandâ, quam in colligendis nævis Theologorum, potuiſſet aliquid lucis accipere ab Eminent. Cardinali de Lugo tom. 2. de Juſt. d. 39. ſect. 3. nu. 22. vel ad minuendum *horrorem* opinionis illius, vel ſi ita videretur, ad eam oppug-

oppugnandam aliquanto nervoſius. Cardinalem audiamus de opinione illâ differentem: ſpero enim, non fuiſſe illum laxonibus adnumeratum à Sinnichio.

„ Fortaſſe, inquit, magis apparenter poſſet id defendi dicendo, juramentum eo caſu, nec formaliter, nec etiam materialiter eſſe malum, „ quod probari poſſet ex doctrinâ à nobis traditâ; nempe voces, & aſſertiones noſtras vocales directè, & immediatè ſignificare ſolum conceptus „ noſtros..... Quod idem dicendum eſt, ſi jures: nam immediate adducis Deum in Teſtem ſcientiæ, & mentis tuæ; ſicut ſi diceres; ſit Deus „ teſtis, quod ego puto, Petrum eſſe in foro. Unde videtur fieri, numquam fieri perjurium etiam materiale, quando aliquis jurat juxta ſuam „ mentem: quia ſemper eſt verum id, quod immediate, & directe affirmat „ & jurat &c. Quidquid tamen de hoc ſit, ego non video, cur in prædicto „ caſu non liceret petere à teſte, non ut juret, rem ita eſſe, ſed ſolum ſe „ exiſtimare rem ita eſſe; tunc enim procul dubio nec formale, nec materiale perjurium conſuleretur, ſed veriſſimum teſtimonium.

Animadvertat Lector, paulo ante monuiſſe Cardinalem, *Quaſtionem ſolum procedere debere, quando teſtimonium teſtis non deſeruit ad uſurpandum aliquid petenti non debitum*, quæ & eſt manifeſta mens Tamburini, ut patet legenti, quæ habet num. 4.

174. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 574. col. 1. in vindiciis cap. 35. pag. 600. cum ex Tamburino l. 3. cap. 2. §. 1. num. 8. retuliſſet verba Hurtadi: *Scholaſticus volens probare curſum, ad quod eget duobus teſtibus, adhibere poſſit duos amicos, qui illum non viderunt intereſſe lectionibus, & ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe.* AT NON POSSUNT JURARE SE ID VIDISSE, oſtendit diſplicere ſibi additionem iſtam, *at non poſſunt jurare ſe id vidiſſe*: optaſſet ampliorem materiam exercendi partes cenſorias. Quapropter conatur omnino oſtendere *additamentum non videri ſatis conſentaneum regulæ traditæ per Leßium lib. 2. de Iuſt. cap. 42. dub. 9. num. 48.* Regula hæc eſt. *Quotieſcumque licitum eſt uti oratione ambiguâ, vel tacitâ reſtrictione, licitum etiam eſt uti juramento, ſi neceßitas vel gravis cauſa poſtulet.*

Mirabilis eſt hic pruritus ad cenſuram: quia adhibendo regulam Leſſii, quod licitum ſit juramentum, quando licita eſt affirmatio, ad ſummum ſequetur, poſſe illos amicos jurare, ſcholaſticum interfuiſſe lectionibus: neque hic eſt opus oratione ambiguâ, aut reſtrictione: Tamburinus enim omnino ſupponit, habere illos aliunde *moralem certitudinem*, ut patebit locum adeunti: non autem ſequetur ex regulâ Leſſii, poſſe illos jurare, *ſe id vidiſſe*: uti neque verbis Hurtadi dicitur poſſe illos affirmare, *ſe id vidiſſe*.

175. At, inquit Sinnichius, cur ergo non dixerunt Hurtadus, & Tamburinus

burinus ſic potius, *At non poſſunt* TESTARI *ſe id vidiſſe*? Cur etiam mutilam doctrinam tradiderunt, non decidentes, an poſſent jurare Scholaſticum interfuiſſe lectionibus? Valde ridicula hæc ſunt. Legatur Tamburinus: agit toto iſto §. de teſtimoniis juratis: quare approbans doctrinam Hurtadi, plane affirmat amicos illos poſſe jurare Scholaſticum interfuiſſe lectionibus: unde manifeſtum eſt nativam ſuam vim habere particulam adverſativam, cum hæc adduntur; *At non poſſunt jurare ſe id vidiſſe.* Mirum eſt Doctorem Sinnichium his ſe occupaſſe.

§. VII.

Capitalis accuſatio Miſſionariorum Chinenſium de licita ſimulatione idololatriæ calumnia eſt capitalis.

176. SInnichius Saulis Exr. cap. 103. pag. 409. 410. in vind. cap. 16. pag. 196. non ſe abſtinuit, quin refricaret Lectori memoriam celebris fabulæ de controverſiâ inter Chinenſes Euangelii Miſſionarios, an more gentis liceat in iſto regno Chriſtianis externam adhibere adorationem Idolo, *clam directâ intentione ad Deum, ut repreſentatum in imagine penes ipſos, vel ſecus idolum latente.* Decretum refert S. Congregationis de propagandâ fide, quo id declaratum eſt Anno 1645. nequaquam licere. Ne vero eſſet dubium Lectori, quinam deſignarentur impiæ adorationis Doctores, Thomam Hurtadum inducit, qui hujus doctrinæ originem repetit ex doctrinâ Leſſii de reſtrictionibus.

Non eſt mihi animus vindicare hoc loco famam, honoremque illis Athletis, fœdiſſime cruentatis à Thoma Hurtado. Egit hoc tam luculente in ſua nuper Diatriba à num. 414. P. Ægidius Eſtrix, ut mihi quidem ſit perſuaſum de calumniâ. Adeat etiam, qui eſt curioſus Danielis Bartoli Hiſt. Aſiat. p. 3. lib. 1. ubi valde exquiſitâ expoſitione rituum Sinenſium, atque opinionum iſtius populi de iſtis ritibus, & Magiſtro ſuo Confucio, dilucidatur controverſia illa.

177. Ego unum adnotabo. Niſi Sinnichio fuiſſet propoſitum conflare invidiam Jeſuitis, non fuiſſet illi difficilius invenire decretum generalis Inquiſitionis Romanæ Anni 1656. quam decretum Congregationis de Propagandâ Fide Anni 1645. Illud Jeſuitis favens jam Annis ſex lucem viderat, extabatque apud Theophilum Rainaudum lib. de Miſſis Sinenſibus cum primum edidit Saulem ſuum Sinnichius: neque erat ipſi ignotus Rainaudus: hunc enim Auctorem ubi eſt occaſio, laceſſit ſtrenue; ut docebit Judex Saulis Exr. Verbo *Theophilus Rainaudus.* Sed magis amabat Thomam Hurtadum Rainaudi, & Jeſuitarum hoſtem, Theologum, valde laxum,

Google

laxum, & temerarium, ut oſtendit Eruditiſſimus Dominus Nicolaus du Bois lib. ad 45. Propoſitiones præfat. cap. 10. Apud Rainaudum inveniſſet confutatas turpes calumnias Thomæ Hurtado, quibus ad verbum deſcriptis Saulem ſuum contaminavit pag. 410. & quidem cum ſciret, certe deberet ſcire, opus illud Hurtadi fuiſſe proſcriptum à S. Congregatione die 10. Junij 1659. Didiciſſet item apud Rainaudum ex ipſo decreto generalis Inquiſitionis, Jeſuitas *non fuiſſe auditos*, cum eſt editum decretum Congregationis de Propagandâ fide: Didiciſſet alium eos agnoviſſe ſtatum controverſiæ, quam erat propoſitus à Fratre Joanne Baptiſta Morales. Didiciſſet denique, ad puncta ſingula ab ipſis propoſita fuiſſe reſponſum in favorem ipſorum à S. Congregatione Gen. Inquiſitionis coram Alexandro VII. habita. Atque horum ſaltem mentio erat facienda Sinnichio ea narranti, quæ ſciebat accipienda ad invidiam, & infamiam Jeſuitarum. Decretum illud generalis Inquiſitionis ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ, ſi quis cupit ſibi oſtendi, adire poteſt Patrem Ægidium Eſtrix: affirmat enim in Diatribâ num. 418. illud apud ſe extare. Promittit quoque ſe exhibiturum teſtimonium Autenticum Dominici Mariæ Sarpetri ex Ordine Prædicatorum Miſſionarii Chinenſis, ex quo diſcet, qui volet, non impoſuiſſe Jeſuitas S. Congregationi, cum expoſuere controverſiam, quæ fuerat in Regno illo. Diſcet quoque ex Epiſtolâ ejuſdem Sarpetri ad S. Congregationem, cujus fragmentum eſt in Diatriba, motum fuiſſe ipſum ad dandum teſtimonium illud, ut occurreret calumniis HÆRETICORUM JANSENISTARUM: hoc enim diſerte ibi declarat. Sed Sinnichius parum fuit ſolicitus, ut veritatem hoc loco inquireret, vel ſi inquiſiverat, ut explicaret Lectori: quod eſt valde contra charitatem.

178. Nullâ charitatis læſione poterat reprehendere doctrinam Adriani, de modo ſimulandi licitè idololatriam. Notum omnibus, palamque extantem locum in Tract. de Sacram. Baptiſmi quæſt. 1. pag. 5. col. 2. verbis ſuis expreſſum referam infrà, ubi de morali Theologiâ Doctorum Lovanienſium.

CAPUT XIII.

De Furto, & Reſtitutione.

§. I.

Iniquè accuſatus à Sinnichio Baunius circa doctrinam de parvis furtis, & Reſtitutione.

179. SInnichius Saulis Exr. cap. 16. pag. 525. col. 2. in Vind cap. 29. pag. 481. Stephanum Baunium in Summâ peccator. edit. 6. pag. 220. Auctorem adſcribit huic Articulo. *Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

Baunii ſumma editionis 6. non eſt apud me: ſed puto non eſſe diverſam à ſummâ editionis 5. in quâ pag. 220. eâ ipsâ, quam citat Sinnichius, quæſtio illa tractatur. Sed ibi Baunius in re diſputatiſſimâ inter Theologos ad ſummum hoc unum definit, quod ultimum furtum minutum, quo completur grave damnum, non ſit peccatum mortale. Mox verò inde ait quoſdam conficere, non eſſe obligationem gravem reſtituendi ſummam minutis furtis acceptam, eorumque argumentationem refert, ipſe verò nihil decernit.

180. Imò hoc ipſum, quod dixerat, poſtremum furtum minutum non eſſe peccatum mortale; adeoque nullo ex illis furtis peccari graviter, mox pag. 221. & 222. ſic modificat, ut etiam ſeverior, quam vulgò Theologi, videri poſſit in quæſtione illâ. Primò namque intervallum temporis inter ſingula furta requirit *notabile.* Secundo quærens quot dierum, aut ſeptimanarum debeat eſſe illud intervallum, reſpondet Thomam Sanchez nolle minus temporis quam unius anni: Filliucium verò, & Dianam ſtatuere *magnum intervallum, ut non continuetur materia unius furti cum alio, eſſe menſem, vel dimidium:* Atque ita quæſtionem abrumpit. Non poteſt ergo niſi injuriâ Baunius ſimpliciter dici Auctor articuli, quem memorat Sinnichius; præcipuè ſi attendas, quam generalis ſit.

181. Nihil ibi affirmavit Baunius, quod non multo ante, multoque amplius affirmavit gravis Doctor Navarrus in Sum. cap. 17. num. 139. *Qui tamen,* inquit, *minutatim uno die quid exiguum, puta quadrantem, ſeu quatrinum, & alius multis diebus ſingulis tantundem caperent, nulla vice peccarent, niſi venialiter; etiamſi totaliter accepta ad notabilem quantitatem creſcerent.* Cumque

que affirmaſſet nihilominus *reſtituenda videri illa*, hoc ipſum mox ſic limitat, ut dicat *procedere in eo, qui continuato tempore ſine magnis intervallis illam notabilem quantitatem conflaret*. Non eſt eo uſque progreſſus Baunius.

Multò etiam liberius pronuntiavit Berarducius in Sum.p.1.cap.1.n.28. *Si actus furandi procedunt à voluntate intercisâ ..... tunc quantumcumque reiteret hujuſmodi furta ſic conditionata, ſemper eſt veniale, nec tenetur de neceſſitate ſalutis reſtituere illa.* Legit hæc Sinnichius, ſi Baunium legit: hic enim ad verbum deſcripta retulit nominato auctore. citavit quoque Baunius Navarrum, & tamen Auctorem articuli deſignare Sinnichio placuit Baunium potiſſimum, cujus doctrina multis ex capitibus diſtat ab articulo longiſſimè, ut jam patuit; præcipue ſi attendas ejus generalitatem, nullâ diſtinctione intervallorum temporis inter ſingula furta &c.

182. Sinnichius Saulis Exr. cap.116. pag. 527. col.2. in Vind. cap. 29. pag 485. Baunio in Summâ peccat. pag. 213. adſcribit hunc Articulum. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſurripere ad compenſandam ſuam operam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Baunius iſto loco id non affirmat licere famulis, niſi in duobus caſibus ſingularibus; atque hoc ipſum tribus adhibitis reſtrictionibus: adeat, cui id lubet, Baunium, & miretur Sinnichii præcipitem citationem. Eodem jure inter laxitates referre potuiſſet eorum omnium doctrinam, qui cenſent occultâ acceptione uti licere, ubi quod tuum eſt, vel tibi deberi conſtat, non potes viâ juris petere ſine incommodo magno. Sapientius Guilielmus Herinx tract.de Juſtit. d.8. q.7. num.118. notari jubet, *famulos, & ſimiles plerumque de inſufficientiâ ſtipendii conqueri ſine ſufficienti ad compenſationem fundamento.* Sed de hoc neque Baunio dubium eſſe potuit.

183. Sinnichius Saulis Exr. cap. 116. pag. 527. in Vind. cap.29. pag. 486. Baunium in Summâ pag.307. & 108. facit Auctorem hujus articuli; *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.*

Articulus eſt univerſalis de quocumque *inducente*. Inducere autem, ut D. Thomas explicat 2. 2. q. 62. a.7. eſt *movere præcipiendo, conſulendo &c.* Baunius autem iſto loco hoc unum affirmat, non obligari ad reſtitutionem, qui precibus induxit, nullam imponendo obligationem, præcipiendo, comminando &c. ponitque eum, qui rogatur ut malefaciat, ſuâ ſolius voluntate malefacere: *C'eſt ſa volonté qui luy porte; rien ne l'y oblige, que la bonté, que la douceur, & facilite de ſon eſprit.* Non ergo debuit nullâ reſtrictione, aut moderatione auctor deſignari illius articuli.

credimus, affirmanti *convenire inter omnes peccare eos, qui extra neceſſitatem extremam res alterius accipiunt.* Ignoſcerem, ſi meram retuliſſet affirmationem Navarri: ſed & affirmat ipſe confidenter, ut vides. Oportet ergo neque Sylveſtrum, neque Angelum, neque, quos memoravi alios *his noviſſimis temporibus* ſuperiores, in numero Doctorum fuiſſe judicio Sinnichii: qui eorum pronuntiata pro ſententiis non habuerit.

CAPUT XIV.

De Homicidio.

§. I.

Inconſideratè à Sinnichio accuſatus Amicus circa doctrinam de occiſione accuſatoris, detractoris &c.

190. SInnichius Saulis Ext. cap.109. pag.451. col.2 in Vind. cap.22. pag.294. Franciſcum Amicum indigitat Auctorem hujus Articuli: *Licitum eſt occidere calumnioſum actorem, teſtes, & injuſtum Iudicem, ad ſervandam vitam, bonores, vel res familiares.* Adire jubet Sinnichius Amici Tom.5.d.56.n.75.& 131. edit. Duacenſis Anni 1642.

Amicus illo numero 75. Articulum abſolutè non docet: approbat rationem Leſſii dicentis, *in praxi, ob multa incommoda inde ſequi nata, non eſſe admittendum*, quod habet Articulus. Addit tamen, ratione illâ ſolum probari, *Non poſſe talem invaſorem occidi, quando ex tali occiſione timeretur publicum aliquod ſcandalum*, ſeu incommoda illa, de quibus Leſſius. *Ceterum,* inquit, *ſi fieri poſſet abſque ſcandalo, illicita non eſſet; quod ſolum contendunt contraria ſententia auctores.* Non affirmat, *fieri poſſe abſque ſcandalo*, ſeu abſque *incommodis inde ſequi natis*; ſed, *ſi fieri poſſet*, non fore illicitam occiſionem.

Amicus ibidem num.131. quo & Lectorem mittit Sinnichius, nec verbum habet, quo oſtendat ſermonem ſibi eſſe de Actore, teſte, judiceve injuſto.

191. Hoc ad minimum videre poterat Sinnichius, non eſſe exploratum, quod Articulum illum Amicus docuiſſet: quid ergo in mentem ipſi venit, ut pro Articulo illo Amicum potiſſimum citaret, cum tot alii ſint, qui Articulum docuerunt valde diſertè? Dabit non paucos, eoſque illuſtres Auctores Erud. D. Nicolaus du Bois lib.ad 45. Propoſitiones à n.75. non multum ab Articulo aberrat ipſe Sinnichio æſtimatiſſimus Sylvius 2.2.

q.41.

q. 41. a. 2. caſum admittens, quo liceat offerre duellum accuſatori injuſto.

Deteſtandum eſſe Articulum ſatis oſtendit obvia ratio, quam à Leſſio adnotatam inſinuavimus, quamque approbavit Amicus: Magis verò oſtendit Auctoritas Alexandri VII. qui Articulum reprobavit inter propoſitiones 45. veros Articuli Auctores inveniſſet Sinnichius ſi voluiſſet: ſed illum maluit Amico obtrudere.

192. Sinnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 460. col. 1. in Vind. cap. 23. pag. 317. ait, ASSEVERARE Amicum Tom. 5. d. 36. ſect. 8. num. 118. *Licere Clerico, vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat.* Quem Amici Articulum reprobaverit Facultas Theologica Lovanienſis.

Amicus loco citato illud non *aſſeveravit*: Affirmaverat, Clerico non licere invaſorem vitæ occidere, quando fugâ poteſt ſibi conſulere; in quo aliter vulgò ſentiunt de ſæculari, cujus honor agitur in illis circumſtantiis.

Mox tamen conſiderans Amicus num. 118. Clerici honorem *non conſiſtere in valore, & dexteritate armis ſe contra hoſtem tuendi, ſed potius in cultu religionis, reliquarumque virtutum Chriſtianarum exercitio*; poſſe autem accidere caſum, in quo periclitetur honor ille Clerici, imò *integræ Religionis*, attulit argumenta quædam, quibus non ASSEVERAVIT, ut Sinnichius temerè affirmat, ſed diſputativè, & inquiſitionis gratiâ, concluſit, ius habere Clericum defendendi honoris ſui, atque *integræ Religionis*, quod vulgò ius defendendi honoris ſui creditur habere privatus homo ſæcularis.

193. Porrò Amicum non ASSEVERASSE illud; ſed merè diſputative concluſiſſe, evidenter oſtendit clauſula, quâ concludit dicta illo num. 118. illa autem ſic habet: *Verum quoniam hæc apud alios ſcripta non legimus, nolumus ita à nobis ſint dicta, ut communi ſententiæ adverſentur*; SED SOLUM DISPUTANDI GRATIA PROPOSITA, *maturo judicio relicto penes prudentem Lectorem.* Fecit tamen Amicus inconſultò, cum hæc ipſa per integram columnam *diſputandi gratiâ propoſuit.*

194. Vitio vertit Amico Sinnichius propoſitionem non *aſſeveratam*, ſed diſputatam: *Licere Clerico* &c. Amico præiverat Petrus à Navarra lib. 2. de Reſt. cap. 3. num. 376. ubi cum dixiſſet, *Ex omnium ſententiâ licere contumelioſum occidere, cum aliud non manet remedium eam injuriam arcendi*, intuliſſetque; *Igitur qui murmuratione, & detractione injuriam, maculamque inferre conatur injuſtè, licebit, ſi aliter infamiam & dedecus fugere non poteſt, occidere*, idque ipſum conatus eſſet probare, ſubjunxit, *Nos verò dubitavimus hactenus, nihil decernimus, doctior judicet.* Agit verò Petrus à Navarra, ut monet num. 371. de honoris defenſione, *qui ex ſpirituali bono reſultat, ſive ex parte intellectus, ut ſapientia, prudentia, ſcientia &c. ſive voluntatis, ut virtu-*

eſſe illicitum, quando juſta cauſa non ſubeſt. Quid habuit Sinnichius, quod objectaret Rainaudo de imitatione Patronorum mendacii, ob diſtinctionem illam juſtæ, & non juſtæ cauſæ, neque conveniat in Theologos omnes ob diſtinctionem eamdem?

§. IV.

Quo jure accuſatus à Sinnichio Franciſcus Suarez, quod imperitis ſubvenerit in neceſſitate æquivocandi.

163. SInnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 570. col. 1. & 2. in Vind. cap. 35. pag. 591. Franciſcum Suarez accuſat quod modo ſe indigno ſubvenire ſtuduerit imperito reſtrictionum, *Suadens ut in genere intendat eam reſtrictionem, quæ reapſe congrua ſit, tametſi ipſe eam in ſpecie neſciat* &c. ſarcaſtice hæc exponit.

Non erubeſcet verba ſua Suarez; quæ Sinnichius vocat *tanto viro indigna* lib. 3. cap. 10. num. 4. ſic loquitur: *Quod ſi fortè rudis ſit, & neſciat in particulari amphibologiam concipere, conſilium erit, ut intendat negare, vel affirmare in ſenſu, qui veritatem reipſa contineat. Ad hoc autem neceſſe eſt, ut ſaltem in genere ſciat, & ſibi perſuadeat, alio vero ſenſu poſſe ſe negare &c.* Hanc orationem nemo poteſt aſpernari, præter eum, qui malit videre homines mendaces, & perjuros, vel arcanorum proditores, quam utentes amphibologiâ. Fuit Lovaniſta quidam mihi commendatus hoc nomine, qui cum multum averſaretur amphibologias, premereturque, ut explicaret, quid faciendum Confeſſario, qui, niſi negaret, videretur fateri peccatum auditum in confeſſione, tandem, cum alia via non pateret, reſpondit, ſe potius mentiturum, quam uſurum amphibologiâ: ſed ille quidem nemini placere poteſt.

164. Dixi, neminem poſſe aſpernari orationem illam Suarezii. Nemo enim negare poteſt, aliquando eſſe neceſſitatem utendi amphibologiâ, atque hujus ope eludendi interrogantem: manifeſtum id eſt in Confeſſario interrogato de peccato pœnitentis: manifeſtum in omnibus, quibus commiſſum eſt ſecretum omnino celandum in iis circumſtantiis, in quibus ſi taceant interrogati, aut tergiverſentur, aut eo ſermone utantur, cujus æquivocatio ex verbis ipſis agnoſci queat, fateri videantur, quod fateri non poſſunt ſine gravi crimine. Certum eſt caſum occurrere quotidie. Quid verò faciet Confeſſarius ſic deprehenſus, ut interrogato non occurrat verus ſenſus, quo dicere liceat; *neſcio, vel non audivi*: num voluit Sinnichius fatendum ipſi eſſe, & dicendum; *ſcio*, vel *audivi*? Non puto.

Num

Num voluit eſſe ipſi omnino tacendum? tantumdem hoc erit ac dicere; *ſcio, audivi.* Num voluit utendum quâdam æquivocatione frivolâ ex verbis ipſis agnoſcendâ? pejus hoc erit, quam tacere. Quo ergo ſe vertet Confeſſarius? Ratio, inquies, officii, & obligatio tacendi poſtulat, ut dicat; *neſcio:* conſignificant enim illæ circumſtantiæ; *ita ut liceat dicere.* Sed quid ſi Confeſſarius ſimplex, vel turbatus non recordetur determinatum illum ſenſum. Profectò ipſi ſuadendum eſt, quod ſuadet Franciſcus Suarez, *ut intendat negare, vel affirmare in ſenſu, qui veritatem reipsâ contineat;* niſi malis ipſum vel mentiri, aut pejerare, vel violare ſigillum Confeſſionis.

165. At Suarez locutus eſt etiam de amphibologiâ per reſtrictionem internam.

Certiſſimum eſt nihil hoc referre ad praxim, de quâ agitur, ut pluribus oſtendere licebit in ſecunda parte ſtateræ, & vel ex eo patet; quod ad licitum uſum reſtrictionum mentalium omnes earum Patroni, & inprimis Suarez requirant eam cauſam, quæ reipsâ continet illas circumſtantias, quas vocant conſignificantes, qui opinionem illorum damnant. Adde quod ſignanter doceat Suarez ibidem cap. 11. num. 5. & 6. juramentum cum reſtrictione internâ ſine juſtâ causâ continere *irreligioſitatem*, quæ ſit *peccatum grave*: ait tamen *rem eſſe dubiam* an ſit perjurium propendetque, ut credat non eſſe (de quo ipſo inurbanè irridetur à Sinnichio, tamquam hoc *addiderit pro conſolatione mentaliter reſtringentium*) manifeſtum eſt ergo, totam illius doctrinam de reſtrictione ad praxim ipſam nihil diverſitatis inducere, & ſolâ ſpeculatione differre à doctrinâ contrariâ.

Debuiſſet hæc conſiderare Doctor Sinnichius. Sed ille ſatis habuit erexiſſe ſeſe, & dixiſſe; *Verbo profectò tanto viro indigna ſunt iſta:* nihil diſtinguens, nihil afferens, cur ſint indigna: ſed irridens *tantum*, ut fatetur, *virum.*

§. V.

Gemina Sinnichii impoſtura propulſatur à doctrinâ Tamburini de juramento æquivoco.

166. SInnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 567. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 582. graviter accuſat Tamburinum, quod dixerit loco citato, *Certum eſſe, jurare ſine animo jurandi licitum eſſe cum causâ.* Contrarium probat multis, etiam auctoritate Scholaſticorum: atque *Ecce*, inquit,

quemadmodum extra omne dubium habuerunt vetuſtiores illi Scholaſtici, juramenta ſine jurandi animo illicitè proferri, cum tamen Tamburinus certum velit eſſe oppoſitum dummodo ſcilicet cauſa ſubſit.

Ego cum bonâ veniâ dico, hanc eſſe impoſturam inſignem. Hoc ut appareat, exhibeamus verba Tamburini omnia, quæ ad rem faciunt, citato §.2. Titulum hunc ponit, *De juramento promiſſorio doloſo.* Mox verò ſic: *Tribus modis poteſt in illo dolus intercedere. Primo ſi juretur ſine animo implendi. Secundo ſi ſine animo jurandi. Tertio ſi ſine animo ſe obligandi, ſeu* (quod in idem videtur recidere) *ſine animo promittendi.* Mox de *primo modo*, ſic pronuntiat. *Certum eſt primo, jurare ſine animo implendi eſſe mortale*; tum verò ad 2. modum ſic procedit: *Certum eſt ſecundò, jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis*, VEL JURARE VERBIS ÆQUIVOCIS, *non eſſe licitum ſine causâ, licitum eſſe cum cauſa &c.* poſtea pergit ad *Tertium modum.*

167. Ex his manifeſtum fit, quod Tamburinus non dixerit ſimpliciter aliquando eſſe licitum *jurare ſine animo jurandi* ſed tantum *jurare ſine animo jurandi eo ſenſu, quo juramentum accipit audiens.* Manifeſtum hoc fit primo quia Tamburinus, cum in diviſione trium modorum juramenti doloſi promiſſorii poſuiſſet ſecundum modum, quo *juratur ſine animo jurandi*, mox in Aſſertione hunc *ſecundum modum* ſic explicat, *Iurare ſine animo jurandi*, VEL JURARE VERBIS ÆQUIVOCIS: in quibus verbis poſteriora eſſe explicationem priorum eſt perſpicuum; quia alioqui jam non ſolum aſſignaret tres modos juramenti doloſi, ſed quatuor: profitetur autem, ſe non niſi tres agnoſcere, ut vidimus. Nimis ergo clarum eſt, quod Tamburinus hoc ſolum voluerit, *licere cum causâ jurare verbis æquivocis*, ſive *jurare ſine animo jurandi eo ſenſu, quo juramentum accipit audiens.* Hoc autem meritò Tamburinus vocavit *certum*: eſt enim certum: neque certitudo hæc dependet à veritate ſententiæ faventis reſtrictionibus mentalibus, ut omnes periti intelligunt.

Hinc abit in fumum omnis illa exaggeratio, quâ Doctor Sinnichius conatur iſto loco odioſum facere Tamburinum oratione longiſſimâ. Detectâ impoſturâ hæc omnia aerem feriunt.

168. Sinnichius Saulis Exr. cap. 112. pag. 569. col. 2. in Vind. cap. 35. pag. 589. ſugillare pergit aſſertionem Tamburini, quâ dixerat lib. 3. c. 3. §. 2. num. 1. (hunc locum non citat ibi Sinnichius, intelliges mox, ob quam cauſam, ſed citaverat quinque columnis ante) quâ inquam dixerat Tamburinus *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ.* Quia autem reverà hoc *certum eſſe* videbat Sinnichius, ſi agatur de verbis æquivocis, præſcindendo, an ſint æquivoca ex ſe, aut circumſtantiis, an verò ex ſolâ mentis reſtrictione, omnem lapidem movet, ut videatur Tamburinus affirmaſſe, id certum eſſe, agendo de verbis æquivocis etiam poſteriori modo.

Porrò,

Porrò, inquit, *Tamburinum comprehendiſſe etiam orationem poſteriori illo ſenſu æquivocam, planum eſt ex eo quod cum in titulo inquireret,* An in judiciis æquivocare cum juramento aliis à Reo liceat, *in textu ſubjungit, reſpondeat num. 2.* Teſtis interrogatus à Judice de occulto crimine &c. poteſt jurare ſe rem neſcire intelligendo, ita ut teneatur illi judicio ſubdere.

169. Hic obſerva, Lector, artificium Doctoris Sinnichii: citatâ pag. 569. col. 2. referens Aſſertionem, quâ Tamburinus dixit *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ*, non citat locum, quo id dixit Tamburinus: citaverat quinque columnis ante; ſcilicet lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. ſed ſperabat, opinor, Lectorem jam fore oblitum illius citationis. Jam ergo cupiens probare, Tamburinum id affirmaſſe *certum* etiam de jurante verbis æquivocis per internam reſtrictionem, *planum eſt*, inquit, *ex eo, quod cum in titulo inquireret, an in judiciis æquivocare cum juramento aliis à Reo liceat &c.* in textu deinde faciat mentionem reſtrictionis mentalis. De quo titulo cenſes loqui Sinnichium? An non de eo titulo, ſub quo eſt aſſertio dicens, *Certum eſſe licere jurare verbis æquivocis cum causâ*? Aberras: conſule notam marginalem, ibi enim videbis citari l. 3. cap. 4. §. 2. ſed, inquies, an non & ibi eſt aſſertio dicens *Certum eſſe &c*? Non eſt ibi: locum Aſſertionis citaverat quinque columnis ſuprà: & cavit renovare citationem reſumens aſſertionem pag. 569. alias pag. 589. ut videretur aſſertio contineri ſub titulo §. ſecundi cap. 4. quæ revera continetur ſub titulo §. ſecundi cap. 3. atque ita argumentum videretur habere aliquam ſpeciem. Sed argumentum videamus.

170. Contendit ergo Sinnichius Tamburinum dicentem illo § 2. cap 3. CERTUM ESSE *licere jurare verbis æquivocis cum causâ*, locutum eſſe etiam de *jurante verbis æquivocis* per reſtrictionem internam, quia cum in titulo §. ſecundi cap. 4 poſuiſſet verbum *æquivocare*, poſtea in contextu facit mentionem *æquivocationis* per reſtrictionem internam. At hinc nequidem ſequitur, quòd in titulo §. ſecundi cap. 4. verbum *æquivocare* ſignificet determinate æquivocationem per reſtrictionem internam. Non eſt novum, titulos poni indefinitos, & rem ipſam determinari aſſertionibus ſub titulo: quomodo ergo hinc ſequetur §. 2. cap. 3 (qui §. 2. diſtat à §. 2. cap. 4. triginta, & amplius columnis), quomodo inquam, ſequitur illo §. 2. ubi dicitur CERTUM ESSE *licere jurare verbis æquivocis cum causâ* agi determinatè de jurante verbis æquivocis per reſtrictionem internam? Scatent hæc omnia turbidis, atque inconſultis conatibus in Tamburinum. Nihil dicam amplius. Sciebat Tamburinus *eſſe certum licere jurare verbis æquivocis cum causâ*: hoc ergo unum affirmavit. Sciebat non eſſe certum licere jurare verbis æquivocis per ſolam reſtrictionem internam: hoc ergo non affirmavit: ſed optavit Sinnichius, ut affirmaſſe videretur.

171. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 567. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 582. Tamburinum ſugillat, quod dixerit l. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. *Certum eſſe jurare ſine animo jurandi ſive res ſit levis, ſive gravis, vel jurare verbis æquivocis, non eſſe licitum ſine causâ.* Quid verò in his reprehendit? hoc unum, quod Tamburinus affirmaverit quamdam rem, quæ eſt certa; Ne de nihilo videatur reprehendiſſe, probat operoſe illam rem eſſe certam. Tum verò concludit; *Quid ergo magni eſt quod dicat* &c.? Neſcio, quomodo ſe debuerit gerere Tamburinus, ut placeret Sinnichio: ſi affirmare videatur incerta, aut falſa, vapulat; ſi affirmet vera, & certa, etiam vapulat ob hoc ipſum.

§. VI.

Impoſturæ & Cavillationes Sinnichii ad doctrinam Tamburini, & Hurtadi de inducente ad juramentum.

172. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 572. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 595. graviter perſtringit *Tamburini*, ut loquitur, *exoticam plane, ac ipſo auditu horrendam laxitatem, quâ cenſet, & prædicat, licere inducere teſtem ad deponendum juratorie falſum, quod deponens quidem putat eſſe verum, ſed inducens probe ſcit eſſe falſum.*

Tamburinus l. 3. cap. 1. §. 6. num. 3. quem locum citat Sinnichius, id non *cenſet*, neque *prædicat*, ſed prorſus contrarium: de illo enim inducente ibi ſic prædicat; *Reſpondeo mortaliter peccaturum*, idque ipſum probat iſto numero 3. & rurſus num. 5.

At num. 7. affirmat, conaturque oſtendere, eſſe quamdam diſparitatem inter hunc caſum, & illum, quo quis inducit ebrium ad contumelias &c. & priuſquam dicat eſſe probabilem ſententiam, quæ licitam affirmat inductionem illam ad perjurium, reſtrictiones, & cautiones adhibet, quas vidit ipſe Sinnichius. Fatetur num. 7. & 4. alia obſtare poſſe, quo minus id liceat, juſtitiam ſcilicet &c. Requirit deinde num. 7. *cauſam proportionatam*, ut illud liceat. Poſt omnia, cum dediſſet diſtinctionis quiddam, *hac ſi penetretur*, inquit, *cenſenda eſt impoſterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata ſententia*: etiam Tancredum, & Dianam pro parte iſta citaverat.

173. Evagatur deinde otioſiſſime Sinnichius probans operoſe obligationem impediendi peccatum materiale proximi, adeoque multo magis non inducendi ad tale peccatum. Si tam diligens fuiſſet in veritate indagandâ, quam in colligendis nævis Theologorum, potuiſſet aliquid lucis accipere ab Eminent. Cardinali de Lugo tom. 2. de Juſt. d. 39. ſect. 3. nu. 22. vel ad minuendum *horrorem* opinionis illius, vel ſi ita videretur, ad eam oppug-

Digitized by Google

oppugnandam aliquanto nervoſius. Cardinalem audiamus de opinione illâ differentem: ſpero enim, non fuiſſe illum laxonibus adnumeratum à Sinnichio.

„ Fortaſſe, inquit, magis apparenter poſſet id defendi dicendo, jura-
„ mentum eo caſu, nec formaliter, nec etiam materialiter eſſe malum,
„ quod probari poſſet ex doctrinâ à nobis traditâ; nempe voces, & aſſer-
„ tiones noſtras vocales directè, & immediatè ſignificare ſolum conceptus
„ noſtros ..... Quod idem dicendum eſt, ſi jures: nam immediate addu-
„ cis Deum in Teſtem ſcientiæ, & mentis tuæ; ſicut ſi diceres; ſit Deus
„ teſtis, quod ego puto, Petrum eſſe in foro. Unde videtur fieri, num-
„ quam fieri perjurium etiam materiale, quando aliquis jurat juxta ſuam
„ mentem: quia ſemper eſt verum id, quod immediate, & directe affirmat
„ & jurat &c. Quidquid tamen de hoc ſit, ego non video, cur in prædicto
„ caſu non liceret petere à teſte, non ut juret, rem ita eſſe, ſed ſolum ſe
„ exiſtimare rem ita eſſe; tunc enim procul dubio nec formale, nec mate-
„ riale perjurium conſuleretur, ſed veriſſimum teſtimonium.

Animadvertat Lector, paulo ante monuiſſe Cardinalem, *Quaſtionem ſolum procedere debere, quando teſtimonium teſtis non deſeruit ad uſurpandum aliquid petenti non debitum*, quæ & eſt manifeſta mens Tamburini, ut patet legenti, quæ habet num. 4.

174. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 574. col. 1. in vindiciis cap. 35. pag. 600. cum ex Tamburino l. 3. cap. 2. §. 1. num. 8. retuliſſet verba Hurtadi: *Scholaſticus volens probare curſum, ad quod eget duobus teſtibus, adhibere poſſit duos amicos, qui illum non viderunt intereſſe lectionibus, & ſatis ſibi perſuadent illum interfuiſſe.* AT NON POSSUNT JURARE SE ID VIDISSE, oſtendit diſplicere ſibi additionem iſtam, *at non poſſunt jurare ſe id vidiſſe:* optaſſet ampliorem materiam exercendi partes cenſorias. Quapropter conatur omnino oſtendere *additamentum non videri ſatis conſentaneum regulæ traditæ per Leſſium lib. 2. de Iuſt. cap. 42 dub. 9. num. 48.* Regula hæc eſt. *Quotieſcumque licitum eſt uti oratione ambiguâ, vel tacitâ reſtrictione, licitum etiam eſt uti juramento, ſi neceſſitas vel gravis cauſa poſtulet.*

Mirabilis eſt hic pruritus ad cenſuram: quia adhibendo regulam Leſſii, quod licitum ſit juramentum, quando licita eſt affirmatio, ad ſummum ſequetur, poſſe illos amicos jurare, ſcholaſticum interfuiſſe lectionibus: neque hic eſt opus oratione ambiguâ, aut reſtrictione: Tamburinus enim omnino ſupponit, habere illos aliunde *moralem certitudinem*, ut patebit locum adeunti: non autem ſequetur ex regulâ Leſſii, poſſe illos jurare, *ſe id vidiſſe*: uti neque verbis Hurtadi dicitur poſſe illos affirmare, *ſe id vidiſſe.*

175. At, inquit Sinnichius, cur ergo non dixerunt Hurtadus, & Tamburinus

burinus ſic potius, *At non poſſunt* TESTIRI *ſe id vidiſſe*? Cur etiam mutilam doctrinam tradiderunt, non decidentes, an poſſent jurare Scholaſticum interfuiſſe lectionibus? Valde ridicula hæc ſunt. Legatur Tamburinus: agit toto iſto §. de teſtimoniis juratis: quare approbans doctrinam Hurtadi, plane affirmat amicos illos poſſe jurare Scholaſticum interfuiſſe lectionibus: unde manifeſtum eſt nativam ſuam vim habere particulam adverſativam, cum hæc adduntur; *At non poſſunt jurare ſe id vidiſſe.* Mirum eſt Doctorem Sinnichium his ſe occupaſſe.

§. VII.

Capitalis accuſatio Miſſionariorum Chinenſium de licita ſimulatione idololatriæ calumnia eſt capitalis.

176. SInnichius Saulis Exr. cap. 103. pag. 409. 410. in vind. cap. 16. pag. 196. non ſe abſtinuit, quin refricaret Lectori memoriam celebris fabulæ de controverſiâ inter Chinenſes Euangelii Miſſionarios, an more gentis liceat in iſto regno Chriſtianis externam adhibere adorationem Idolo, *clam directâ intentione ad Deum, ut repreſentatum in imagine penes ipſos, vel ſecus idolum latente.* Decretum refert S. Congregationis de propagandâ fide, quo id declaratum eſt Anno 1645. nequaquam licere. Ne verò eſſet dubium Lectori, quinam deſignarentur impiæ adorationis Doctores, Thomam Hurtadum inducit, qui hujus doctrinæ originem repetit ex doctrinâ Leſſii de reſtrictionibus.

Non eſt mihi animus vindicare hoc locó famam, honoremque illis Athletis, fœdiſſime cruentatis à Thomâ Hurtado. Egit hoc tam luculente in ſua nuper Diatriba à num. 414. P. Ægidius Eſtrix, ut mihi quidem ſit perſuaſum de calumniâ. Adeat etiam, qui eſt curioſus Danielis Bartoli Hiſt. Aſiat. p. 3. lib. 1. ubi valde exquiſitâ expoſitione rituum Sinenſium, atque opinionum iſtius populi de iſtis ritibus, & Magiſtro ſuo Confucio, dilucidatur controverſia illa.

177. Ego unum adnotabo. Niſi Sinnichio fuiſſet propoſitum conflare invidiam Jeſuitis, non fuiſſet illi difficilius invenire decretum generalis Inquiſitionis Romanæ Anni 1656. quam decretum Congregationis de Propagandâ Fide Anni 1645. Illud Jeſuitis favens jam Annis ſex lucem viderat, extabatque apud Theophilum Rainaudum lib. de Miſſis Sinenſibus cum primum edidit Saulem ſuum Sinnichius: neque erat ipſi ignotus Rainaudus: hunc enim Auctorem ubi eſt occaſio, laceſſit ſtrenue; ut docebit Judex Saulis Exr. Verbo *Theophilus Rainaudus.* Sed magis amabat Thomam Hurtadum Rainaudi, & Jeſuitarum hoſtem, Theologum, valde laxum,

laxum, & temerarium, ut oſtendit Eruditiſſimus Dominus Nicolaus du Bois lib. ad 45. Propoſitiones præfat. cap. 10. Apud Rainaudum inveniſſet confutatas turpes calumnias Thomæ Hurtado, quibus ad verbum deſcriptis Saulem ſuum contaminavit pag. 410. & quidem cum ſciret, certe deberet ſcire, opus illud Hurtadi fuiſſe proſcriptum à S. Congregatione die 10. Junij 1659. Didiciſſet item apud Rainaudum ex ipſo decreto generalis Inquiſitionis, Jeſuitas *non fuiſſe auditos*, cum eſt editum decretum Congregationis de Propagandâ fide: Didiciſſet alium eos agnoviſſe ſtatum controverſiæ, quam erat propoſitus à Fratre Joanne Baptiſta Morales. Didiciſſet denique, ad puncta ſingula ab ipſis propoſita fuiſſe reſponſum in favorem ipſorum à S. Congregatione Gen. Inquiſitionis, coram Alexandro VII. habita. Atque horum ſaltem mentio erat facienda Sinnichio ea narranti, quæ ſciebat accipienda ad invidiam, & infamiam Jeſuitarum. Decretum illud generalis Inquiſitionis ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ, ſi quis cupit ſibi oſtendi, adire poteſt Patrem Ægidium Eſtrix: affirmat enim in Diatribâ num. 418. illud apud ſe extare. Promittit quoque ſe exhibiturum teſtimonium Autenticum Dominici Mariæ Sarpetri ex Ordine Prædicatorum Miſſionarii Chinenſis, ex quo diſcet, qui volet, non impoſuiſſe Jeſuitas S. Congregationi, cum expoſuere controverſiam, quæ fuerat in Regno illo. Diſcet quoque ex Epiſtolâ ejuſdem Sarpetri ad S. Congregationem, cujus fragmentum eſt in Diatriba, motum fuiſſe ipſum ad dandum teſtimonium illud, ut occurreret calumniis HÆRETICORUM JANSENISTARUM: hoc enim diſerte ibi declarat. Sed Sinnichius parum fuit ſolicitus, ut veritatem hoc loco inquireret, vel ſi inquiſiverat, ut explicaret Lectori: quod eſt valde contra charitatem.

178. Nullâ charitatis læſione poterat reprehendere doctrinam Adriani, de modo ſimulandi licitè idololatriam. Notum omnibus, palamque extantem locum in Tract. de Sacram. Baptiſmi quæſt. 1. pag. 5. col. 2. verbis ſuis expreſſum referam infrà, ubi de morali Theologiâ Doctorum Lovanienſium.

CAPVT XIII.

De Furto, & Reſtitutione.

§ I.

Iniquè accuſatus à Sinnichio Baunius circa doctrinam de parvis furtis, & Reſtitutione.

179. SInnichius Saulis Exr. cap. 116. pag. 525. col. 2. in Vind cap. 29. pag. 481. Stephanum Baunium in Summâ peccator. edit. 6. pag. 220. Auctorem adſcribit huic Articulo. *Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

Baunii ſumma editionis 6. non eſt apud me: ſed puto non eſſe diverſam à ſummâ editionis 5. in quâ pag. 220. eâ ipsâ, quam citat Sinnichius, quæſtio illa tractatur. Sed ibi Baunius in re diſputatiſſimâ inter Theologos ad ſummum hoc unum definit, quod ultimum furtum minutum, quo completur grave damnum, non ſit peccatum mortale. Mox verò inde ait quoſdam conficere, non eſſe obligationem gravem reſtituendi ſummam minutis furtis acceptam, eorumque argumentationem refert, ipſe verò nihil decernit.

180. Imò hoc ipſum, quod dixerat, poſtremum furtum minutum non eſſe peccatum mortale; adeoque nullo ex illis furtis peccari graviter, mox pag. 221. & 222. ſic modificat, ut etiam ſeverior, quam vulgò Theologi, videri poſſit in quæſtione illâ. Primò namque intervallum temporis inter ſingula furta requirit *notabile*. Secundò quærens quot dierum, aut ſeptimanarum debeat eſſe illud intervallum, reſpondet Thomam Sanchez nolle minus temporis quam unius anni: Filliucium verò, & Dianam ſtatuere *magnum intervallum, ut non continuetur materia unius furti cum alio, eſſe menſem, vel dimidium*: Atque ita quæſtionem abrumpit. Non poteſt ergo niſi injuriâ Baunius ſimpliciter dici Auctor articuli, quem memorat Sinnichius; præcipuè ſi attendas, quam generalis ſit.

181. Nihil ibi affirmavit Baunius, quod non multo ante, multoque amplius affirmavit gravis Doctor Navarrus in Sum. cap. 17. num. 139. *Qui tamen*, inquit, *minutatim uno die quid exiguum, puta quadrantem, ſeu quatrinum, & aliis multis diebus ſingulis tantundem caperent, nulla vice peccarent, niſi venialiter; etiamſi totaliter accepta ad notabilem quantitatem creſcerent.* Cum-

que

que affirmaſſet nihilominus *reſtituenda videri illa*, hoc ipſum mox ſic limitat, ut dicat *procedere in eo, qui continuato tempore ſine magnis intervallis illam notabilem quantitatem conflaret.* Non eſt eo uſque progreſſus Baunius.

Multò etiam liberius pronuntiavit Berarducius in Sum.p.1.cap.1.n.28. *Si actus furandi procedunt à voluntate intercisâ ..... tunc quantumcumque reiteret hujuſmodi furta ſic conditionata, ſemper eſt veniale, nec tenetur de neceſſitate ſalutis reſtituere illa.* Legit hæc Sinnichius, ſi Baunium legit: hic enim ad verbum deſcripta retulit nominato auctore. citavit quoque Baunius Navarrum, & tamen Auctorem articuli deſignare Sinnichio placuit Baunium potiſſimum, cujus doctrina multis ex capitibus diſtat ab articulo longiſſimè, ut jam patuit; præcipue ſi attendas ejus generalitatem, nullâ diſtinctione intervallorum temporis inter ſingula furta &c.

182. Sinnichius Saulis Exr. cap.116. pag. 527. col.2. in Vind. cap. 29. pag 485. Baunio in Summâ peccat. pag. 213. adſcribit hunc Articulum. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſurripere ad compenſandam ſuam operam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Baunius iſto loco id non affirmat licere famulis, niſi in duobus caſibus ſingularibus; atque hoc ipſum tribus adhibitis reſtrictionibus: adeat, cui id lubet, Baunium, & miretur Sinnichii præcipitem citationem. Eodem jure inter laxitates referre potuiſſet eorum omnium doctrinam, qui cenſent occultâ acceptione uti licere, ubi quod tuum eſt, vel tibi deberi conſtat, non potes viâ juris petere ſine incommodo magno. Sapientius Guilielmus Herinx tract.de Juſtit. d.8. q.7. num.118. notari jubet, *famulos, & ſimiles plerumque de inſufficientiâ ſtipendii conqueri ſine ſufficienti ad compenſationem fundamento.* Sed de hoc neque Baunio dubium eſſe potuit.

183. Sinnichius Saulis Exr. cap. 116. pag. 527. in Vind. cap.29. pag. 486. Baunium in Summâ pag.307. & 108. facit Auctorem hujus articuli; *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.*

Articulus eſt univerſalis de quocumque *inducente.* Inducere autem, ut D. Thomas explicat 2.2. q.62. a.7. eſt *movere præcipiendo, conſulendo &c.* Baunius autem iſto loco hoc unum affirmat, non obligari ad reſtitutionem, qui precibus induxit, nullam imponendo obligationem, præcipiendo, comminando &c. ponitque eum, qui rogatur ut malefaciat, ſuâ ſolius voluntate malefacere: *C'eſt ſa volonté qui luy porte, rien ne l'y oblige, que la bonté, que la douceur, & facilite de ſon eſprit.* Non ergo debuit nullâ reſtrictione, aut moderatione auctor deſignari illius articuli.

§. II.

Non rectè accuſatus à Sinnichio Eſcobarius circa doctrinam de cedente foro, & retinente ſibi neceſſaria.

184. SInnichius Saulis Exr. cap.116. pag.526. col. 1. in Vind. cap.29. pag.481. Eſcobarium deſignat Auctorem hujus Articuli: *Qui ceſſit foro, poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget, ad ſuſtentationem familiæ, ne indecorè vivat; licet debita, pro quibus cedit, ſint ex injuſtitiâ, & notorio delicto contracta.*

Eſcobarius Theol. Mor. Tract.3. Exam.2. cap.6. num.163 loco à Sinnichio citato, partem articuli, quæ eſt invidioſa de eo, qui debita contraxit *ex injuſtitiâ, & notorio delicto*, ſic mitigat; *Quamvis tunc non poßit tantum, quantum alias retinere.*

Ad hæc, Eſcobarius profitetur iſto loco, ſe id docere, quod Leſſius docuerat. Leſſius verò lib.2. cap.16. dub.3. num.45. quod attinet ad retinenda neceſſaria, *ut* NON INDECORE VIVAT, is qui eſt debitor ex delicto, id ſolum pronuntiat de iis bonis, quæ poſt ceſſionem acquiruntur: de quibus ſolis etiam ipſe Eſcobarius non obſcurè oſtendit ſe loqui: agit enim de eo, *qui ceßit bonis, & poſtea ad pinguiorem fortunam accedit.* Rurſus Leſſius ſolum docet, id ei licere indulgentiâ legum civilium: adeoque non affirmat licere, ſicubi leges illæ vigorem non tenent: eadem ergo fuit mens Eſcobarii: adeoque non unâ ratione negabit Articulum ad ſe pertinere.

185. Nihil erat cur Eſcobario magis iraſceretur Sinnichius, quam aliis non paucis, quibus ille conſenſit. de illis Auctoribus conſulatur Bonacina de Reſtitut. d. 1. quæſt. ult. p. 1. num. 37. Diana p.7. tract. 8. reſolut. 4.

§. III.

Falsò accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de furto in gravi neceßitate.

186. SInnichius Saulis Exreg. cap.116. pag.526. col.1. in Vind. cap. 29. pag.482. Tamburino lib.8. tract.4. cap.1. §.9. num.8. in fine aſſignat hunc Articulum; *Permiſſum eſt furari non ſolum in extremâ, ſed etiam in gravi neceßitate.*

Tamburinus ibi articulum non tradit: hoc docet, *probabile eſſe* oedentem.

Digitized by Google

tem bonis *alimenta, quibus ſecundum ſuum ſtatum parcè vivat, in foro conſcientia poſſe retinere*; quæ eſt permultorum ſententia. mox verò Tamburinus probabilitatem illius ſententiæ ſuadet his verbis; *Siquidem ad propria alimenta quilibet jus habet, cum is, qui iis caret, ſit in gravi neceſſitate conſtitutus, in quâ etiam aliena poſſe ſurripi, nedum propria occultare, communis jam nunc ſententia eſt.* Non dicit, *permiſſum eſſe furari*; quod habet ſtolidus Articulus: nequidem dicit, *permiſſum eſſe ſurripere*; ſed probabilem eſſe ſententiam cedentem bonis, poſſe retinere alimenta, cum ſit in neceſſitate gravi: tum verò ne res mira videatur affirmata, adnotat, communem eſſe ſententiam, licere etiam ſurripere in illa neceſſitate; quod meritò cenſet eſſe plus, quam non reddere, ſeu retinere. Fuit ergo etiam hoc loco præceps Sinnichius.

187. Sed & ſcire poterat id, quod affingit Tamburino, docuiſſe pridem graviſſimum ſcriptorem S. Palatii Magiſtrum Sylveſtrum Prieratem in Sum. v. *furtum* q. 5. his verbis. *Quinto quæritur utrum furtum committat, & mortaliter peccet, qui ex neceſſitate furatur? . . . . . . Si neceſſitas ſit modica ſecundum Dir. non excuſatur; ſcilicet à toto;* ETSI A TANTO; *ſed tenetur reſtituere, vel tribus hebdomadibus jejunare.* Et paulò infrà, *Sed quamvis non ſit in neceſſitate extremâ, excuſari tamen poteſt à toto furtive ſubripiendo; quando ſcilicet ille ſic abundat, & iſte ſic neceſſitatur, quod de præcepto ſibi ſubvenire tenetur.* Idem verbis ferè totidem tradidit Angelus v. furtum num. 37. diſertiſſime itidem Navarrus in Sum. cap. 17. num. 5. loquens de neceſſitate adeo gravi, ut judicio viri prudentis ad hoc ſufficiat, & Petrus à Navarra de reſtit. l. 3. cap. 1. num. 372. & ſequentibus, citans Medinam, aliosque. Tradidit quoque Barboſa in cap. ſi quis de Furtis. Lovanienſes Doctores Wiggerum, atque Malderum audiemus infra. Sed præ his omnibus Sinnichio plagis dignus eſt viſus Tamburinus; quia hoc unum dixit, *communem eſſe ſententiam in gravi neceſſitate aliena poſſe ſurripi.*

188. Non tulit hoc ægre in Tamburino Franc. Bonæ Spei, qui Tract. de Charitate diſp. 5. dub. 3. num. 39. ad quæſtionem *An pauper divitis bona poſſit clam ſurripere, ut ſibi in extremâ, aut* GRAVI *neceſſitate ſuccurrat*, Reſpondet, *poſſe clam ſurripere, quando dominus obligatur dare*; intellige ſi rogatus dare nolit. Hoc idem cenſet, *non improbabiliter aſſeri* de neceſſitate valde gravi Guil. Herinx tract. de Virtut. d. 12. q. 3. num. 61. Quando hoc idem docuiſſet Tamburinus; adjutus deinde ſuffragio talium Doctorum, contemnere poterat Cenſuras Sinnichii.

189. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 116. pag. 527. col. 1. in Vind. cap. 29. pag. 484. recoquens illud Tamburini dicentis, communem jam nunc eſſe ſententiam, in gravi neceſſitate aliena poſſe ſurripi, *Imò verò*, inquit, *nec ante hæc noviſſima tempora fuerat ſimpliciter ſententia; præſertim ſi Navarro*

 credimus.

credimus, affirmanti *convenire inter omnes peccare eos, qui extra neceſſitatem extremam res alterius accipiunt.* Ignoſcerem, ſi meram retuliſſet affirmationem Navarri: ſed & affirmat ipſe confidenter, ut vides. Oportet ergo neque Sylveſtrum, neque Angelum, neque, quos memoravi alios *his noviſsimis temporibus* ſuperiores, in numero Doctorum fuiſſe judicio Sinnichii: qui eorum pronuntiata pro ſententiis non habuerit.

CAPUT XIV.

De Homicidio.

§. I.

Inconſideratè à Sinnichio accuſatus Amicus circa doctrinam de occiſione accuſatoris, detractoris &c.

190. Sinnichius Saulis Exr. cap.109. pag.451. col.2 in Vind. cap.22. pag.294. Franciſcum Amicum indigitat Auctorem hujus Articuli: *Licitum eſt occidere calumnioſum actorem, teſtes, & injuſtum Judicem, ad ſervandam vitam, honores, vel res familiares.* Adire jubet Sinnichius Amici Tom.5.d.56.n.75.& 131. edit. Duacenſis Anni 1642.

Amicus illo numero 75. Articulum abſolutè non docet: approbat rationem Leſſii dicentis, *in praxi, ob multa incommoda inde ſequi nata, non eſſe admittendum*, quod habet Articulus. Addit tamen, ratione illâ ſolum probari, *Non poſſe talem invaſorem occidi, quando ex tali occiſione timeretur publicum aliquod ſcandalum*, ſeu incommoda illa, de quibus Leſſius. *Ceterum*, inquit, *ſi fieri poſſet abſque ſcandalo, illicita non eſſet; quod ſolum contendunt contrariæ ſententiæ auctores.* Non affirmat, *fieri poſſe abſque ſcandalo*, ſeu abſque *incommodis inde ſequi natis*; ſed, *ſi fieri poſſet*, non fore illicitam occiſionem.

Amicus ibidem num.131. quo & Lectorem mittit Sinnichius, nec verbum habet, quo oſtendat ſermonem ſibi eſſe de Actore, teſte, judiceve injuſto.

191. Hoc ad minimum videre poterat Sinnichius, non eſſe exploratum, quod Articulum illum Amicus docuiſſet: quid ergo in mentem ipſi venit, ut pro Articulo illo Amicum potiſſimum citaret, cum tot alii ſint, qui Articulum docuerunt valde diſertè? Dabit non paucos, eoſque illuſtres Auctores Erud D. Nicolaus du Bois lib.ad 45. Propoſitiones à n.75. non multum ab Articulo aberrat ipſe Sinnichio æſtimatiſſimus Sylvius 2.2.

q.41.

q. 41. a. 2. caſum admittens, quo liceat offerre duellum accuſatori injuſto.

Deteſtandum eſſe Articulum ſatis oſtendit obvia ratio, quam à Leſſio adnotatam inſinuavimus, quamque approbavit Amicus: Magis verò oſtendit Auctoritas Alexandri VII. qui Articulum reprobavit inter propoſitiones 45. veros Articuli Auctores inveniſſet Sinnichius ſi voluiſſet: ſed illum maluit Amico obtrudere.

192. Sinnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 460. col. 1. in Vind. cap. 23. pag. 317. ait, ASSEVERARE Amicum Tom. 5. d. 36. ſect. 8. num. 118. *Licere Clerico, vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat.* Quem Amici Articulum reprobaverit Facultas Theologica Lovanienſis.

Amicus loco citato illud non *aſſeveravit*: Affirmaverat, Clerico non licere invaſorem vitæ occidere, quando fugâ poteſt ſibi conſulere; in quo aliter vulgò ſentiunt de ſæculari, cujus honor agitur in illis circumſtantiis.

Mox tamen conſiderans Amicus num. 118. Clerici honorem *non conſiſtere in valore, & dexteritate armis ſe contra hoſtem tuendi, ſed potius in cultu religionis, reliquarumque virtutum Chriſtianarum exercitio*; poſſe autem accidere caſum, in quo periclitetur honor ille Clerici, imò *integra Religionis*, attulit argumenta quædam, quibus non ASSEVERAVIT, ut Sinnichius temerè affirmat, ſed diſputativè, & inquiſitionis gratiâ, concluſit, ius habere Clericum defendendi honoris ſui, atque *integræ Religionis*, quod vulgò ius defendendi honoris ſui creditur habere privatus homo ſæcularis.

193. Porrò Amicum non ASSEVERASSE illud; ſed merè diſputative concluſiſſe, evidenter oſtendit clauſula, quâ concludit dicta illo num. 118. illa autem ſic habet: *Verum quoniam hæc apud alios ſcripta non legimus, nolumus ita à nobis ſint dicta, ut communi ſententiæ adverſentur;* SED SOLUM DISPUTANDI GRATIA PROPOSITA, *maturo judicio relicto penes prudentem Lectorem.* Fecit tamen Amicus inconſultò, cum hæc ipſa per integram columnam *diſputandi gratiâ propoſuit.*

194. Vitio vertit Amico Sinnichius propoſitionem non *aſſeveratam*, ſed diſputatam: *Licere Clerico* &c. Amico præiverat Petrus à Navarra lib. 2. de Reſt. cap. 3. num. 376. ubi cum dixiſſet, *Ex omnium ſententiâ licere contumelioſum occidere, cum aliud non manet remedium eam injuriam arcendi,* intuliſſetque; *Igitur qui murmuratione, & detractione injuriam, maculamque inferre conatur injuſtê, licebit, ſi aliter infamiam & dedecus fugere non poteſt, occidere*, idque ipſum conatus eſſet probare, ſubjunxit, *Nos verò dubitavimus hactenus, nihil decernimus, doctior judicet.* Agit verò Petrus à Navarra, ut monet num. 371. de honoris defenſione, *qui ex ſpirituali bono reſultat, ſive ex parte intellectus, ut ſapientia, prudentia, ſcientia &c. ſive voluntatis, ut virtu-*

tes.

Digitized by Google

ris. De ejuſdem honoris defenſione agit Amicus. Agit quoque Petrus à Navarra de Clericis, ut patet ex iis quæ habet num. 391.

195. Non eſt imitatus Amicus eos Auctores, qui memoratam propoſitionem non merè diſputativè, ſed aſſertive dederunt.

Sayrus in Theſauro l.6. cap.17. num. 23. poſtquam conſtituiſſet honorem primi generis, *qui ex ſpirituali bono reſultat,* iiſdem verbis, quibus Petrus à Navarra, mox loquens etiam de Clericis, ut patet ex iis, quæ num. præced. in fine dixerat, ſic reſolvit: *Pro tuendo honore primi generis, cum aliter eum tueri nequeat, quam occidendo, aut mutilando; nec peccat, nec irregularis erit.*

196. Valde Clarè, idem docuit Michael Zanardus 1. 2. Director. de Homicidio cap. 2. concl. 8. videatur etiam Leander à SS. Sacramento Tom. 5. d. 12. q. 30. Item Joannes Martinez de Prado Tom. 2. Theol. Mor. cap. 20. quæſt. 4. num. 24.

197. Nolo his immorari: ne quis malus interpretetur, auctoritatem eſſe quæſitam propoſitioni 17. ex 45 damnatis ab Alexandro VII. Deteſtor propoſitionem, quam neque Amicus aſſertivè docuit, neque Jeſuitarum ullus: ſed Sinnichius Amico tribuit abſolutè doctrinam, quæ non eſt abſolutè ipſius, cum eſſent alii ad manum, quibus tribui verè poterat.

§. II.

Quo jure accuſatus à Sinnichio Amicus circa doctrinam de occiſione ob defenſionem juris ad rem necdum poſſeſſam.

198. Sinnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 460. col. 1. in Vind. cap. 23. pag. 317. atrociter laceſſit Amicum, quod tom. 5. d. 36. ſect. 8. num. 131. docuerit, *Non ſolum licitum eſſe defendere, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, quæque nos poſſeſſuros ſperamus &c.* Hanc doctrinam Sinnichius ibidem col. 2. vocat *pernicioſam, ac planè ſanguinariam doctrinam*, ac proinde proſcriptam à Scholâ Theologicâ Lovanienſi.

Amicus loco citato num. 126. refert, approbatque ſententiam communiorem Theologorum; qui cenſent, licere occidere invaſorem non ſolum vitæ, ſed etiam facultatum; ſed eam ita reſtrictam, ut defenſio ſit pro re notabilis momenti, vel ad ſuæ, ſuorumque vitæ neceſſariam ſuſtentationem, ut etiam non ſit alius modus defendendi facultates ſuas &c.

Ex hâc ſententiâ communiori inter alia Corollaria infert Amicus num. 131. licitum eſſe defendere *etiam ad quæ jus inchoatum habemus.* Ponit verò hæc exempla: *Licitum erit tam Hæredi, quam Legatario contra injuſtè impedientem.*

dientem, ut vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe defendere &c. Notandum verò eſt in hocce Corollario tertio, Amicum non exprimere, quod liceat ſe defendere cum alterius occiſione, quod expreſſerat in Corollario primo, & ſecundo; quod mihi argumento eſt, non tantam defenſionem juris ipſum voluiſſe permittere, quantam rei poſſeſſæ: neque contrarium convincit illatio; ut ſi ex eo, quod liceat occidere ad defenſionem mille aureorum, inferam, licere uti defenſione contra invaſorem unius ſolidi, ſicuti enim ſolidus ſuâ vilitate facit, ut intelligam illationem de defenſione proportionatâ, ſic & jus, ſeu ſpes tanto vilior, quam res, ſaltem judicio Sinnichii.

199. Sed ego vellem ſcire, quid diſplicuerit Sinnichio in hâc doctrinâ Amici, an Aſſertio communis; an Corollarium, quod ex illâ deduxit? Putò, non diſplicuiſſe præcipuè, & ſpecialiter Corollarium; ſed Aſſertionem communem.

Moveor ad hoc putandum primò, quia Corollarium ſi intelligatur de certo jure ad rem momenti proportionati, evidenter ſequitur ex Aſſertione illâ communi: ſi enim liceat defendere, quæ poſſidemus, quæ cauſa eſſe poteſt, cur non liceat defendere jus ad poſſidendum, quod ſæpe eſt majoris momenti, quam res aliqua poſſeſſa? Exempli causâ: ſi liceat defendere ſummam florenorum centum poſſeſſam; cur non licebit defendere jus certum ad mille florenos, vel decem millia florenorum, quæ mihi certò debentur titulo hæreditatis, aut legati? Hoc jus eſt pluris æſtimabile, quam centum floreni poſſeſſi.

200. Moveor 2. quia Sinnichius contra Corollarium illud Amici nullum affert argumentum; ſed tantum contra Aſſertionem communem. Argumentum ſcilicet affert unicum Saulis Exr. pag. 461. col. 1. in Vind. pag. 319. *Aſſertio derogat juri gentium, quo inſtituta ſunt publica Tribunalia, ne quiſquam ſibi ipſi uſurpet ultionem privatam, reclamante lege*; aliquid legis profert ex Codice Juſtiniani: aliquid etiam ex declamationibus Quintiliani eodem pertinentia.

Videtur ergo locus poſtulare, ut eos Doctores citem, qui docuerunt, licere non ſolum vitam, ſed & facultates defendere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ; quod ubique ſervari jubet Amicus. Hoc autem mihi non lubet, neque Lectori eſſet gratum: nullus eſt enim, qui neſciat, illam eſſe Theologorum longè communiorem doctrinam, imo communiſſimam, & fere omnium. Sed Doctor Sinnichius interea Amico potiſſimum exprobrare non dubitat *pernicioſam, ac plane ſanguinariam doctrinam*, quæ re ipsâ eſt omnium fere Theologorum.

201. Non diſſimulabo tamen diſplicere mihi Amicum iſto loco: Primò quia ſi Corollarium nolebat intelligi de defenſione per occiſio-

nem, debebat id clarius exprimere. Secundò, quia in iſtâ materiâ debebat ſolicitè explicare, loqui ſe de jure omnino certo, & explorato, atque ad rem momenti proportionati, cum certum ſit ceteris paribus, jus ad rem non eſſe tanti momenti, quanti rem ipſam.

§. III.

Minimè ſyncerè accuſati à Sinnichio Molina, & Tamburinus circa doctrinam de occiſione ob valorem unius aurei.

202. SInnichius Saulis Exr. cap. 109. pag. 451. col. 2. in Vind. cap. 22. pag. 295. Molinam tom. 4. tract. 3. diſt. 16. num. 7. auctorem facit hujus Articuli, *Neque ad culpam neque ad pœnam homicidii condemnandus eſt occidens eum, qui injuſtè aggreditur uſurpare rem, quæ eſt valoris unius aurei, vel minoris.*

Verba Molinæ iſto loco hæc ſunt; *Quando autem quis injuſtè aggrederetur uſurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris*, RESISTENTE DOMINO, AUT CUSTODE ILLIUS, *certè neque ad culpam, neque ad pœnam* AUDEREM CONDEMNARE, *qui, illam defendendo, interficeret, cum moderamine inculpatæ tutelæ, injuſtum aggreſſorem.* Multum hæc ſunt diverſa ab illo Articulo; quia, *non auderem condemnare*, non eſt idem, quod; *Non eſt condemnandus.* Deinde Articulum univerſalem Molina reſtringit notabiliter illis verbis, *reſiſtente Domino, aut cuſtode illius*: proximè nimirum ante ad eam quæſtionem, quâ quæritur, *an furem fugientem cum re alienâ liceat interficere*, hoc unum reſpondet; QUANDO RES ESSET MAGNI VALORIS, *exiguaque ſpes illam recuperandi affirmat Sotus, fas in eo eventu eſſe, illum interficere: neque id auderem condemnare; modo prius voce admoneretur, niſi rem relinquat, eſſe interficiendum: ſemper tamen eſt conſulendum, ne proximus in eo eventu interficiatur.* Reſtringit itidem Molina verbis illis, quæ non habet Articulus, *cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Sed hæc opinor minutiæ ſunt viſæ Sinnichio, cui erat decretum exagitare hoc genus ſcriptorum.

203. Ejuſdem Articuli invidiam afflavit ibidem Sinnichius Tamburino: ſed hic eo, quem ille citat loco L. 5. c. 1. § 2. num. 2. tam longè abeſt ab Articulo, quam Molina: expoſitis enim variis ſententiis, *Profectò*, inquit, *cenſeo debere ex circumſtantiis id expendi: unus enim, vel alter aureus erit magni momenti pro eo inope, cujus integrum patrimonium in eo aureo reſidet. Contra decem, vel viginti erunt exigui ponderis pro Rege, vel valde divite. In ſummâ res . . . . . debet eſſe magni momenti vel ex ſe, vel in ſuâ æſtimatione, vel ex aliquo damno conſequente.* Tum verò conſiderat notabilem circumſtantiam à Molinâ conſideratam, quando reſiſtente Domino res invaditur: hoc verò unum,

affirmet,

affirmat, *non reprobare ſe* Molinæ doctrinam: quia, inquit, *non injuſtus ſolum, verum etiam contumelioſus graviter eſt* (UTI SUPPONI OMNINO DEBET) *contra præſentem dominum is, qui ſic tentat alienum arripere.*

§. IV.

Quanto jure accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de mutilatione.

204. Sinnichius Saul. Exreg. cap.110. pag.469. col.2. in Vind. cap. 23. pag.345. Tamburinum reprehendit, quod l.6.cap.2.§.3. num.4. citato Salonio, Paſqualigo, Tannero probabilem dixerit ſententiam docentium, quod ad ſervandam vocem ſonoram, liceat facere Eunuchos, ſi abſit mortis periculum.

Sciebat Sinnichius, vel inquirere poterat, quinam eſſent illi Theologi, quorum doctrinam vocat probabilem Tamburinus: quid ergo libuit Cenſori laceſſere Tamburinum potiſſimum, qui id non docuit, ſed probabilem dixit eorum ſententiam, qui docuerunt?

Citavit Tamburinus Salonium, atque res vulgo notiſſima ſic illum docuiſſe 2 2. q.65.a.1. controv.2. in fine.

Docuit idem multò magis ex profeſſo citatus item à Tamburino Paſqualigus deciſ.498. docuit quoque in qq. canonicis.

205. Tertium Auctorem Tamburinus (quod Sinnichius adnotare non omiſit) citat Tannerum 2.2. d.4. q.8. dub.5. num.101. Temere citavit. Ecce verba Tanneri iſto loco: „Non deſunt quidem (in quibus Salon) „qui licere putent parentibus, filios ſuos voce, cantuque Eccleſiæ ſer„vituros, & in id liberè conſentientes, intuitu boni publici caſtrare: „*ſed contrarium videtur verius*: non ſolum ob varia animæ pericula, & in„commoda, quæ hinc conſequi ſolent: ſed etiam quia bonum illud tan„ti momenti non eſt &c. quando nec pro ſalute ſpirituali, aut periculo „animæ vitando id licitum eſſe conſtabit infra ex ſacris canonibus.

Salonio, & Paſqualigo jungo Trullenchum in Decalog. lib. 5. cap.3. dub.4. num.4. ſic loquentem: *Poteſt pater virilia amputare filio ex filii conſenſu, ſi vox illius plurimum Eccleſiæ profutura ſperetur, dummodo fiat ſine mortis periculo.* Sentire idem videtur Sayrus in Clavi Regia lib.7. cap.9. num.38. Habebat ergo Sinnichius alibi campum, ubi majori jure exerceret cenſuram.

206. Obiter obſervemus conſequentiam Sinnichii loco citato col. 2. *Licebit igitur*, inquit, *juxta hunc Auctorem caſtrare ſeipſum, vel caſtrari permitte-*

re, propter lucrum temporale, unde quis commodius vivat, tametſi aliter tranſigere vitam minus commodè queat.

Tamburinus nuſquam dicit id licere *propter* merum *lucrum temporale*, multò minus *ad commodius vivendum*. Dicit, probabile eſſe, id licere, *quia juſta videtur eſſe cauſa, non deficere in Rep. imò in Eccleſiâ, hos ſonoros cantatores ad divinas laudes decantandas*. Tum verò præoccupans objectionem petendam à damno individui dicit *Abſciſſionem non ita notabiliter nocere ipſi individuo, ut reſarciri, ſeu compenſari non poſſit cum emolumentis vocis & cum lucro, quod ſperatur ex illâ*. Emolumenta vocis jam recenſuerat diſtincta *à lucro temporali*.

§. V.

Cenſura præcept. Sinnichii ad doctrinam Tamburini de Reo damnato fame, aut veneno.

207. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 110. pag. 466. col. 2. in Vind. cap. 23. pag. 38. Tamburinum reprehendit, quod lib. 6. cap. 2. §. 2. num. 6. docuerit, juſtè damnatum, ut fame pereat, poſſe oblatum cibum reſpuere.

Graviter peccavit Tamburinus illâ doctrinâ, quam Sinnichius ignorabat acceptam eſſe à graviſſimis Auctoribus, etiam antiquis. Docuit illa olim Major teſte Maldero mox citando, docuit Henricus Quodlib. 5. quæſt. 31. docuit Angelus v. *fugere* num. 1. in fine. Hos ſecutus eſt Malderus Lovanienſis Doctor 2. 2. de Juſtit. tract. 5. cap. 1. dub. 19. Leſſius lib. 2. de Juſt. cap. 9. dub. 6. num. 29. Lud. Lopez 1. p. Inſtructorii cap. 64. aliique. Sotus de Juſt. lib. 5. q. 6. a. 4. ait non eſſe improbabile. Neque poſſunt reſpuere doctrinam, qui cenſent condemnato ad venenum, licere illud ſumere.

208. Sinnichius Tamburinum ibidem reprehendit, quod lib. 6. cap. 2. §. 1. num. 5. docuerit, *Reum juſte damnatum licitè venenum, propinante Miniſtro, averso ore ſumere, & deglutire.*

Hanc etiam Sinnichius vocat poſitionem Tamburini: quaſi Tamburino eſſet propria, quam tradiderant graviſſimi Scriptores, Victoria, Relect. de homicidio num. 30. ad argument. 6. Arragonius 2. 2. quæſt. 69. a. 4. Bonacina de Reſtit. in particul. d. 2. q. ultimâ. ſect. 1. puncto 5. num. 3. Corduba l. 1. q. 36. Toletus l. 5. Inſtruct. c. 6. Molanus Lovanienſis Doctor Theol. tract. 2. c. 11. n. 13. aliique.

An, & quam cenſuram mereatur illa doctrina malo ſtatui à moderatioribus, quam à Sinnichio, qui relatâ doctrinâ notari jubet *generalem cenſuram.*

Digitized by Google

ram Lactantii de ſuicidio; *Exſecrabilis prorſus, ac fugienda doctrina.* Dolendum eſt non fuiſſe editam Theologiam Franciſci Bonæ Spei, cum illa ſcripſit Sinnichius: puto equidem non impunè futurum fuiſſe Cenſorem: cauſam intelliget Lector, ſi attenderit, quæ de ſuicidio aliquando licito, atque inprimis Reo juſte ad hoc damnato diſputat ille Theologus tract. de Juſt.d.19.dub.2.n.62. & ſequentibus.

§. VI.

Mirabilis, & inanis ſtrepitus Sinnichii ad doctrinam Tamburini de optante mortem alterius.

209. Sinnichius Saulis Exreg. cap.109. pag.418. col.1. in Vind. cap. 22. pag.286. Tamburino tribuit ſententiam quandam iis verbis, quibus non obſcurè inſinuat, à nullo ſcriptore ſaltem pio eſſe traditam prius. *Aliam præterea,* inquit, *ſententiam tradit idem Auctor, quam neſcio an piæ ullæ aures abſque tinnitu audire poſſint.* Inſinuat igitur, nullum fuiſſe auctorem ſaltem pium illius ſententiæ Atqui ſententiam illam non Tamburini, ſed *probabilem* à Tamburino dictam, tradiderunt multò ante Auctores graviſſimi mox citandi. Sermonem Sinnichii perſequamur.

210. Quærit, inquit, ille (Tamburinus l.5. c.1. §. 3. num.29.) *An poſſit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim eſſet odium execrandum) ſed ut ipſe filius paternâ hæreditate fruatur? An mater poſſit optare mortem filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur &c?*

Tamburinus iſta nominatim non quærit ipſe: ſed hoc *inquirit, an, ſicut inimico licet velle malum punitionis modo dicto, ita univerſim poſſit quis proximo malum ex aliquo motivo deſiderare.* Tum verò; *Solent,* inquit, *afferri exempla, an poſſit Filius mortem patris optare &c.* Sinnichius verò, ut rem totam faceret magis invidioſam Tamburino, ſic eam narrat, ac ſi ipſe nominatim, ac præcipuè quæſtiones illas inſtituiſſet.

Mox reſponſionem Tamburini refert tamquam admiratione dignam hanc ipſam: *Si ſolum deſideres, vel cum gaudio excipias ejuſmodi effectus, hæreditatem, moleſtiæ carentiam, Prælaturam &c. facilis eſt reſponſio: licitè enim hæc optas, vel amplecteris: quia non gaudes de alterius malo; ſed de proprio bono.* Ut jam nunc *inciperent tinnire aures piorum,* omittit Sinnichius ea, quæ his continuò ſubnectit Tamburinus: *Certè non poteſt quis licitè gaudere de fornicatione, de comeſtione carnis, ut facta die vetito &c. nec illa deſiderare, ut tunc fiant, quia gauderet de peccato, illudque deſideraret: tamen poſito, quod hæc cum peccato quis commiſit, poteſt de habitâ prole ſibi complacere, deque viribus refectis, quia non de peccato gaudet, ſed de effectu ſecuto, qui bonus eſt, ita in caſu noſtro.*

Hæc illa ſunt quæ communiſſime docent Theologi: ſed quia à Tamburino tradita, conferre aliquid viſa ſunt Sinnichio ad excitandum, *tinnitum aurium piarum.*

211. Pergit Cenſor ad augendum tinnitum referre etiam hæc Tamburini verba ibidem num. 30. *ſi deſideres ſub conditione, facilis item eſt reſponſio, licite poſſe.* Omittit ea, quæ invidiam omnem abſtergunt: *Si quis enim hunc actum eliciat; ſi meus pater moreretur, ego hæreditate potirer: ſi filia mea occumberet, ego moleſtiâ liberarer: & gauderet tunc ille, non de patris, vel filiæ morte; ſed de hæreditate, deque carentiâ moleſtiæ, culpam odii non committeret, utpote qui ſimili modo de bono ſuo gaudeat, non autem de alieno malo.* Hæc illa rurſus ſunt, quæ communiſſime docent Theologi.

Tandem illa promit, quæ tinnitum aurium piarum pleniſſimum efficiant, verba referens, quæ Tamburinus dedit num. 31. *Denique ſi abſolute deſideres in hunc modum:* Cupio mortem Patris, non ut malum Patris eſt, ſed ut bonum meum, ſeu ut cauſa boni mei &c. *Major eſt reſolvendi difficultas: quia tunc eligis velle malum illius, quamvis ut cauſam tui commodi; quod non videtur culpâ vacare, & ita quidem putat Bonacina.* Hactenus non vereor, ne Piorum auribus tinnitum creaverit Tamburinus.

At verò Sinnichius, *Quid verò,* inquit, *ipſe Tamburinus? Bonacinæ opponit Caſtropalaum contendentem ejuſmodi cupidinem licere.*

Non opponit Tamburinus Bonacinæ Caſtropalaum, tamquam ſimpliciter *contendentem ejuſmodi cupidinem licere.* Verba Caſtropalai hæc refert num. 32. *Credo, ſi cum debitâ moderatione facias, te poſſe abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius* MORTE NATURALI *gaudere, illamque* INEFFICACI AFFECTU *petere, & deſiderare.* Nota; *morte naturali,* hoc eſt, ut per ſe intelligitur, & ipſe explicat verbis Joannis Sanchez, *à Deo infligendâ.* Nota etiam; *affectu inefficaci.* Hæc non diſſimulaſſet Sinnichius, niſi ſtuduiſſet ipſe augere *tinnitum piarum aurium*: lenire etiam poterant tinnitum exempla, quibus utentem Tamburinus inducit Caſtropolaum, verbis Emanuelis Saa *abſolutè dicentis, te poſſe proximo optare malum corporale ad ſalutem animæ, & mortem ob Reip. bonum, & honeſtum, & hoſti tibi alioqui valde nocivo mortem, non odio; ſed ad vitandum damnum tuum.*

212. Sed ubi ſunt illa tandem, quibus Tamburinus excitare potuit *tinnitum piarum aurium?* Hactenus enim loquente Caſtropalao, nihil affirmavit ipſe. Pergit Sinnichius; *Addit præterea* Tamburinus *num. 33. quædam loca ipſius Bonacinæ, velut ſibi ipſi non ſatis conſtantis.* Sic eſt; profert enim Bonacinæ hæc verba: *Ob id à mortali excuſatur, qui de ſanitate alicujus triſtatur, quia ex rectâ valetudine occaſionem ſumit peccandi .... Idem dicendum videtur de matre, quæ mortem filiabus exoptat, quia occaſione ipſarum malè ſecum agitur à marito &c.* Hæc verò ſi *tinnitum piarum aurium* merentur, peccatum eſt Bonacinæ, non Tamburini.

Quid

Digitized by Google

Quid ergo denique Tamburinus? Sinnichium audiamus. *Ac tum*, inquit, *concludit* Tamburinus *in hunc modum*: EX QUIBUS VIDES, OPINIONEM CASTROPALAI ESSE SATIS PROBABILEM. Plus ad quæſtionem illam nihil affirmat Tamburinus. Ecce montium parturitione natus eſt mus: hunc ut inflet, quid non agit Sinnichius? Hic rurſus exclamat *de aurium tinnitu*: modis deinde variis exaggerat perverſitatem doctrinæ, & truncatè propoſitæ, & non ſatis penetratæ. Ita ſibi placuit Sinnichius in iſto tinnitu aurium, ut retentandum putaverit Saul. pag. 474. col. 2. in vind. pag. 359.

213. Tanto ſtrepitu accuſandus fuit Tamburinus potiſſimum, quod eam ſententiam dixerit *ſatis probabilem* quam abſolutè tenuerunt permulti, & pii, & graves ſcriptores. Audiatur D. Thomas 2. 2. q 76. a. 1. in corp. *Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum.* Rem explicat ibidem his verbis: *Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione juſti ..... quandoque ſub ratione utilis.* Etiam exquiſitius hæc docet D. Thomas in 3. d. 30. q. 1. ad 4. *Proſperitas unius*, inquit, *inducit adverſitatem alterius: unde quia charitas ordinem habet, & plus debet diligere quiſque ſe, quam alium ..... poteſt aliquis ſalvâ charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingit, non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Hanc doctrinam D. Thomæ generalem, quia ſatis probabilem dixit Tamburinus, cenſuit Sinnichius à nemine pio *ſine animi horrore, & aurium tinnitu audiendum.* Verendum ne D. Thomas judicio Sinnichii non fuerit pius, dum illa ſcripſit. Verendum idem de diſcipulis S. Thomæ Caetano in Summa v. *Maledictio* Joanne de la Cruz in Directorio 1. p. tract. de homicidio dub. 3. Corrado 1. p. Reſponſ. caſ. q. 392. Zanardo 2. 2. Directorii cap. 6. de maledicto. Verendum idem de Bonacina, quem ſupra audivimus, Franciſco Galletti in Margarita caſuum Conſcientiæ v. *deſiderare*, Angelo Verricelli qq. moralibus tr. 5. q. 6. num. 64. his omnibus ſi Joannem de la Cruz exceperis reſtrictius eſt locutus Caſtropalaus (cujus ſententiam probabilem dixit Tamburinus) ſolum aſſerens non eſſe peccatum mortale illud deſiderium, ſeu gaudium, de quo hactenus, cum alii ſimpliciter licitum eſſe affirment; diſertè etiam ſignificans, ſe loqui de *affectu inefficaci* &c. Judicet Lector, quam vel ſyncerus fuerit, vel benevolus Tamburino, vel imperitus harum controverſiarum Sinnichius.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Iudice.

§. I.

Exultatio Sinnichii quod repertus ſit Tamburinus, qui doceret, non eſſe reſtituenda, quæ accepit Iudex pro ſententia injuſtâ.

214. SInnichius Saulis Exr. cap. 199. pag. 452. col. 2. in Vind. cap. 22. pag. 297. valde facundus eſt contra Tamburinum qui l. 7. cap. 5. §. 3. n. 13. *Iudicem liberarit ab onere reſtituendi id, quod pro iniquâ ſententiâ à parte improbabilem cauſam ſuſtinente acceperit.* Ad quæ Sinnichius, *Ecce*, inquit, *repertus è Probabilitatum Patronis, qui tametſi injuſtæ ſententiæ prolationem improbet, pecuniæ tamen pro eâ receptionem juſtificat, & recipientem cum hæredibus ab obligatione reſtituendi liberat.*

Tamburinus loco citato non dubitat, quin proferendo ſententiam peccet omnino Judex contra Juſtitiam, atque obligetur parti reſarcire id omne damnum, quod ipſi ex eâ ſententiâ naſcitur. Inculcat etiam, pretium acceptum, ante patratum crimen, eſſe ex juſtitiâ reſtituendum, & contractum reſcindendum. Tandem verò affirmat, eum, qui magno labore, & periculo ſuo fecit homicidium in gratiam alterius, juſtè accipere, & retinere pretium laboris, & periculi, de quo pactus erat cum altero: & ſimiliter Judicem, poſt latam ſententiam injuſtam, juſtè accipere pretium, de quo pactus erat.

215. Accidit verò mihi valde mirum, quod Doctor Sinnichius verbis jam relatis gratuletur ſibi repertum eſſe è Probabilitatum patronis, qui id auderet aſſerere. Ignoravit planè, quot, & quam gravium ſcriptorum eſſet illa ſententia.

Petrus de Ledeſma in Sum. tom. 2. tract. 8. de Juſt. commut. cap. 11. controv. 6. cum dixiſſet ſiſtendo in ſolo jure naturali, & divino lucrum ex operâ malâ non eſſe reſtituendum, inter alia exempla ponens lucrum ex ſententiâ Judicis injuſtâ, hæc ſubdit: *Hanc concluſionem docent* OMNES DISCIPULI S. THOMÆ: *hæc concluſio* EST CERTISSIMA.

Eandem quæſtionem tractans Corradus 1. p. reſponſ. q. 87. cum dixiſſet, *mercedem pravi operis, cujuſcumque generis ſit peccatum illud; ut ſi Iudex accipiat, ut inique judicet, ſtando in jure naturæ ſolo, non eſſe reſtituendam*, paulò

poſt

Digitized by Google

poſt in Additionibus loquens de turpi lucro, *hæc eſt ſententia*, inquit, *Corduba, Medina, & Sotus ex D. Thomâ, in conſcientiâ obſervanda, non tantum circa meretricem, ſed etiam maritatam puellam, & marem.* Certè D. Thomas in 4. d.15.q.2.a.4. ad 2. quæſtiunc. docet retineri poſſe, quod *quis de lenocinio, vel meretricio lucratur*. Dictum de lenocinio, & meretricio Cajetanus 2.2. q.62. a.5. ad 2. extendit ad adulterium. Serra quoque ad locum illum D.Thomæ in 4. commentatur, ſic 2.2. q.62. *Exemplum ponit D.Thomas de lenocinio, & meretricibus, & idem eſt de ſicariis.* Eadem eſt doctrina Villalobos tom.2. tract.11. difficul. 16. num 13. ſtando in jure naturali: agit verò nominatim de lucro ex ſententiâ injuſtâ, uti & Vericelli tom. 1. tract.3. q.1. num.16. Tædioſum ſit reliquos nominare. Non immeritò Cardinalis de Lugo tom.1. de Juſt.d.18.ſect 3 n.54. dixit *communem Theologorum ſententiam, attento jure naturæ &c.*

Atque ex his apparet, quam vanus ſit ille ſtrepitus Sinnichii contra Tamburinum potiſſimum, iis rationibus utentis loco citato col.2. & ſeq. quæ, ſi quam vim habent, probant adverſus tam multos, jure naturæ eſſe illicitum lucrum ex ſententiâ injuſtâ.

216. Cur non eſt invectus in eos, qui non ſolum jure naturæ, ſed & jure poſitivo docuerunt, licere illud lucrum retinere poſt commiſſum crimen. Hoc Tamburinus non docuit, ut patebit conſideranti rationes, quibus aſſertionem probat: ſed & num.19. ubi quærit, an is, qui pactus erat dare pretium, teneatur illud dare non patrato crimine, & reſpondiſſet teneri, *Excipe*, inquit, *ſemper niſi leges irritaverint pactum, ſeu promiſſionem, ut certè fecerunt in promiſſionibus ſimoniacis.*

Porrò ne quidem ex lege poſitivâ obligari Judicem, ut reſtituat lucrum ex ſententiâ injuſtâ perceptum, docet Navarrus in Summâ Hiſpanicâ cap. 17. num.33. loquens in genere de mercede operis mali, & ſignanter de mercede operis injuſti, quale eſt ſententia injuſta, ſignanterque retractans, quæ his contraria prius ſcripſerat. Negat eſſe leges, vel canones illud generaliter præcipientes. Excipit lucrum ſimoniacum, & ſi quæ alia ſunt, in quibus id lex ſpecialiter præceperit. Citat pro ſuâ ſententiâ S.Antoninum, Angelum Sylveſtrum, Monaldum.

217. Eamdem ſententiam ait magis eſſe probabilem Petrus de Ledeſma in Summa p.2. tract.8. de Juſt cap.11. concluſ.8. additque illam tenere communiter diſcipulos S.Thomæ. Tenet ut *magis probabilem, & veram* Villalobos tom.2. tract.11. diffic.16. num 16. citans Covarruviam alioſque. Tenet ut veriorem Trullench. in Deal. l.7. cap 14. dub.6. num.3. Tenet abſolute Serra 2.2. q 62. a.5. Vericelli tom 1.tract.3. q. 1.num.16. citans permultos: Aranjo Segovienſis Epiſcopus in deciſ. Mor. d. 7. p.2. in 4. Joannes Martinez de Prado tom.2. Theol.Mor. cap.17.q 5.num.36

citans Sylveſtrum, Joannem de Friburgo, Orellanam, Petrum de Ledeſma, Banez, Serram, Joannem de la Cruz, Angelum, Monaldum, Navarrum, Petrum à Navarra, Villalobos, Covarruviam, Azor, Leſſium, Vaſquez, Molinam, Bartholomæum à S. Fauſto, Bonacinam, *& alios frequenter &c*, Paucioribus abſolvit Leander à SS. Sacrament. p. 6. tract. 5. d. 4. q. 11. dicens. ita tenere OMNES: quod puto non eſſe verum. Moderatius Guilielmus Herinx tract. de Juſt. diſp. 2. q. 2. num. 26. ait, etiam cum opus turpe per leges punitur, *juxta Theologos paſſim eſſe obligationem in foro conſcientiæ opere patrato præſtandi promiſſum.* Atque ii quidem, quos ego citavi, ſi pauciſſimos demas, diſertè faciunt mentionem de lucro ex ſententiâ judicis injuſtâ. Indicant plerique, faciendam eſſe reſtitutionem, ſi condemneris à Judice: ſed de hoc non eſt dubium.

Ex his ego concludo Doctorem Sinnichium, dum recitatis verbis Tamburini, ſic exultavit; *Ecce repertus è probabilitatum patronus, qui pecuniæ pro injuſtâ ſententiâ receptionem juſtificat, & recipientem obligatione reſtituendi liberat*, manifeſtaſſe ignorantiam rerum ad munus Cenſoris maximè pertinentium.

218. Prætereo illa, quibus mox ludit ad rationem, quâ Tamburinus probat, nihil licere accipere pro ſententiâ juſtâ, quia hæc debetur: mutuavit rationem illam Tamburinus à Scriptoribus graviſſimis. Quæ verò inde infert Sinnichius docens, Judicibus viam oſtendi, quâ liceat accipere etiam pro juſtâ ſententiâ, ſi tantum ſit probabilis, calumniam continent, quatenus, ſupponunt, quod Tamburinus vel docuerit, vel probabile dixerit, licere judici pro arbitrio adjudicare rem alteri parti, ubi utrimque eſt probabilitas.

§. II.

Quid peccaverint Eſcobarius, & Fagundez accuſati à Sinnichio circa doctrinam de Iudice accipiente munera.

129. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 109. pag. 452. col. 1. pag. 453. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 296. pag. 299. Antoninum Eſcobar tract. 3. Exam. 2. num. 111. Patronum facit hujus Articuli: *In causâ æquali poteſt judex aliquid ab unâ partium accipere, ut ſententiam in ejus favorem ferat.*

Eſcobar iſto loco non tam docet iſtum Articulum quam narret ſententiam (ut ipſi videbatur) Stephani Fagundez, ejuſque rationes; neque liquet, Eſcobarium approbaſſe ſententiam, aut rationes illas. Verba ejus hæc ſunt: „ Docet Fagundez Deciſ. tom. 2. lib. 8. cap. 26. aliquid accipi

„ poſſe

„ poſſe . . . . . à Judice, quando ſententiam profert in cauſâ æquali, ſe-„ cluſâ lege poſitivâ in contrarium, quia pro ſuo arbitratu poteſt cuilibet „ parti dare victoriam: quare datur locus gratificationi, quæ eſt pretio „ æſtimabilis, utpote quæ plerumque cum jacturâ amicitiæ alterius partis „ conjuncta eſt. Eſt hoc propoſitum iſti Auctori in hoc opuſculo, ut referat aliorum ſententias: hoc profitetur in præfatione *ſe ſolummodo memorare &c.*: hoc ipſo libri titulo præfert. Quamvis etiam non rarò videatur approbationem ſuam adjungere iis, quæ refert, non liquet hoc illum hìc feciſſe, ut patebit conſideranti locum, quem integrum exhibui. Cur etiam diſſimulavit Sinnichius reſtrictionem; *ſecluſa lege poſitiva in contrarium?*

220. Invidiam ibidem Sinnichius communem facit Stephano Fagundez. Viderat nomen Fagundez in Eſcobarii ſummâ. Audiatur Fagundez eo ipſo loco, quem Eſcobar citat, hoc eſt in Dec. tom. 2 l.8. c.26. Cum retuliſſet contrarias ſententias in quæſtione propoſitâ, *Ego*, inquit, *hanc ſecundam probabiliorem judico propter illius fundamenta, quoad illam tantum partem, quæ docet,* TENERI JUDICEM RESTITUERE IN CONSCIENTIA *id, quod accepit pro electione partis, & ſui determinatione.* Hæc explorare Sinnichium oportebat.

221. Sed videlicet perſona magis, quam doctrina diſplicebat: non enim alioqui præteriiſſet auctores non paucos, quos conſtabat vel docuiſſe Articulum, ſaltem ut probabilem ex jure naturæ, in quibus erat Trullenchus in Decal tom 2. l.8. cap.1. dub.6. num.10. vel ea tradidiſſe, quæ erant articulo valde connexa, inter quos Sotus l.4. de Juſt q.7.a.1. ad.2. docens *ſententiam in ſuum favorem proferre eſſe actionem pretio æſtimabilem.* Præmiſerat hoc aliud Articulo affine: *Etſi gratis teneretur abſtinere à furto; nihilominus quia in gratiam mei abſtinet, poteſt jure naturæ pro ſuâ voluntate pretium ex me recipere.* Cur non & eos memoravit, qui docuerunt non eſſe contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis? Cur non & alios, qui docuerunt pretium accipi poſſe pro unius præ alio electione ad Majoratum, & Cathedram? Inveniſſet permultos: ſed ſphæram ſibi quamdam accuſandorum ſcriptorum definiverat.

§. III.

Variè falſòque accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de Judice in pari, diſparique cauſâ favente, cui parti vult.

222. SInnichius Saul. Exr. cap. 109. pag. 451. col.2. in Vind. cap. 22. pag. 295. Tamburinum ſugillat, quod lib. 1, cap.3. §.4.

 num.7.

num.7. dixerit, te poſſe,ut probabilem, amplecti ſententiam Doctorum, qui docuerunt, Judicem in pari probabilitate poſſe rem adjudicare, cui mavult,ſi neuter eam poſſideat.

Tamburinus loco citato, antequam loquatur de probabilitate iſtius ſententiæ, adhibet eidem reſtrictiones non paucas, ut intelliget Lector ex his ejus verbis: *Si rationes* CIRCA JUS *probent æqualiter pro collitigantibus civiliter, nec impediant rationes circa factum, ut impedirent, ſi de facto alter poßideat &c.* (Nota *&c*: facti enim quæſtiones in litem incidentes ſunt innumeræ) *Iudex non poteſt, ut ego certum puto, rem cui maluerit adjudicare: ſed modo paulò ante dicto debet rem dividere.* RATIO EFFICAX *mihi videtur eſſe, quia non video, cur hîc non militet eadem ratio, ducta à Iudicis munere modo inculcata. Quæſo, Lector, rem naviter perpende: nam ſummam paritatem, ne dicam identitatem invenies.*

223. Hic animadverte, quod etiam ſic reſtrictam ſententiam Tamburinus reverà non habuerit ut probabilem: ipſe enim contrarium *certum* reputat: judicatque, pro contrario eſſe *rationem efficacem*: ipſe autem dicto cap.3.§.3. n.1. ad probabilitatem opinionis requirit, ut *pro parte oppoſitâ nihil appareat convincens.*

Neque refert quod dicto §.4. num.7. ſic loquatur: *Dixi*; *ut* EGO CERTUM PUTO, *nam propter extrinſecam bonorum Doctorum Auctoritatem* ...... *potes id ut probabile, ſi velis, amplecti*: non dicit ſibi id videri probabile, ſed te,ſi velis (quandò ſcilicet tibi non videretur *certum*, quod Tamburino *certum* eſt viſum) poſſe id ut probabile amplecti.

Sed tamen fingamus Tamburinum probabilem reputaſſe ſententiam illam: morem ſuum tenuit Sinnichius, ut Tamburinus magis peccaſſe videretur, quam ii Doctores, quos ille eſt reveritus, cum dixit probabilia locutos Quam multi docuerint licere illud Judici in pari probabilitate, intelliget mox Lector, cum oſtendam permultos docuiſſe, licere illud Judici etiam in diſpari probabilitate; quod eſt minus tolerandum.

224. Sinnichius ibidem auget accuſationem Tamburini loco citato. *Quid verò* inquit, *ſi jus unius partis ſit probabilius? Tamburinus iterum more ſuo ſic parti contradictionis ſubſcribit, ut alteri ſimul ſuam probabilitatem, adeoque in praxi ſecuritatem relinquat.*

Tamburinus loco citato num. 9. ſic loquitur. *Si rationes circa jus probent magis pro uno, quam pro altero in litigantibus civiliter, non poteſt Iudex nec dividere etiam pro ratâ probabilitatis, nec tribuere cui maluerit, ſed ferre ſententiam debet pro habente majorem probabilitatem in jure.* Hoc ipſum cum probaſſet, hæc addit, quæ offenderunt Sinnichium. *Scio Doctores non infima nota contrarium aſſerere: putant enim in hoc caſu poſſe Iudicem, cui voluerit, rem adjudicare, quia ſemper probabiliter, atque adeo prudenter adjudicabit: Sed profectò*

NON

Digitized by Google

NON PROBABILITER PROXIME, *propter novam hic ſuperadditam rationem muneris Iudicis: nolo tamen à probabilitate ſaltem extrinſecâ tantorum ſententiam doctorum excludere.*

In his nota primo non eſſe idem, *Nolo excludere à probabilitate*, quod includere probabilitati, ſeu affirmare eſſe probabilem ſententiam. Nota ſecundo negari à Tamburino *probabilitatem proximam*; adeoque practicam illius ſententiæ. Nota tertio tam certum, imò certius eſſe Tamburino ob rationem petitam à munere Judicis, non licere Judici adjudicare rem iſti parti, cujus jus eſt minus probabile, quam certum eſt, eidem non licere adjudicare uni parti, quando jus alterius eſt æquè probabile. Hoc autem Tamburinus *certum* ſimpliciter putat, atque *efficaci ratione* oſtenſum, ut vidimus num. 221. Liquet ergo ex ibi dictis, & quidem à fortiori, non habuiſſe Tamburinum pro ſententiâ probabili, & in praxi ſecurâ, quæ affirmat, hîc Judici licere ſequi opinionem minus probabilem.

225. Cur has feſtucas in Tamburini ſcriptis ſectatus eſt Doctor Sinnichius, ſi non ignorabat Doctores graves, & multos docuiſſe abſolutè, Judicem poſſe rem controverſam adjudicare uni parti, cujus jus eſt minus probabile, modò ſaltem ſit probabile? Diana pro hâc ſententiâ citat numerum Doctorum ingentem parte 2. tract. 13. reſolut. 3. p. 9. tract. 8. reſol. 62. §. *ſed quia* p. 11. tract. 2. reſol. 60. §. *ſed hic obiter.* Faciam compendium. Ipſe Thomas Hurtadus, qui eſt quidem valde laxus Doctor, ſed tamen inter laxones non eſt numeratus à Sinnichio, cum ſit Jeſuitis valde infeſtus; ipſe, inquam, Thomas Hurtadus tom. 1. tract. 3. cap. 6. reſol. 44. num. 314. non dubitat affirmare, CONVENIRE FERE OMNES, *quod, ſi opinionum diverſitas non ſit circa factum, ſed circa jus, ex quo pendet deciſio litis, quia aliqui Doctores uno modo interpretantur, alii verò alio modo, poteſt Iudex, quam voluerit, eligere.*

226. Ego Thomæ Hurtado citanti auctores formâ iſtâ tam amplâ non credo: ſed tamen Judicem ſequi poſſe opinionem de jure partium minus probabilem, docuerunt expreſsè Salonius tom. 1. q. 63. a. 4. controv. 2. concl. 4. Serra 2. 2. q. 67. a. 3. dub. 2. Thomas Villar 1. 2. tract. poſter. de conſc. p. 4. § 8. Franc. Lopez de Texeda tom. 1. controv. Moral. Theol. l. 1. tract. 2. controv. 7. num. 7. Bartholomæus Medina 1. 2. q 19. a. 6. §. *ad ultimum*, Greg. Martinez tom. 1. in 1. 2. p. 2. q. 29. a. 6. dub. 6 concluſ. 2. Idem probabilius eſſe docet, ſtando in jure divino, & naturali Petrus Ledeſma in ſum. tom. 2. tract. 3. de Juſt. commut. cap 22. *Hanc ſententiam*, inquit, *tenet Medina, & Orellana, & alii multi Auctores particulariter diſcipuli D. Thomæ.*

Hos Auctores retuli, non ut mihi placere ſententiam oſtendam, cenſeo

enim eſſe alieniſſimam à vero, & efficaciter refutatam à Tamburino *ratione ductâ à Iudicis munere*; ſed ut perſpiceret Lector importunitatem Cenſoris, qui harum rerum ignarus (aliud mihi perſuadere non poſſum) Tamburinum putarit reprehendendum, quod videretur probabile dixiſſe (revera non dixit) Judicem in pari probabilitate poſſe rem adjudicare, cui mavult; quod Judicem poſſe docuerunt tam multi etiam in diſpari probabilitate.

§. IV.

Calumnioſa exclamatio Sinnichii in doctrinam Tamburini de Iudice in causâ criminali.

227. SInnichius Saulis Exr. cap. 109 pag. 452. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 295. Tamburinum reprehendit in quod cum lib. 1. cap. 3. §. 4. num. 10. aſſeruiſſet Judicem in causâ criminali debere ſententiam proferre in favorem Rei, probabilem pro ſe rationem habentis licet Actor adverſus eum promat rationes æquè, vel magis probabiles, mox num. 11. ſubdat hæc: *Non nego probabile eſſe, Iudicem non teneri ad ſe ita gerendum licet poſſit: id enim non ignobiles Doctores aſſeruit.*

Tamburinus illo num. 10. ſic docuerat: *In criminalibus probabilius puto, Iudicem debere ſententiam proferre in favorem Rei juxta rationes probabiles, ſive hæ rationes circa factum ſint, ſive circa jus, ac parvi facere debere rationes probabiles, imò & probabiliores, quæ eſſent contra eumdem reum*: fundat ſe in 11. Regula juris in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, Reo ſavendum potius, quam Actori.*

Hactenus Tamburinus valde favet Reo in causâ criminali, tam in quæſtione facti, quam juris, dicens favendum reo ſequendo rationes probabiles, relictis etiam probabilioribus contra Reum: multiplicem favorem continet iſta aſſertio.

Mox ergo dicens, *Non negare ſe, probabile eſſe, Iudicem non teneri ad ita ſe gerendum*, in primis non affirmat *probabile eſſe, Iudicem non teneri ad ita ſe gerendum.* Aliud eſt, *non nego probabile eſſe*, aliud; *affirmo probabile eſſe.* Deinde etſi, affirmaret, probabile eſſe, *Iudicem non teneri ad ita ſe gerendum*, non continuo affirmat, probabile eſſe, Judici licere negare reo omnes, & ſingulos favores, quos ipſe tribuendos jam dixerat. Ad veritatem illius dicti ſatis eſt, ſi probabile ſit Judicem non teneri favere Reo, cum eſt major probabilitas juris contra reum, quam pro reo: non autem eſt neceſſe, ut probabile ſit, Judicem non teneri favere reo, cum eſt par, vel major probabilitas juris pro Reo, quam contra Reum: multò minus neceſſe eſt, ut probabile ſit, Judicem non teneri favere Reo, cum agitur de facto, eſtque par, vel major probabilitas pro Reo, quam contra Reum.

228 Tam-

228. Tamburinus nimirum dicto num. 11. ubi viſus eſt Sinnichio probabile dicere *Iudicem non teneri ad ita ſe gerendum*; idque ob auctoritatem Doctorum, Doctores ad marginem citat Salonium, & Sayrum. Atqui Salonius p. 1. q. 63. a. 4. controv. 2. concl. 2. docet Judicem in causâ criminali, ſi utriuſque par ſit probabilitas, quæ circa factum verſetur, debere pro Reo judicare. Aliis item modis ſtudet Reo Salonius, quem imitatus eſt Sayrus in Clavi Regia p. 1. l. 1. cap. 11. concl. 2. 3 4.

Accedit quod non potuerit dubitare Sinnichius, quin certum haberet Tamburinus, debere Judicem favere Reo in causâ criminali, quando eſt major pro reo probabilitas juris, cum id certum ſibi eſſe profiteatur etiam in causâ civili, ut vidimus num. 222. neque contrariam ſententiam putaverit probabilem, ut oſtenſum eſt num. 223.

Conſideret ergo Lector, quanto jure Sinnichius relatis verbis Tamburini; *Non nego probabile eſſe, Iudicem non teneri ad ita ſe gerendum* &c. exclamaverit: *Ecce quantam libertatem concedunt Iudicibus patroni probabilitatum tam in civilibus, quam etiam criminalibus!* Mihi videtur magno ſtupore dignum, quod Doctor Sinnichius tanta licentiâ laceret famam illorum ſcriptorum, & tam negligenter, tamque nullâ diſtinctione verſetur in exponendâ illorum doctrinâ.

CAPUT XVI.

De Reo.

§. I.

Fœda calumnia traductus à Sinnichio Tamburinus de Reo imponente falſum crimen teſti mentienti.

229. SInnichius Saulis Exr. cap. 120. pag. 555. col. 2. & pag. 556. col. 1. in Vind. cap. 33. pag. 555. fœdè exagitat Tamburinum, quaſi, quod nomine ſuo ſtatuere non audebat de re invidioſâ, id alienam perſonam pro ſe reſpondentem induxerit l. 9. cap. 2. §. 2. num. 7. licere ſcilicet falſum crimen imponere teſti calumnianti.

Turpi calumniâ ſcatent hæc, quibus nullam cauſam præbuit Tamburinus: cum iſto loco merè diſputet, an liceat falſum crimen imponere teſti calumnianti, atque argumenta id affirmantium ſolvat pro viribus: ac denique lib. 9. cap. 3. §. 2. num. 25. abſolute non tantum ſupponat (quod

fatetur

fatetur Sinnichius) ſed & affirmet, & probet operosè, id non licere. Liquet ergo Sinnichium hoc loco impoſuiſſe falſum crimen Tamburino; idque nulla causâ ab ipſo præbitâ.

230. Quantum Tragœdiæ excitaſſet, ſi apud Tamburinum legiſſet, quod habet Joannes de la Cruz Direct. Præc. 8. q. 3. a. 4. dub. 17. concl. 1. *Banes, & Ledeſma cum Orellana* PROBABILITER SENTIUNT, *eſſe ſolum mendacium veniale, obiicere teſti iniquo crimen falſum, ſecluſo perjurio in obiiciente, & teſtibus ad hoc inducendis.* Quantum Pathos cieviſſet, ſi apud Tamburinum legiſſet, quod habet Bañez 2.2. q. 60. a. 3. dub. 2. concl. 3. *Nobis veroſimilior eſt ſententia, quæ ait, quod per ſe loquendo, hoc eſt, ſecluſis aliis circumſtantiis, eſt ſolum peccatum veniale mendacii, obiicere crimen falſum teſti iniquo, quando talis objectio prodeſt, ad refutandum ejus teſtimonium: Probatur iſta concluſio: qui occideret invaſorem, à quo non poteſt ſe defendere, niſi mentiendo contra illum: non peccaret mortaliter: ergo neque in caſu noſtro.* Denique poterat excutere illos. *Viginti aut plures viros magnos, & doctos,* quos pro illâ ſententiâ ſtare aſſerit Caramuel in Theol. fundam. num. 1151. edit. Anni 1652. atque interea parcere Tamburino, quem conſtat ab illâ ſententiâ fuiſſe omnino alienum.

231. Atque ex his intelligitur, quam vana, & temeraria fuerit illa præſagitio, quam ibidem Sinnichius refert his verbis: *Memini ſanè quod occaſione Theſeos hic Lovanii in Scholis P.P. Societatis Anno 1645. defenſa, quæ erat;* Quid ni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam, tibi noxiam, falſo crimine elidere? *ſagaces quidam conjecerint, ac prædixerint fore, ut proceſſu temporis exſurgat quiſpiam, qui ne veniale quidem eſſe contendat, detrahentis auctoritatem falſo crimine impacto elidere: quam prædictionem jam video in Tamburino impletam, qui beneficio æquivocationis* &c. Illâ theſi, ſi quæ fuit hujuſmodi, nihil poſitive affirmatum fuit. Ceterum illi prædictores fuerunt pſeudoprophetæ, ut patet ex dictis.

§. II.

Invidiosè tractata à Sinnichio doctrina Tamburini de Reo imponente ſibi falſum crimen, ut evadat tormenta.

232. SInnichius Saulis Exr. cap. 120. pag. 554. col. 2. & ſequentibus in Vind. cap. 33. pag. 552. graviter invehitur in Tamburinum, quod lib. 9. cap. 3. §. 6. num. 6. dixerit *Ad tormenta, damnaque gravia vitanda, poſſe quemlibet ſibi falſum crimen imponere, etiamſi mors ſit ſubſecutura.* Diſſimulat Sinnichius invidiosè limitationem, quâ ponit Tamburinus, *abeſſe damnum tertii: infamiam familiæ &c.* Tum verò & malitiam ſuicidii extollit,

extollit, & otioſè probat, fieri poſſe; ut quis ſe occidat etiam linguâ. Quis hæc ignorat?

Procedit verò prorſus ita, ut parum peritus Lector dubitare non poſſit, quin ea ſit ſententia propria Tamburini præcipue: neminem præter hunc nominat ſententiæ Auctorem.

Sententia eſt antiqua graviſſimorum Scriptorum. Angelus v. *Detractio* num. 6. Ad quæſtionem ſic reſpondet: *Quod ſi facit propter tormenta evitanda, ſicut faciunt illi, qui ad torturam ponuntur, non peccat*, SED LICITE FIERI POTEST. Addit non teneri retractare *id*, *quod dixit de ſe, ſi propter dolorem tormentorum*, *quem timeret iterum ſibi infligi*, *potius* PRÆELIGERET MORI. Idem verbis fere totidem docuit Silveſter v. *Detractio* q. 4. Sotus verò de Juſt. l. 5. q. 10. a. 2. nullam hic malitiam agnoſcit, niſi mendacii, & perjurii, ſi hoc forte interponatur: *Non tenetur*, inquit, *homo tanto cum cruciatu vitam ſervare.* Aſſentitur Bonacina de reſt. d. 2. q. 4 p. 10. num. 7. citans non paucos. Libuit Sinnichio operam diſperdere, ut rerum harum imperitis odioſum faceret Tamburinum potiſſimum.

233. Caverat Tamburinus laudabiliter his verbis: *Semper ſupponimus*, *abeſſe perjurium.* Non inveniebat in his verbis Sinnichius, quod diſpliceret: ſugillat ergo, quæ ſequuntur proxime: *Perjurio infamator ſui providere non difficulter poterit per æquivocationem.* Æquivocationem Cenſor non dubitat interpretari illico *mentalem reſtrictionem*: prorſus atque ſi nulla alia ſit æquivocatio. De æquivocatione ſermo nobis eſt alibi: hoc enim loco Sinnichius crudelitatem Tamburini inſectatur: Oſtendimus, inquit, *quam immane ſcelus ſit ſe ipſum occidere*: hunc locum amplificat adverſus Tamburinum: quo id operæ pretio, ex dictis patet.

§. III.

Variè accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de Reo negante crimen; ſed vel cavillatoriè, vel imperitè.

234. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 122. pag. 571. col. 1. in Vind. cap. 35. pag. 592. Tamburinum perſtringit quod lib. 1. cap. 3 §. 7. v. *Reus, & teſtis* num. 1. docuerit Reum, & teſtem, *non obligari ad mentem Iudicis reſpondere, ſi dubitent, an legitimè interrogentur à Iudice*: Addiderit vero hanc rationem: *quia reus, & teſtis ſunt in poſſeſſione ſuæ libertatis valendi æquivocare ex causâ.* Ad hanc rationem Sinnichius exclamat; *Tanta molis huic Auctori eſt æquivocandi libertas &c.*

Hæc eſt mera cavillatio. Tamburinus non aſſignat libertatem, tamquam cauſam ob quam æquivocare liceat: loquitur enim diſerte de *libertate*

æquivocandi ex CAUSA: ſed ſuppoſito; quod ſit rationabilis cauſa æquivocandi, libertatem æquivocandi ex cauſâ aſſignat pro cauſâ, ob quam liceat non obedire Judici interroganti, & *non reſpondere ad mentem Iudicis*, de quo eſt dubium, an legitimè interroget.

235. Reliqua ergo difficultas huc revocatur, an ſubditus teneatur obedire ſuperiori, cujus dubia eſt juriſdictio, & poteſtas. Si certum habuerit Doctor Sinnichius, teneri ſubditum obedire, ſcire debebat reliquos omnes Theologos hoc non habere pro certo, communiſſimè verò illos docere, non teneri ſubditum obedire, & quidem nixos illo principio, quo hic nititur Tamburinus, quod melior ſit conditio poſſidentis ſuam libertatem. Hæc res eſt tam decantata Theologis pariter, & Juriſperitis, ut non ſit operæ pretium immorari. Interea videat Lector, quæ habeo num.52. videat etiam apud Dianam p. 3. tract. 5. reſol. 91. Auctores permultos, docentes non teneri reum Judici reſpondere, ſi teſtium depoſitio non notificetur, ut ſciat, ad obediendum ſe teneri: videatur etiam Diana ibid. reſol. 106. ubi pro doctrinâ Tamburini in propriis terminis citantur præter Leſſium, Salas, & Henriquez, etiam Bañez, Sotus, Medina, & alii apud ipſos. His addo Villalobos tom. 2. tract. 16. diffic. 1. num. 6. qui citat Cajetanum, Adrianum, Sotum, Leſſium, Aragonium, Salonium & alios; Non vacat ſingulos adire, quando res eſt minimè mira.

236. At, inquies cum Sinnichio, Tamburinus ibidem, ut in caſu æquivocare liceat apud Judicem, non requirit, *ut timeatur à Reo, vel teſte grave malum*. Requirit eam cauſam, quæ ſufficeret ad æquivocandum, ſi interrogans non eſſet judex, jacturam ſaltem *modicæ pecuniæ*: quam modica ſufficiat, non explicat. Ceterum non ſolet apud Judicem litigari de tribus obolis.

Sinnichius Saulis Exr. cap.122. pag. 571. col.1. in Vind. cap. 35. pag. 593. gravem litem movet Tamburino, quod l. 3. cap. 4. §. 3. num. 5. ſic narret (neque enim illis quidem verbis docet ipſe.) *Sed jam alii recentiores animadvertentes, onus eſſe ſupra naturæ vires difficile, Reum obligare ad inferendum teſtimonium capitale contra ſeipſum, docent probabiliſſimum eſſe, & tutum, Reum minimè obligari ad fatendum crimen ſuum, unde ſaltem malum ſibi parari videat.*

Non ſatis ſcio, quodnam hîc peccatum Tamburini arguat Cenſor. Videtur dubitare de bonâ fide narrationis; quia, *Citat*, inquit, *in margine pro hac ſententia neotericos duos nominatim, quibus addit alios viginti duos, ſed innominatim.*

237. Non erat neceſſe, ut illos nominaret Tamburinus: quia res vulgò eſt tam nota, ut nemo utcumque peritus harum rerum dubitet, quin multi ſic doceant. Malderus 2.2. tract.6. cap 3. dub. 1. docet eſſe probabile Reum non obligari ad fatendum crimen capitale, ſi non ſit deprehen-

ſus,

Digitized by Google

ſus, aut convincendus, & ſpes ſit evadendi. Hanc ſententiam probat operosè, & ſolvit argumentum triviale, quod profert Sinnichius; *Cum judici competat jus indagandi veritatem ſimpliciter probatam, correſpondet in Reo obligatio fatendi.* Similiter Petrus à Navarra l.2. de Reſt. cap. 4. num. 142. *Piè*, inquit, *& probabiliter exiſtimo, in cauſá criminali, præcipuè capitali, poſſe Reum in conſcientiâ veritatem ſecluſo mendacio contegere.* Idem apud Dianam p. 2. tract. 15. reſol. 27 præter Leſſium, Reginaldum, Ioannem Sanchez, quos contempſit Sinnichius, docent Rodriquez Salzedo, Spatarius, Portel, Peyrinus. Quibus adde Card. de Lugo tom.2. de Iuſt. d. 40. ſect. 1. num. 14. qui reprehendit Turrianum, quod eam ſententiam improbabilem dixerit: citat vero pro ſententiæ probabilitate Franciſcum Suarez conſultum ſuper hâc re Anno 1596. Adde etiam Villalobos in Summâ tom. 2. tract. 16. diffic. 1. num. 11. qui citat Panormitanum, Angelum, Alcocer. alioſque.

238. Audiamus hoc loco Dianam p. 10. tract. 13. reſol. 13. ubi cum Texedam, & Turrianum dixiſſet improbabilem vocaſſe illam ſententiam, *Texeda*, inquit, *& Turrianus nimis audacter ſe gerunt in cenſurandis doctorum virorum opinionibus &c. Vnde olim Reverendiſſimus Generalis Patrum Dominicanorum M. Turcus non ſemel dixit mihi, dictum Texedam limites tranſilire in cenſurâ opinionum.* Multò melius quadrarent hæc in Sinnichium. Poſteà ibidem Diana opponit Texedæ *ſapientiſſimum M. Serram* 2.2. q.69. a. 1. dub. 1. ſic loquentem: *Silveſter hanc ſententiam non vocaret improbabilem etiam in viâ D.Thomæ, cum v. accuſatio, & v. Confeſſio illum intelligat, quando agitur ad pœnam ſpiritualem, non aliam. Ego abſolute hanc ſententiam ob auctoritatem Auctorum citatorum, & argumenta facta probabilem eſſe judico.* Sententiam eamdem Franc. Bonæ Spei Tract. de Juſt. d. 4. dub. 3. num. 57. ait communius teneri à Theologis, ipſamque probat operosè.

Hæc ſufficiant, ut pateat, non debuiſſe Sinnichium dubitare de bonâ fide Tamburini, narrantis, Alios docere, *probabiliſſimum eſſe & tutum, Reum minimè obligari &c.* niſi fortè libeat cavillari ad vocem ſuperlativam *Probabiliſſimum*, quæ ſatis verificatur de permagnâ probabilitate ſaltem extrinſecâ in iis Auctoribus, qui ob auctoritatem tam multorum, quos citant, illam ſententiam vocant probabilem. Multò magis patet, non debuiſſe reprehendi iſtam narrationem Tamburini, quando tam multi rem ipſam docuerunt. Si ſatis bono zelo fuiſſet impulſus Sinnichius, illos reprehendiſſet, certè non reprehendiſſet Tamburinum potiſſimum.

239. Sinnichius ibidem Tamburinum ſugillat, quod Auctoribus modò citatis *adeò conſentiat, ut priori ſententiæ contrariæ non niſi extrinſecam probabilitatem annuere videatur.*

Tamburinus contrariam ſententiam affirmat *ſaltem ob auctoritatem Doctorum probabilem eſſe.* Quid ipſi ex rationibus intrinſecis videretur de probabilitate

bilitate ſententiæ, non explicuit. Fortaſſe non habebat ſatis exploratum eam eſſe probabilem ex rationibus intrinſecis. Tum verò ſi habuiſſet ſupercilium cenſorium, non ſe continuiſſet, quin diceret improbabilem eſſe ſententiam; ſed ipſe fuit modeſtior.

240. Sinnichius Saulis Exr. cap. 122. pag. 571. col. 2. in Vind. cap. 35. pag. 594. Tamburinum accuſat, quod loco citato num. 7. neget, Reum ſub mortali obligari reſpondere ad mentem judicis in cauſa capitali, etſi ſpes evadendi nulla eſſet, excepto tamen caſu Hæreſis.

Tamburinus ibidem ſupponit, Reum eſſe *convictum, Iudicemque ad damnandum ſatis inſtructum*, unde infert *in hoc caſu ad ſummum offendi poteſtatem ſuperioris in re levi.* Fidit inſuper Thomæ Sanchez l. 3. in Decal. c. 7. n. 11. affirmanti, numquam Judices Reum interrogantes ſolere illi aperire ſtatum cauſæ, & probationes, unde Reo ſemper ſpes remaneat evadendi. Hoc poſito ad praxim ipſam nihil magnopere facit aſſertio Tamburini.

241. Sinnichius ibidem auget accuſationem Tamburini; qui loco citato num 9 prædictæ Auctorum ſententiæ de Reo negante crimen capitale ſemiplenè probatum addiderit *novam ampliationem* his verbis: *Quod dictum eſt de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcumque malum grave; puta exilium, bonorum amiſſionem, triremes, gravem infamiam &c.*

Doctor Sinnichius neſciebat alios ante Tamburinum ſic ampliaſſe doctrinam: vocavit igitur *novam ampliationem.* Quamquam reverà Tamburinus non tam ampliat, aut extendit ipſe, quam referat alios extendere. Hic ergo rurſus de bonâ fide Tamburini Sinnichius dubitat; ſed diſcere debebat ex Card. de Lugo tom 2. de Juſt. d. 40. ſect. 1. num. 14. vera retuliſſe Tamburinum: ſic ibi loquitur Cardinalis: „ Secunda ſententia „ negat illam obligationem eſſe adeo univerſalem. Excipiuntur autem ab „ aliquibus varii caſus. Primus eſt, ſi timeatur ſententia mortis. Secundus, „ ſi damnandus eſſet Reus ad triremes. Tertius, ſi confiſcanda omnia bo- „ na. Quartus, ſi periclitaretur omnino in honore, & in aliis caſibus ſimili- „ bus. Hanc ſententiam tenet Navarra l. 2. de Reſt. cap 4. num. 137. & „ ſeq ubi refert Panormitan. Sylveſtr. Angel. Armillam & alios. Eamdem „ ſequitur Emanuel Rodriquez in ſummâ, ubi citatur Salzedo, eamque di- „ cit probabilem Vega, Leſſius, Sà, Suarez &c.

Illam extenſionem, agentes de probabilitate ſententiæ, fecerunt Petrus à Navarra, ut patet ex ejus verbis ſupra relatis num. 237. Villalobos tom. 2. tract. 16. diffic. 1. num. 11. Cardinalis de Lugo loco citato num. 15. fecit itidem Serra citatus num. 238. qui tractans quæſtionem præſentem, addit ſapientem monitionem Dominici Soti l. 5. de juſt. q. 6. a. 2. concl. 5. poſt medium: *Debent Confeſſarii conſideratâ maturitate tunc uti, ne calamitoſam*

morti

morti temere addicant, ſcientes in re dubiâ propendendum eſſe potius in favorem Rei. Et ideo, niſi meridie clarius lex illos cogat, non ſunt miſeri cogendi, maximè in cauſâ capitali, aut honoris, & famæ. Mallent ſine dubio illi calamitoſi Confeſſarium ſibi dari Serram, aut Sotum quempiam, quam Sinnichium, aut huic ſimilem. Ceterum patet ex his, bonâ fide proceſſiſſe Tamburinum, & non eſſe iſtam *ampliationem novam.*

142. Sinnichius Saul. Exr. cap. 122. pag. 571. col. 2. in Vind. cap. 35. pag. 594. Tamburinum arguit, quod lib. 3. cap. 4. §. 3. n. 10. dixerit, me *à mortali fortaſſe excuſandum eſſe*, ſi non reſpondero ad mentem ſuperioris *præcipientis, ut fatear, an dixerim mendacium jocoſum, an ſim furatus obolum, an ſilentium in Religione fregerim, ex quâ confeſſione mihi non niſi malum leve accidere poſſit.*

Tamburinus loco citato merè dubitat, ut patet ex ejus verbis; tum verò inter varias cauſas dubitationis ſuæ disjunctive propoſitas etiam hanc exhibet: *Quia ſi agitur de pœnâ levi infligendâ, videtur & leve, & non rigoroſum ſuperioris præceptum*: quod etiam veriſimilius facit materia *fatendi mendacii jocoſi, furti unius oboli, fracti ſilentii in Religione.* Sed fortaſſe putavit Sinnichius omnem materiam eſſe capacem præcepti graviter obligantis. Cautè etiam omiſit exceptionem, quâ utitur Tamburinus his verbis: *Hic tamen excipio; niſi alias bonum commune aliter poſtularet, vel niſi ſic deberet averti malum grave impendens tertio.* Patet cavillis eſſe quæſitam materiam.

CAPUT XVII.

De Bello.

§ I.

Variè ſed vel falsò vel putidè accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de inferendo bello ex ſententiâ probabili &c.

243. Sinnichius Saulis Exr. cap. 109. pag 449. col. 2. in Vind. cap. 22. pag. 290. Tamburinum accuſat, quod l. 1. cap. 3. § 4. num. 30. doceat, *In probabilitate ortâ ex jure, quemlibet Regem licitè bellum gerere contra alium poſſe.*

Tamburinus ita iſtud docet licere *in probabilitate ortâ ex jure*, ut conſtanter neget, id licere *in probabilitate fundatâ in facto, quando duo, pluresve ſcripturis, vel teſtibus contendunt probare, regnum ad ſe pertinere.* Iſto loco nullas admittit

admittit probabiles rationes, aut etiam probabiliores ſufficere, ut patebit conſideranti, quæ habet num. 33. & 34.

Senſit tamen aliter *in probabilitate ortâ ex jure*: hoc Sinnichio diſplicuit in Tamburino potiſſimum. Et tamen probabilem opinionem, ſaltem *probabilitate ortâ ex jure* poſſe ſufficere, ut licitè bellum geratur, eſſe debet ſententia illorum omnium, qui docent poſſe dari bellum utrimque formaliter juſtum: fieri enim non poteſt, uti ambæ ſimul partes, de eâdem re litigantes, habeant plus, quam probabilem opinionem de ſuo jure, cum una ex duabus opinionibus ſit falſa, non poſſit autem, quod falſum eſt, eſſe certum veri nominis certitudine. Porrò dari poſſe bellum utrimque formaliter juſtum docuit Covarruvias in Reg. peccatum p. 2. §. 10. n. 6. Petrus à Navarra lib. 3 de Reſt. cap. 1. num. 268. docuerunt alii permulti, quos citare ſit ſuperfluum in re tam notâ. Multi etiam expreſſius docuerunt ſimpliciter, probabilitatem poſſe ſufficere ad inferendum bellum; Baſſæus v. *Bellum* num. 9. Fr. de Lugo de Conſcient. q. 11. num. 87. Malderus 2. 2. q. 40. a. 1. dub. 4. §. *ſecundo autem*, aliique.

244. Sinnichius ibidem Tamburinum accuſat, quod ibidem dixerit, probabilem eſſe quorumdam Doctorum ſententiam, ſufficere probabilitatem juris, ut liceat bellum inferre, etiamſi alter ſit poſſeſſor.

Tamburinus loco citato non affirmat, ſententiam illam eſſe probabilem: ſic loquitur. Quid ſi alter *poſſideat? Reſpondeo, tunc ex meâ ſententiâ non poſſe...... Dixi, ex meâ ſententiâ: nam ex bonorum Auctorum opinione poſſe video.* Hoc verò non eſt idem, ac dicere, ſententiam illorum Auctorum eſſe probabilem: uti ſi ego dicam, *Ignorantiam invincibilem juris naturæ ex Janſenii & Doctoris Sinnichii opinione à peccato excuſare non poſſe video,* non cenſebor dicere eſſe probabile dogma illud. Ex eo quod illud de bello inferendo poſſeſſori ſenſerit unus alterve Auctor bonus, ne quidem in ſententiâ Tamburini ſequitur, illam opinionem eſſe probabilem ſaltem practicè: ipſe ad hoc requirit l. 1. cap 3. §. 3. num. 1. ut *pro parte oppoſitâ nihil appareat convincens.* In præſenti autem quæſtione de bello inferendo, ipſe contra opinionem illam aliquid convincens attulit: quia, inquit, ibidem §. 4. num. 30. *poſſeſſionem favere poſſidenti, eſt lex canonica ab omnibus obſervanda*: hoc inculcat alibi: imò paucis ibi lineis inculcat tertiò, aut ſæpius, dicitque id alibi ſe *dixiſſe, cantaſſe, & inculcaſſe.* Inculcat verò ſtudioſè: *Quid ſi*, inquit num. 32. *ſit opinio practicè probabilis, quod dictus Rex poſſit regnum ab alio poſſeſſum occupare? Reſpondeo tunc ſanè etiam in meâ ſententiâ poſſet: nec mirum: quia jam ſuppono, eam opinionem eſſe practicè probabilem. At ego adverto hanc* NUMQUAM FORE OPINIONEM PRACTICE PROBABILEM *ex principiis intrinſecis: nam eſto ex auctoritate extrinſeca num. 31. dicta* (ESTO, non eſt affirmantis) ..... *quia nemo ſpoliari poteſt à ſuâ poſſeſſione, niſi* CERTÒ MORALITER CONSTET *poſſidentem iniquè poſſidere.*

245. Ce-

245. Ceterum quam ſententiam Tamburinus non tradidit, ac meritò nequidem probabilem vocavit, illam tradidit abſolutè non tantum Joannes Sanchius d.44. num.57 ſed etiam Baſſæus v. *Bellum* num. 9. & quidem nihil diſtinguens inter probabilitatem juris, & facti. Hunc Auctorem, qui librum Antverpiæ impreſſerat jam ab Annis decem, Sinnichius habebat ad manum: ſed maluit legere in libro Tamburini, quod non habebat ejus liber.

246. Sinnichius Saulis Exr. cap.109. pag.450. col.1. in Vind. cap.22. pag. 491. affirmat, ex doctrinâ Tamburini ſequi quamdam *poſitionem periculoſam, ac perniciofam ſubditis*, ut loquitur: *poſſe nimirum Reges probabili aliquâ ratione munitos adigere ſubditos ad militandum*, AD SUMPTUS BELLI CONFERENDOS &c.

Supponit verò Tamburinum dixiſſe probabilem ſententiam quorumdam Doctorum, qui putarint Regem probabili ratione juris ductum licitè inferre bellum etiam in poſſeſſorem: eſt verò omnino falſum, quod Tamburinus dixerit probabilem iſtam ſententiam, ut jam patuit.

Sed ſingamus Conſectarium illud Sinnichianum eſſe conſequens ex dicto Tamburini: non debuit hic potiſſimum reprehendi à Sinnichio ob quamdam conſequentiam, quam ipſe non fecit, ſed facere quis poſſet, quando conſequens ipſum habet Auctores, & aſſertores multos, & graves ſcriptores

247. Inter eos, qui affirmant miniſtros regios, adeoque & Reges, in imponendis populo oneribus tributorum, ſequi poſſe opinionem minus probabilem, relictâ probabiliore, Diana p.1. tract. 3. reſol.20. citat Morlam, Lorcam, Martinez, Alvarez, Delrium, Hier. de Rua, Joannem Sancium, Fagundez. Petrum à Navarra.

Doctor Sinnichius non legerat Barnabam Gallego tract. de Conſc probabili circa regem dub.19. qui ſic ibi loquitur. *Si inquiras utrum Rex in imponendis tributis ſequi poſſit opinionem probabilem? Reſpondeo affirmative: quia non debet eſſe pejoris conditionis quam reliqui, qui poſſunt juxta probabilem opinionem operari.*

Multos eſſe hujus ſententiæ Auctores aſſerit Joannes Sanchez d. 44. num. 58. remittit verò Lectorem ad ſuam Diſp. 31. num. 35. ubi citat Cordovam, Lopez, Malderum, Leſſium, D. Antoninum, Vegam, Salonium &c.

248. Certè ſi ſupponat quæſtio eſſe probabile, quod liceat Regibus adigere ſubditos, ad ſumptus belli conferendos, Auctoribus hactenus citatis nemo eorum adverſari poteſt, qui docent univerſaliter licere ſequi opinionem probabilem de honeſtate actionis &c.

Denique non poſſunt repudiare ſententiam illam, qui cenſent, Judicem

cem poſſe ferre ſententiam ſecundum opinionem probabilem de jure unius partis, relictâ probabiliori. Improbanda modis omnibus ſententia, non paucos nacta eſt Auctores, ut patuit num.225.226.

Ex his patet, quam putidè Sinnichius reprehenderit Tamburinum de unâ conſequentiâ, quam Tamburinus non fecit, eâque deductâ ex quâdam aſſertione, quam Tamburinus non poſuit: cum tam multi eſſent Auctores qui vel conſequens ipſum directè aſſeruerant, vel id docuerant, unde poſſet illud deduci liquidâ conſequentiâ.

§. II.

Temerè, ac falsò accuſatus à Sinnichio Caſtropalaus circa doctrinam de inferendo bello ex ſententiâ probabili.

249. SInnichius Saulis Exr. cap.109. pag.449. col.2. in Vind.cap.22. pag.209. affirmat, Caſtropalaum, *loco per Tamburinum notato*, docuiſſe, quod *in probabilitate ortâ ex jure quilibet Rex licitè bellum gerere contra alium poſsit, etiamſi alter poſsideat.*

Tamburinus l.1. cap.3. §.4. num.31. citavit pro iſtâ ſententiâ Caſtropalaum tom.1. tract.1. d.2. p.7. num.1. ſed erravit ignoſcendo ipſi errore, quia non agebat Cenſorem Caſtropalai: Sinnichius non ſimiliter meretur veniam, cum partes ſumpſerit Cenſoris, & reprehenſoris, ac proinde obligaretur ad diligentiam majorem.

Caſtropalaus loco citato ſic loquitur: *Si attento jure eſt probabilis opinio* LICERE *Regi urbem ab alio Rege poſſeſſam occupare, nemini eſſe poteſt dubium, poſſe tunc intentare poſſeſsionem, & ſi ab alio poſsidente impediatur, bello vindicare.* Non aſſerit Caſtropalaus eſſe probabile iſtud *licere*; ſed aſſerit *poſſe intentari poſſeſsionem, ſi attento jure eſt probabilis opinio* LICERE. Probabilitas, de quâ loquitur, eſt de ipſo *licere*, ſeu de honeſtate actionis, non verò de ipſo *jure*: non enim ſequitur: eſt probabile jus, ergo eſt probabilis *honeſtas*: multa enim impedire poſſunt probabilitatem *honeſtatis*, quæ non impediunt honeſtatem *juris*; ſicuti multa impedire poſſunt probabilitatem honeſtatis in actione baptiſmali, quæ non impediunt probabilitatem valoris in eâdem actione. Patet etiam hæc mens Caſtropalai: quia dicit, de ſuâ aſſertione *nemini eſſe poſſe dubium*: quia ſcilicet loquebatur de probabilitate ipſius *licere*, ſeu honeſtatis; neque putabat eſſe Theologum ſuo tempore, qui negaret, licere ſequi opinionem probabilem de honeſtate actionis.

250. Confirmantur hæc: quia cum dixiſſet Auctor num.1. poſſe Regem inferre bellum, ſi eſſet probabile *licere*, mox num.2. ponit aſſertionem hanc: *Verum ſi probabilitas ſit* EX PARTE FACTI, VEL JURIS, *ſi poſt factam*

tiam diligentiam, res eſt ſolum probabilis, & alter eſt in poſſeſſione, nullo modo poteſt alterum à poſſeſſione deturbare. Hic videmus clarè, quomodo diſtinguat probabilitatem *juris*, & *facti* à probabilitate ipſius *licere*, ſeu *honeſtatis*, de quâ in priori aſſertione locutus erat.

Neque refert quod pro priori aſſertione citaverit Joannem Sanchez: rectè citavit: quia & hoc, & plus docuit Joannes Sanchez.

Ex his apparet, immeritò Sinnichium ibidem dixiſſe, Caſtropalaum ea, quæ docuerat dicto num. 1. retractaſſe tom. 1. tract. 6. d. 5. p. 3. num. 8. his verbis: *Adverto te non poſſe alium à poſſeſſione regni deturbare, ex eo, quod credas regnum ad te pertinere, niſi ſimul valeas claris probationibus convincere:* quadrant hæc optime cum iis, quæ ſuprà dederat, ut ex dictis eſt manifeſtum.

CAPUT XVIII.

De Simoniâ.

§. I.

Calumnia Sinnichii ad doctrinam Gregorii à Valentia de Simonia.

251. SInnichius Saulis Exr. cap. 107. pag. 436. col. 2. in Vind. cap. 20. pag. 260. indicat Gregorium à Valentiâ tom. 3. d. 6. q. 16. p. 3. eſſe auctorem hujus Articuli: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: vel etiam quando per temporale fit ſolum compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contra: & id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale: imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris* ÆSTIMETUR, QUAM RES SPIRITUALIS.

Gregorius Valentia loco à Sinnichio citato §. *ſed poſſunt*, prorſus docet contraria iſti articulo, cum enim pag. 2045. retuliſſet Auctores alios affirmantes, alios negantes *eſſe ſimoniam conferre ſpirituale principaliter propter temporale, tamquam propter finem*, mox ipſe diſtinguit his verbis: *Dupliciter poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter tamquam propter finem. Uno modo ita, ut temporale ſit apud eum finis non modo voluntatis, & applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale, ſed etiam ipſius ſpiritualis;* SI VIDELICET ILLUD TEMPORALE ÆSTIMET PLURIS, *non modo quam actum conferendi hic, & nunc ſpirituale, ſed etiam quam* IPSUM SPIRITUALE, *quod confert.* ET TUNC OMNINO COMMITTIT TALIS SIMONIAM. *Altero modo poteſt quis*

Digitized by Google

conferre ſpirituale &c. ita ut temporale apud eum non ſit etiam finis ipſius rei ſpiritualis (quaſi temporale pluris ab eo, quam ſpirituale aſtimetur) ſed tantummodo voluntatis ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimonia.

Conſideranti hæc verba erit difficile ſtatuere, quo conſilio Sinnichius relato Articulo citaverit Valentiam tom.3. d.6. q.16 p.3. quia ut patebit conferenti hæc verba cum Articulo, docet bi diſertè contradicentia Articulo, ſecundum eam partem, quæ præcipuè eſt obnoxia invidiæ.

252. Ceterum docet omnino Valentia priorem partem Articuli: docet loco citato in princip. tamquam certum, poſſe dari ſine ſimoniâ temporale pro ſpirituali, aut contrà, duobus modis: PRIMUS *eſt*, inquit, *quando temporale eſt dumtaxat motivum conferendi, aut efficiendi ſpirituale, aut è contrario.* SECUNDUS *eſt, quando per temporale fit ſolum compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contrario.* Hinc docet licere populo præbere ſtipendia Miniſtris Eccleſiæ: non eſſe ſimoniacum impendere obſequia Epiſcopo, ſpe rependendi beneficii Eccleſiaſtici, & alia hujuſmodi, quæ conſtat communiter à Theologis approbari. Crediderim itaque Cenſoribus Articuli præcipue diſplicuiſſe partem articuli poſteriorem, quam Valentia non tenuit, ſed diſertè negavit, ut patet ex ejus verbis ſuprà, ſi conferantur cum Articulo.

§. II.

Quanto jure Sinnichius Tannerum accuſet de doctrinâ favente ſimoniacis.

253. SInnichius ibidem Articuli jam memorati Auctorem alterum adſcribit Tannerum Tom.3. d.5. q.8. dub. 3. num. 64. & ſeq. ſed pro ſuâ benevolentiâ in Auctores hujus generis, nullam rationem habuit illius cautionis, quam n.67 adhibet Tannerus his verbis; *Eſto quidem tali commutatione grave peccatum committatur, ac ſimul in caſibus jure expreſſis ſimonia ſaltem juris poſitivi incurratur, ut dictum eſt n.* 65. ubi magis abſolute affirmaverat de *ſimonia poſitiva.*

Quod ergo affirmavit Tannerus, illam donationem temporalis pro ſpirituali *ſolum tamquam propter motivum,* vel *finem* VERE & PROPRIE *ſimoniam non eſſe*, eò ſpectat, ut ſolum diffiteatur, eſſe ſimoniam naturalem, quæ propriiſſime eſt ſimonia; non verò, ut neget eſſe ſimoniam poſitivam, aut peccatum mortale contra religionem. Hæc non erant diſſimulanda à Cenſore.

254. Animadverto igitur, totam illam doctrinam magis pertinere ad ſpecu-

ſpeculationem, quam ad praxim. Certè Tannerus omnino damnat, ut ſimoniacam, omnem commutationem, *quâ ſpirituale pro temporali commutetur tamquam pro æquali ſecundum exiſtimationem commutantis; ita ut per contractum juſtitiæ res ſpiritualis commutetur*: verba Tanneri ſunt loco citato n. 64. Quando igitur à ſimoniâ naturali eximit donationem rei temporalis ob ſpiritualem, aut contrà, tamquam propter finem, non ponit. rem temporalem exiſtimari æqualem, aut meliorem re ſpirituali; ſed amorem rei temporalis eſſe majorem, quam rei ſpiritualis: hoc illum intelligere per hanc phraſim, *pluris æſtimare*, oſtendunt ſuperiora, ſimulque quod ſubdit dicens, *Talem æſtimationem locum habere in omni peccato mortali*, *ubi Deus poſtponitur rebus temporalibus.*

255. Denique exempla quibus utitur in Corollariis non paucis à Valentiâ ſumptis, planè oſtendunt, nihil illum diſcrepare ab aliis vulgò Theologis, niſi fortaſſe modo loquendi: ſunt enim ejuſmodi, ut paſſim ab illis admittantur ſingula, ut inſpicienti patebit. Negat ipſe, ſe diſcrepare à Dom. Soto, & Victoria, & meritò: Victoria enim Relectione de ſimoniâ, cum dixiſſet n 31. *Illicitum eſſe conferre ſpirituale ad captandum quodcumque commodum non ſpirituale*, mox ait, ſibi non videri iſtud mortale: ac denique ut ut ſit de hoc, ſic definit. *Non puto hoc peccatum eſſe* PROPRIE *ſimoniam*: citat Cajetanum. Nota particulam *propriè*, quam à Victoriâ mutuatus eſt Tannerus.

Similiter Sotus lib. 9. de Juſt. q. 6. a. 2. cum retuliſſet doctrinam D. Thomæ docentis, *Simoniam committi, ſi ſtipendium ſit* FINIS *celebrandi divinum officium*, ipſe illam explicat de eo, qui *intendit pro re ſpirituali pretium recipere*: reſolvit verò, quod *ire ad Eccleſiam* TANTUM DISTRIBUTIONUM *causâ*, non ſit ſimonia, niſi intendatur pretium pro re ſpirituali. Conſentanea docuit Malderus Epiſcopus, & Lovanienſis Doctor 2.2. tract. 9. cap. 3. dub. 1.

256. Quid his immoror? Doctor Sinnichius non habuit bonum delectum in cenſurandis ſententiis de ſimoniâ. An ignorabat, quam multi eſſent, qui docuerunt, non eſſe ſimoniam, obligare ſe pacto expreſſo ad conferendum ſpirituale pro temporali ex gratitudine, vel alio titulo diſtincto à commutatione juſtitiæ? Sic docuerunt Covarruvias lib. 1. variarum cap. ult. num. 4. Dom Sotus l. 9. de Juſt. q. 6. a. 1. Cajetanus 2. 2. q. 100. a. 2. Joannes Pontius in Curſu Theol. d. 55. q. 3. concl. 1. Marcus Vidal in Arca Theol. Mor. tit. de ſimonia Inquiſ. 2. num. 45. & alii numero permagno, cujus aliquam partem exhibet Diana p. 11. tract. 7. reſol. 23. ad illos & Tannerus acceſſit. Serra verò 2. 2. q. 78. a. 2. dub. 1. etiam in hanc partem explicuit D. Thomam.

CAPUT XIX.

De Gula.

§. I.

Turbatio Sinnichii ad doctrinam Eſcobarii de gulâ uſque ad vomitum.

257. SInnichius Saulis Exr. cap.114. pag. 507. in Vind. cap.27. pag. 436. graviter turbatur legens in Theol. Morali Eſcobarii tract. 2. Exam. 2. cap.5. §.1. num. 56 ad Quæſtionem; *quodnam peccatum gula eſt?* hanc reſponſionem: *Ex genere ſuo veniale, etiamſi abſque utilitate ſe quis cibo, & potu uſque ad vomitum ingurgitet; niſi ex hujuſmodi vomitione gravia ſaluti incommoda exoriantur.* Quod dicat Auctor, gulam *ex genere ſuo veniale peccatum*, intellige *regulariter*: ſic ſe explicuit in edit. Lugdun. Anni 1652. lib. 4. ſect.1. cap.11. num.110. agit etiam de gulâ, ut eſt ſejuncta ab ebrietate, ut ex contextu in utraque editione eſt manifeſtum. Sed neque Sinnichium offendit potiſſimum illa particula *ex genere ſuo*.

In eo valde turbatur, quod Eſcobarius affirmavit, gulam eſſe veniale peccatum, etiamſi abſque utilitate uſque ad vomitum proceſſerit, niſi gravia ſaluti incommoda exoriantur. Hinc putat ab Eſcobario traditum eſſe Articulum reprobatum à Scholâ Theologicâ Lovanienſi, & poſtea proſcriptum à Namurcenſi Synodo. *Non niſi veniale eſt etiam abſque utilitate ſe cibo, ac potu uſque ad vomitum ingurgitare: niſi ex hujuſmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur*: quem Articulum Lovanienſes Theologi appellarunt *Scandaloſam aſſertionem, & falſam* IN SUA GENERALITATE: hoc ut diſcerent homines, non erat opus judicio magnorum Theologorum: nam & idiotis id notum eſt, & pueris: neque Eſcobar illa aſſeruit *in ſuâ generalitate*: poſt pauca enim pronuntiat ſimpliciter, quod *ſeſe ſcienter inebriare uſque ad uſus rationis privationem mortale ſit*.

258. Attamen Eſcobar negat, ingurgitationem uſque ad vomitum citra ebrietatem (de hâc ſibi reſervat quæſtionem integram) eſſe peccatum mortale, niſi pariat grave incommodum valetudini. Hoc iſtud eſt, quod conturbat Sinnichium. *Quiſnam* inquit, *eundem Articulum huic Auctori præformaverit, aut tradiderit nec ipſe in particulari expreſſit, nec ego hactenus reperire potui.* Si Doctor Sinnichius legiſſet ſaltem Theologiam Eſcobarii editionis

Digitized by Google

editionis Lugdun. Anni 1652. auctiorem, & correctiorem quæ jam Annis decem videbat lucem, cum Saulem ſuum ipſe excudit, inveniſſet ab Eſcobario l. 4. ſect. 2. cap. 22 Prob. 24. num. 227. pro ſuâ ſententiâ citatos Dianam p.5. tract.13 reſol. 40 Joannem Henriquez in Comp. caſ. moral. cap.19. num.9. Eligium Baſſæum v. *gula* num. 2. apud Dianam loco citato hæc lego Reſol. XL. *An qui edit uſque ad vomitum peccet mortaliter. De hâc quæſtione olim mihi quæſtio fuit cum quodam Religioſo Dominicano: ille enim aientem ſententiam ſuſtinebat; ego negantem, quod nunc etiam teneo, & tenet noviſſime Ioannes Henriquez.* Hic Auctor loco citato ſic loquitur: *Aliqui Doctores affirmarunt, quod etiam ſit peccatum mortale gula, quando homo advertenter edit uſque ad vomitum. Tamen* ALII DOCTORES *affirmant probabilius, quod hoc non ſit plus, quam peccatum veniale; quia non eſt ratio ulla, quæ probet eſſe mortale &c.* Hæc ille totidem verbis hiſpanicè· in quibus nota hæc verba, *tamen alii Doctores*, ut intelligas, jam pridem fuiſſe non paucos, qui illa docuerint. Sed planius, ampliuſque loquitur Baſſæus Belga: *Gula regulariter eſt peccatum veniale, etiamſi abſque utilitate uſque ad vomitum etiam intentum, ſeſe quis cibo, & potu ingurgitet.* Mirum quod Sinnichius non ſaltem in Diana, aut Baſſæo, qui ad manum erant, invenire potuerit rem diligenter quæſitam, ut præ ſe fert. Et certe neſcio, quam prudens ſit generalis iſta regula, quod comedere, & bibere uſque eò, ut ſequatur vomitus, ſit peccatum mortale.

§. II.

Cavillatio & impoſtura Sinnichii ad eamdem Eſcobarii doctrinam.

259. SInnichius Saulis Exr. cap 114. pag. 509. col. 1. in Vind. cap. 27. pag. 441. graviter redarguit Eſcobarium, qui Theol. Moral. tract. 2. Exam.2. cap. 8 §. 6. num. 102. negaverit, *Peccatum eſſe comedere, & bibere uſque ad ſatietatem: quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Hæc reprehendens ille, *Non ait* UTI *ſed* FRUI, inquit, *hoc eſt ipſis propter ipſos delectatione inhærere*: hoc ex Auguſtino probat operoſe.

Sed verò cavillatur: legerat Eſcobarii hæc verba: *Quandonam gula peccati mortalis terminos attingit? Quando in eâ ultimus hominis finis collocatur.* Potuiſſet item legere hæc in Theologiâ Eſcobarii edit. Lugdun 1652 l. 4. ſect.1. cap.11. num. 109. *Gula quidem in ſex caſibus eſt peccatum mortale. Primò quando aliquis in cibo & potu ponit ultimum finem juxta illud Pauli*; Quorum Deus venter eſt; *nimirum quando homo nihil quærit quam comedere, ac bibere, ita ut potius ſit paratus quodcumque piaculum perpetrare, quam pati in cibo, ac potu defectum.*

260. Poſt

260 Poſt hæc ſi iſtud Sinnichio diſplicuerit in Eſcobario quod putarit, non eſſe obligationem referendi poſitivè comeſtionem, alioſque actus ſingulos in finem ſublimiorem, an ignorabat Eſcobario præiſſe Theologos innumeros, præcipue ſcotiſtas? Saltem minus periculi eſt hos ſequi, quam Baii diſcipulos, quibus placet illius Articulus 38. à tribus Pontificibus damnatus: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffusâ, Deus amatur*, aut hic alter 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia:* quem placuiſſe Sinnichio oſtendam infra.

261. Sinnichius Saulis Exr. cap. 114. pag. 510. col. 2. in Vind. cap. 27. pag 445. avelli nequit à doctrinâ Eſcobarii diu exagitatâ, quâ dixerat, gulam etiam uſque ad vomitum veniale peccatum eſſe poſſe, ſi valetudini non crearet grave incommodum. Graphicè Sinnichius *uſque ad hunc effectum*, inquit, *Bacchici crateris, qui eſt vomitus, permittit Eſcobarius pervenire bibones, eatenus ſaltem ut gravem culpam neutiquam incurrant, dummodo tamen grave incommodum valetudini ſuæ non inferant.*

Si. Imponit Lectori hæc ſcribens: non permittit hoc universè Eſcobarius: cautè addidit, eſſe veniale peccatum *ex genere ſuo*, ſeu *regulariter*, ut obſervatum eſt: egit quoque de gulâ, ut ſejunctâ ab ebrietate, vide dicta hic num. 257. conſtat ſcilicet poſſe hominem per ebrietatem privari uſu rationis, etſi ad vomitum non pervenerit: ebrietatem illam ſimpliciter affirmat Eſcobar eſſe peccatum mortale, ut obſervatum ſuprà eſt.

262. Sinnichius ibidem ad illa Eſcobarii verba; *Niſi ex hujuſmodi vomitione gravia ſaluti incommoda exoriantur*, miratur, quia ſic lubet: MIRARI LUBET, inquit, *Theologum Chriſtianum ſilentio præteriiſſe pericula animæ, ubi tantam gerit curam valetudinis corporis.* Fuit enim verò & *Chriſtianus*, & Catholicus Theologus, & qui cum Sinnichio de Obſervantiâ Eccleſiæ Romanæ, & Pontificiorum decretorum contendere potuerit, Eſcobarius. Sed Sinnichius erat doctus, capere admirationes, cum *luberet*. Miratus eſt Eſcobarium *præteriiſſe pericula animæ*: & tamen legerat illo capite de Gulâ tam diligenter à ſe excuſſo hæc verba Eſcobarii num. 58. *Quandonam gula peccati mortalis terminos attingit? I. Quando in ea ultimus finis hominis collocatur. II. Quando eduntur à lege prohibita. III. Quando ex cibo & potu grave corpori malum exoritur, & ægritudo:* VEL ANIMO, UT PECCATUM MORTALE. *IV. Quando ſcandalum exurgit. V. Quando cibis, quos natura prohibet, quis veſcitur* &c. Poterat legere in Theologiâ Eſcobarii Lugduni edita An. 1652. hæc ipſa diffuſius explicata pag. 162. col. 1. & 2. Sed Sinnichio *lubebat mirari.*

CAPUT

CAPUT XX.

De Matrimonio.

§. I.

Imperitè à Sinnichio accuſatus Tamburinus circa doctrinam de matrimoniis ſine conſenſu parentum.

263. SInnichius Saulis Exr. cap. 109. pag. 448. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 286. ſeverè perſtringit Tamburinum, quod docuerit l. 5. cap. 2. §. 3. num. 5. *probabile eſſe, ac tutum, quod poſſint filii licitè cum indignis contrahere, Patre, vel genitrice diſſentientibus.* Ad quam doctrinam Sinnichius, *Auctores,* inquit, *de aſſumptione indignarum ſpecificè non diſſeruerunt, quia nullum ejus approbatorem umquam futurum timuerunt: verum præter omnium ſpem, nec ſine juſtâ omnium parentum indignatione inventus tandem eſt Tamburinus &c.*

Exaggeratio eſt inanis. An neſciebat Sinnichius, Auctores permultos docuiſſe univerſaliter, filios non peccare mortaliter (quod unum affirmat Tamburinus) invitis parentibus contrahentes, ſolumque excipere caſum, quo ex matrimonio timerentur ſecutura ſcandala, aliaque incommoda gravia, quem & excipit Tamburinus? Auctores illos dabit numero magno etiam D. Thomam, & Scotum Thomas Sanchez de Matrim. d. 23. num. 10. Quid ergo *Auctores nullum ejus doctrinæ approbatorem umquam futurum timuiſſe* affirmat, exclamatque *præter omnium ſpem inventum eſſe tandem Tamburinum* &c.?

264. Præproperè verò & imperitè affirmantem audivimus, *Auctores de aſſumptione indignarum ſpecificè non diſſeruiſſe.* Diſſeruit Enriquez l. 11. cap. 6. num. 4. diſſeruit Covarruvias Tom. 1 de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 8. ubi cum num. 1. docuiſſet, honeſtum eſſe filias in nuptiis contrahendis parentum conſenſum exigere num. 5. ſtatuit *filiam matrimonium contrahentem in facie Eccleſiæ etiam ſine licentiâ patris, non poſſe jure à Patre exhæredari: nemini enim facere injuriam* &c. De hâc verò aſſertione loquens, *Aſſertio*, inquit, *communis locum habet, etiamſi filia nubat turpi, vel indigno ante ætatis annum 25. etiamſi pater vellet eam tradere in uxorem æque digno viro, & honeſto, congruâ ſibi conſtitutâ dote*, OB HANC LIBERTATEM QUÆ IN CONJUGALI CONSENSU REQUIRITUR. Pro eâdem ſententiâ, quatenus procedit de nuptiis cum indignis citat ibi Covarruvias permultos: Covarruviam iſto loco ſequi ſe profitetur Victoria in ſummâ de Matrim. num. 269. diſſeruerunt ergo

Auctores

Auctores de quæſtione illâ ante Tamburinum, neque hic primus eſt inventus, qui illa doceret.

§. V.

Iniquè accuſatus à Sinnichio Tamburinus circa doctrinam de uſu conjugii ad ſedandam concupiſcentiam.

265. SInnichius Saulis Exr. cap.111. pag.478. col.2. in Vind. cap.24. pag.369. Tamburinum reprehendit *tam laxum*, inquit, *ut copulam conjugalem ſolâ libidinis ſedandæ cauſâ exercitam excuſare ab omni culpâ etiam veniali non dubitet.*

Tamburinus l. 7. cap. 3. § 5. num. 5. ſic illud docet, ut ſolum neget neceſſitatem intendendi poſitive alios fines; non autem ut neget aliis, aliiſquè modis intervenire poſſe peccatum; putà immoderatione, & exceſſu &c. Etiam diſertè monet num.7. regulariter peccatum eſſe *excludere finem multiplicandæ prolis, & cupere filios non procreare.*

Rurſus Tamburinus illo num. 5. finem ſufficientem ad excludendum peccatum veniale aſſignat *Carnis concupiſcentiam ſedandam*: per hanc verò intelligit, quod alii Theologi communius appellant, *periculum incontinentiæ vitandum*; quod mihi manifeſtum fit ex eo, quod dicat num. 7. Thomam Sanchez adverſari illi doctrinæ, quatenus aſſerit lib. 9. de Matrim. d.9. tunc ſolum excludi venialem culpam per illum finem, quando non habet conjux alia media, quibus ſedet concupiſcentiam. Sanchez autem illa diſputatione ſolum agit de conjuge intendente *vitare periculum incontinentiæ.*

Jam ergo qui aliquid Moralis Theologiæ attigerunt, ſciunt optimè, quam non ſit propria Tamburini doctrina illa, de quâ ipſum Doctor Sinnichius putavit præcipue ſugillandum. Sanchez loco citato pro doctrinâ illâ citat Richardum, Durandum, Majorem, Altiſidorenſem, Almainum Nicol de Orbellis, Cajetanum, Metin. Nider, Calaia, Philiarchum, Anglez, Palacios, Navarrum, Perez, alioſque. Non mihi lubet in re tam exploratâ omnibus, ſingulos adire.

266. Fingamus jam quod Tamburinus id aſſeruerit de *concupiſcentiâ ſedandâ*, etiam cum *periculum incontinentiæ* non adeſt. Iniquus fuit Sinnichius vel ignarus rerum maxime pertinentium ad munus Cenſoris, cum judicavit de hâc doctrinâ præcipue reprehendendum Tamburinum.

Poterat minori injuriæ periculo eos reprehendere, qui docuerunt, nequidem veniale peccatum eſſe uſum conjugii propter ſolam delectationem. Nam quod affirmat Sinnichius Saulis Exr. pag. 479. col.1. in Vind. pag.370.

pag. 370. *Qui ſolâ ſedandæ concupiſcentiæ cauſâ debitum conjugale extorquet, eum ſolius delectationis fine ad copulam ſe accingere*, falſum prorſus eſt: hebetem eſſe oportet, qui hoc non videt: nihilne plus eſt velle ut *ſedetur concupiſcentia*, quam *velle delectationem*? Poteſt volens delectationem non velle, ut ſedetur concupiſcentia; imò nolle, ut ſedetur, quo diuturnior ſit delectatio: aliud ergo, & plus aliquid eſt, velle ut ſedetur concupiſcentia, quam velle delectationem: adeoque rectè hæc diſtinxit Tamburinus, uti & alii Theologi paſſim.

267. Porro uſum matrimonii propter ſolam delectationem ne quidem eſſe peccatum veniale docuit non ſolum Joannes Sanchez d. 23. num. 25. ſed & apud hunc Major verbis ibi relatis: docuit quoque apud Almainum Martinus. Verba Almaini exponentis Argumenta Martini refert idem Sanchez ibidem: ipſeque Almainus dicit illa habere *apparentiam magnam*. Eſt verò ibi ſermo de *cognoſcente uxorem referendo ad delectationem præcisè*. Quare movere non debet, quod ſub finem dicatur; *Dummodo non conſtituat delectationem tamquam finem ſupremum*. Similia animadverto ad verba Majoris, qui expreſſis verbis oſtendit ſe agere de operante *ob ſolam delectationem*, mox addit, *non ponendo illic finem principalem*, hoc eſt ultimum poſitivè: quod lectis verbis Majoris explicat Eckius Homil 70. de Sacramentis ita, *ut magis à voluptate affectus ſit, quam à præcepto divino, vel omnino ita exardeſcat in illâ, ut velit opus hoc perficere, etiamſi non ſit hæc ſua uxor*. Unde illorum Auctorum doctrinam vocat ſatis probabilem Veracruz 3. p. ſpeculi a. 16. concl. 2. in fine.

268. Tenuit verò ſententiam abſolutè Baſilius Pontius l. 1. de Matrim. cap. 21. num. 7. & ſeq. tenuit Machado apud Leandrum de Sacram. tract. 9. d. 25. q. 17. tenuerunt alii: ſed his gravius Sinnichio viſus eſt peccare Tamburinus, quia finem præſcripſit nobiliorem; *ſedandam concupiſcentiam* imo *vitandum periculum incontinentiæ*: hoc ille titulo dici debuit *Tam laxus* &c. Bene eſt; quod eodem fere tempore, quo illa ſcripſit Sinnichius, aliud viſum fuerit gravi Theologo Belgæ Franciſco Bonæ Spei, apud quem tract. de Matrim. d. 8. dub. 1. num. 26 hæc lego: *Puto eſſe licitum ob quemcumque finem etiam extraneum (honeſtum tamen, vel ſaltem indifferentem) moderatam v. g. delectationem, hæreditatem, vel lucrum, ſi proles naſcatur &c. principaliter copulam intendere; modo fines intrinſeci poſitivè non excludantur*: quam & ſententiam circa idem tempus pari auctoritate Guil. Herinx Tract. de Matrim. d. 7. q. 5. num. 29. dixit *ſatis conſonare ſententiæ aſſerenti, dari actus in individuo indifferentes*, nihil dubitans, quin licita eſſet copula petita à conjuge *præcisè ut evitet periculum incontinentiæ in ſemetipſo*; nihil illis in mentem venit de laxitate Tamburini.

CAPUT XXI.

De occaſione, & cooperatione peccati.

§. I.

Imperitia Sinnichij ad doctrinam Tamburini de occaſione pollutionis.

269. Sinnichius Saulis Exr. cap. 13. pag. 498. col. 1. in Vind. cap. 25. pag. 416. aſſerit Tamburinum l. 7. cap. 3. §. 5. num. 52. *ſcripſiſſe ſatis conſentaneè* huic Articulo: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proximâ occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Quare? Quia tractans de cauſis excuſantibus eos, qui verſantur in periculo patiendi pollutionem, ſcripſit hæc: *Quoad cauſas excuſantes ea illa ſunt, quæ bonâ fide apparent neceſſaria, utiles, convenientes, imò & commoda corpori, vel animæ.*

Tamburinus iſto quidem loco illas tractat cauſas excuſantes, quæ ſunt actiones de ſe licitæ, ut oſtendunt exempla, quæ multa affert. Præterea expreſſe monet, debere abeſſe periculum conſenſus. Tum verò docet, *vel nullam fore culpam in actionibus vacare, vel in aliquibus ſolum ad ſummum venialem.*

270. Jam ego vellem ſcire, cur Doctor Sinnichius cenſeat hæc eſſe *conſentanea* illi Articulo: negat Tamburinus illam pollutionem eſſe peccatum, negant alii innumeri Theologi, adeoque negant verſantem in illis occaſionibus, verſari in occaſione peccandi: quid ergo commune habet Articulus ille cum doctrinâ Tamburini, & Theologorum communiſſimâ?

At Sinnichius habebat pro certo, quod pollutio ſequens actiones illas eſſet peccatum. Non erat ſatis, quod ille hoc haberet pro certo: erat opus efficacibus argumentis, quibus convinceret Tamburinum, & alios Theologos. Attulit profectò etiam unum argumentum: *An non eſt ingens commodum*, inquit, *habere integrum corpus &c.? Et tamen verax Magiſter Chriſtus eum perhibet conſentire in ſcandalum, qui non eruit, qui abſcindit abs ſe oculum ſcandalizantem: hoc eſt qui non ſemovet ac præſcindit res omnes, ac perſonas, occupationeſque animæ ruinæ ſibi præbentes.*

Verùm illi Theologi negabunt, pollutionem in illis occaſionibus, eſſe ruinam animæ, ſeu peccatum formale, cum non adeſt conſenſus: atque

ita

ita dicent, argumentum ſupponere id, quod eſt in quæſtione. Certè argumentatio illa, ſi haberet vim, probaret, etiam graviſſima incommoda, qualis eſt exciſio oculi, eſſe ſubeunda, ut vitaretur pollutio, etiam ſine periculo conſenſus. Verum nos ſimiles hallucinationes illius Doctoris differamus in aliud tempus.

271. Sed minus tolerandum eſt, quod ignoraſſe videatur communiſſimam ſententiam Theologorum, docentium Pollutionem, quæ ſecundum ſe non eſt volita, non plus malitiæ habere, quam habeat cauſa, ex quâ oritur. Fundant ſe in doctrinâ D. Thomæ 2.2. q. 154. a. 5. Et 3. p. q. 80. a. 7. ubi omnem malitiam pollutionis revocat ad cauſas. Sed inprimis audiendus Cajetanus in Opuſculis Tom. 1. tract. 22. Ex profeſſo: ac denique ſic paucis rem complexus: *Ex his igitur patet, jam hoc demonſtratum eſſe, quod hujuſmodi pollutiones, quæ ſecundum ſe non ſunt volita, ſed diſplicent ſive in ſomno, ſive in vigiliâ,* TANTÙM HABENT BONI, VEL MALI, QUANTUM IN SUA CAUSA SORTIUNTUR: cauſas verò diſtinxerit mortaliter, & venialiter malas, & fundat ſe in doctrinâ D. Thomæ. Sic & Angelus v. *pollutio* loquens de pollutione nocturnâ, *Dare operam*, inquit, *utendo calidis, vel alio modo, eſſet peccatum mortale, ſi propter hoc facit,* hoc eſt propter pollutionem: *ſecus ſi faceret propter guloſitatem, dubitando nihilominus de eâ: quia ſic eſſet veniale peccatum.* Mox loquens de pollutione in vigiliâ *Aliquando*, inquit, *eſt cum peccato veniali, quando præter voluntatem, & propoſitum provenit ex aliquo tantum peccato veniali, puta cogitatione non moroſâ, aut auditione &c.*

272. Similiter Gerſon 2. p. tract. de pollut. diurnâ prop. 1. pag. 38. littera E. *Nulla*, inquit, *pollutio diurna, vel nocturna plus habet de peccato, quam fuerit de conſenſu circa illam ...... conſenſus indirectus non plus cauſat in ſequentibus actibus de malitia, quam ipſe ſit malus. Et ita pollutio veniens ex ſolo conſenſu in crapulam venialem, dicenda eſt ſolum venialis.* Hæc ille loquens, etiam de pollutione diurnâ, ut patet etiam ex propoſ. 2. quam proximè ſubdit.

Similiter Bartholomæus de Medina 1. 2. q. 74. a. 5. & 6. *Notandum*, inquit, *quod hujuſmodi pollutiones, quæ in ſe non ſunt volitæ, ſed tantum in causâ, non habent aliam bonitatem, aut malitiam, quam eam, quæ eſt in cauſâ:* loquitur de pollutione diurnâ. Ludovic. Lopez 1. p. Inſtructorii cap. 73. in fine. *Regula generalis hîc ſtabilitur*, inquit, *quod ſi cauſa pollutionis eſt peccatum mortale, & ipſa quoque pollutio hinc ſecuta culpa mortalis erit: Sin autem fuerit cauſa ejus venialis; ipſa autem culpa tantum venialis erit.* Regulam eamdem ponit Joannes de la Cruz 1. p. Direct. præcept. 6. a. 8. Item Zanardus 1. 2. Direct. de 6. & 7. præcep. cap. 8. §. *quarta dico.*

273. Signanter verò pollutionem non eſſe peccatum mortale, ſi habeat cauſam ſolum venialiter malam etiam in genere luxuriæ docet Caje-

tanus 2.2. q.64. a.8. circa med. loquens de *pollutione nocturnâ, ex veniali delectatione in die habitâ conſequente.* Placet idem Acatio de Velaſco tom. 2. reſol. mor. v. *Luxuria* reſol. 209. agit verò de pollutione ſecutâ ex actione indifferenti, aut veniali: pro exemplo ponit aſpectum mulieris curioſum. At Vericelli tom. 1. tract. 4. q.25. num.8. nullam agnoſcit malitiam mortalem pollutionis ſeu diurnæ, ſeu nocturnæ, niſi *quando cauſa eſt per ſe influens, & peccatum mortale in genere luxuriæ.* Citat Navarrum, & alios.

Hæc tam multa, vel ignoravit Doctor Sinnichius vel ridiculè invectus eſt in Tamburinum, qui iſto loco, quem reprehendit ille, non facit mentionem, niſi de cauſis, quæ ſecundum ſe ſunt actiones honeſtæ, aut licitæ.

§. II.

Quomodo tractata à Sinnichio doctrina Tamburini de occaſione proximâ peccandi.

274. SInnichius Saulis Exr. cap. 113. pag. 498. col. 2. in Vind. cap. 26. pag.417. *Vide*, ait, *quouſque ſe exporrigat laxitas Tamburini.* Quouſque autem? Tamburinus l. 3. cap. 1. §. 5. num.4. ſic locutus eſt; „Sane omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non „poteſt: excuſamus v.g. fratrem habitantem juxta morem patriæ in eâdem domo parentum cum ſorore, licet habitatio ſit illis fortè cauſa peccandi, quia ejuſmodi occaſio, quamvis extrinſeca, non eſt voluntariè „aſſumpta.

Paucis adnotabo artificium Sinnichii ad hunc locum. Primò in referendis verbis Tamburini truncavit iſtud; *ſanè omnes excuſamus*, & ſolum poſuit, *excuſamus*; ut videretur Tamburinus ſuam propriè ſententiam ibi proferre, & non eam, quæ erat *omnium*, vel quam ipſe cenſebat eſſe *omnium*.

Secundò omiſit iſtud; *omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non poteſt*: ut videretur poni caſus, quo facilis eſſet ſeparatio fratris à ſorore.

Tertiò Doctor Sinnichius verbulum perceperat in iſto ſermone Tamburini de peccato fratris, & peccato ſororis occaſione cohabitationis, ipſe interpretatus eſt agi illico de *inceſtu*, & *inceſtatione cum ſorore.* Agit Tamburinus de caſu vulgari, & quotidiano, de quo inter omnes convenit, ſaltem judicio ipſius, ipſo patriæ more id teſtante, adeoque nihil videtur cogitaſſe iſto loco de inceſtu fratris cum ſorore, qui eſt rarus admodum, ſed de aliis peccatis faciliùs ſubrepentibus in cohabitatione. Quid intereà

Digitized by Google

ſenſerit Tamburinus de occaſione inceſtus, mihi non ſatis liquet, niſi quod ratio, quâ utitur, videatur univerſalis: ſed rei obiter tactæ non debuit rationem dare omnibus numeris perfectam, ſufficiebat ea tangere, quæ ad ſcopum faciebant valde diverſum à quæſtione illâ: neque eſſet difficile diſparitatem rationis invenire inter occaſionem inceſtus, & aliorum peccatorum occaſione iſtius cohabitationis facilius accidentium.

275. Quarto cum Tamburinus verbis ſuprà relatis dixerat, excuſari fratres illos, & ſorores, *quia ejuſmodi occaſio, quamvis extrinſeca, non eſt voluntariè aſſumpta*, exultans Sinnichius, *Quid juvat*, inquit, *quod occaſio illa non ſit voluntariè aſſumpta, ſiquidem ſit voluntariè jam continuata?* Hæc eſt magna cavillatio. Evidens eſt Lectori non cæco, Tamburinum ibi intelligere occaſionem *non voluntariè aſſumptam, nec retentam.* Paucis ante lineis bis fecerat mentionem de occaſione *involuntariè, vel certè non voluntariè aſſumptâ, & involuntariè retentâ:* imò, niſi verba truncaſſet Sinnichius, periodus ipſa, quam ille reprehendit, mentionem habet talis occaſionis: ſic incipit periodus: *Sanè omnes excuſamus à tollendâ occaſione,* QUAM QUIS VITARE NON POTEST: *excuſamus v. g. fratrem habitantem &c.* Ecce; occaſionem *quæ vitari non poteſt*, Sinnichius intelligit occaſionem, *quæ voluntariè continuatur:* quia illam ſemel Tamburinus vocans *non voluntariè aſſumptam*, neglexit vocare *non voluntariè retentam*, quo nomine jam vocaverat bis, aut tertiò, & poſt pauca verba iterum vocat. Satis eſt harum cavillationum.

276. Quæro, an reprehenderit Sinnichius, quod dixit Tamburinus; *Omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non poteſt*, hoc eſt, quam vitare eſt moraliter impoſſibile? non puto, hoc reprehenſum voluiſſe, quia ſermonem Tamburini truncavit iſtis verbis. Non debebat ergo reprehendere exemplum, quod ſubdit Tamburinus, de fratre, & ſorore, quos ſupponit Tamburinus non poſſe vitare cohabitationem; certè non debebat reprehendere in Tamburino peritiſſimum.

Cenſebatne Sinnichius, univerſaliter eſſe obligandos fratrem, & ſororem iſtius generis, ad deſerendam domum paternam? Tamburinum magis movebat Auctoritas Navarri, qui fuit Doctor aliquantò peritior harum rerum. Navarrus in ſummâ cap. 3. num. 16. & ſequentibus aſſignans non paucos caſus, in quibus non eſt deſerenda occaſio peccandi ſimilis ei, quàm ponit Tamburinus, fundat ſe in cap. *Conſultationi* de frigidis, & malef. ubi *Lucius III. definit*, inquit, *poſſe duos matrimonio junctos vivere conjunctim, ut frater & ſoror: licet non valeat coram matrimonium ob coeundi impotentiam*, cum præſenti periculo variè peccandi. Dicit mox Navarrus, etiam ſe moveri, *quod non oporteat nimis aſtringere pœnitentem: quia*, inquit, *qui nimis emungit, elicit ſanguinem.* Num. 21. dicit *poſſe abſolvi ſine ſeparatione cognatas, ancillas ac famulas, quæ rem habuerunt cum ſuis conſanguineis, ac dominis,*

vel bis, in quorum domibus degunt, concurrentibus quatuor prædictis, hoc eſt dolore, propoſito, credulitate emendationis, & *aliquâ rationabili causâ*; qualem dicit in illis perſonis inveniri. Mox agens de relabentibus iiſdem, affirmat, abſolvi poſſe *tertiâ, & quartâ vice*: quia *non ſemel, aut bis*, *vel ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſexties eſt parcendum.* Addit ſe demum negaturum abſolutionem, ſi videret, quod vicibus præteritis nulla emendatio extitiſſet &c. *Faciliùs tamen*, inquit, *negarem abſolutionem famulæ, quam cognatæ, & cognatæ, quæ non eſſet in primo gradu, quam ancillæ*: quo ſignificat ſe ægerrimè negaturum cognatæ in primo gradu ob difficiliorem migrationem. Conſentit in his Navarro Tamburinus, ut patet ex l. 3. de Methodo Confeſſ. cap. 3. §. 3. ubi ex profeſſo tractat quæſtionem hanc obiter tactam in Decal.

277. Felix Thomas Hurtadus Jeſuitarum hoſtis, quem cavit inter laxones recenſere Sinnichius: & tamen ille tom. 1. tract. 1. c. 3. reſol. 2. n. 37. ſic loquitur: „ Chriſtus dicit, quod ſi peccaverit quis in die ſeptuagies „ ſepties, ſi pœniteat, debet abſolvi: ergo quantumvis ſæpiſſimè cadat, ſi „ ſperet auxilio Dei non cadere in futurum, poteſt concipere propoſitum „ emendandæ vitæ, & dolorem de præteritis. Conſequentia eſt evidens „ ...... atque ita poterit Confeſſor abſolvere illum, qui eſt in occaſio„ ne proximâ peccandi venialiter, *imo & mortaliter*, ſi occaſio fiat invo„ luntaria. Dicit autem cap. 4. reſol. 4. occaſionem fieri involuntariam ob rationabilem cauſam non tollendi occaſionem, qualem ait eſſe magnum damnum temporale in famâ, honore, divitiis &c. profitetur ſe ſequi Joannem Sanchez, Dianam, Joannem ab ortu, Baſilium de Leon, Magiſtrum ſuum Petrum de Lorca, & alios. Hæc ipſa cap. 6. applicat caſibus particularibus, inter quos reſol. 18. eſt ille, qui præcipuè ad rem facit, de filio familias: ſic verò orditur. *Conveniunt omnes Doctores citati cap. 2. 3. & 4.* (plurimos citaverat) *quod filius familias, & omnes illi, qui ſui juris non ſunt, nec poſſunt relinquere domum, in quâ eſt talis mulier, cum quâ ſolitus eſt commiſceri, ſine damno proprio, aut manifeſtatione tertii, & ſequatur ſcandalum, aut dedecus, poſſe abſolvi toties quoties, ſi habeat ea quatuor, quæ ex Navarro ſupra memoravimus*, hoc eſt, dolorem, propoſitum &c. ut ſuprà expoſui, idque *quamvis non inſpiciatur profectus*, ſi tamen pœnitens conſilia Confeſſarii exequatur.

278. Qui accuratius doceri cupit de Auctoribus ſimilia docentibus, præter Hurtadum locis citatis, adeat Joannem Sanchez d. 9. & 10. Leandrum à SS Sac. tom. 1. tract. 5. d. 7. q. 37. Vincentium Candidum diſquiſ. 24. a. 27. dub. 7. qui eadem docent in quæſtione præſenti, quæ Thomas Hurtadus & diligentes ſunt in citandis Auctoribus, niſi quod poſtremus parcior ſit. Requirunt verò, ut abſolvi poſſit talis pœnitens permanens in occaſione, dolorem, propoſitum &c. de quibus ſupra ex Navarro: hæc nemo ſapiens poteſt non requirere.

Horum

Horum omnium ignarus, ut videtur, Doctor Sinnichius, non dubitavit tragœdias excitare contra Tamburinum potiſſimum, quia dixit, Doctores *omnes excuſare à tollendâ occaſione, quam* QUIS VITARE NON POTEST, *excuſare v.g. fratrem &c.*

§. III.

Impoſturæ Sinnichii ad doctrinam Caſtropalai, Tamburini, Saà de famulis dominum comitantibus ad peccatum &c.

279. SInnichius Saul. Exr. cap. 13. in Vind. cap. 26. in fine Caſtropalaum adſcribit patronum huic Articulo: *Famuli comitantes Dominum noctu, vel die ad domum concubinæ, qui ſine eorum ſocietate eò non iret, vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel cuſtodiam, dum ſimul cum concubinâ, vel alterâ committit peccatum, abſolvi non poſſunt, ſi conſentiant in peccatum domini: ſecus ſi id fieret propter temporalem commoditatem.*

Caſtropalaus tom. 1. tract. 6. d. 6. p. 11. n. 6. & 7. quem locum Sinnichius citat, non docet omnino partem Articuli poſtremam, quæ eſt invidioſa. Quia n. 6. narrat potius, quid Sanchez docuerit, quam quid ipſe ſentiat. Demus tamen approbaſſe doctrinam Sanchez. Non ponitur ibi caſus ille, ut dominus *ſine famuli ſocietate iturus non eſſet*: imò caſus ponitur contrarius; quo ſcilicet famulus comitetur, ut dominum moneat de fugâ capeſſendâ, *cum adeſt, qui illum offendere poſſit*, diciturque *maximâ causâ* opus eſſe, ut hoc liceat famulo, idque quia *tali ſecuritate poſitâ dominus majori libidine peccat, quam ſi timoribus agitaretur*: ex quo liquet poni caſum, quo dominus etiam ſine famulo eſſet iturus, & peccaturus.

Nequidem n. 7. Articulum tradit Caſtropalaus: ipſum audiamus: *Sed quid dicendum ſi cogaris ſcribere, vel deferre litteras amatorias &c? Thomas Sanchez exiſtimat hæc prorſus eſſe illicita, neque umquam honeſtari poſſe: quia verba turpia ſunt intrinſecè mala.* Hanc doctrinam Sanchez oſtendit Caſtropalaus non vacare difficultate. Poſt omnia verò cavet diſertè his verbis: HÆC SUB DUBITATIONE DICTA SINT: *unum tamen eſt certum, hæc numquam honeſtari poſſe, niſi urgens cauſa intercedat.* Sed hæc ſufficiebant Sinnichio, ut Caſtropalaus in Saule Exrege locum obtineret patrocinantis Articulo invidioſo.

280. Eodem ibi honore dignatus eſt Tamburinum l. 5. c. 1. §. 4. n. 18. ſed nihilo minori injuriâ, quia Tamburinus ibi non agit de eo caſu, quo Dominus non eſſet iturus ad peccandum, niſi famulo comitante. Ponit etiam quod famulus *merè comitetur, merè expectet ante fores, & non ut cuſtodiat.*

Ruſſ

Rurſus caſum ponit Tamburinus, quo famulus *deferat ſcripta, & internuntia ſolius urbanitatis plena, deferat munuſcula, & eſculenta, præſtetque alia officia, quæ alius famulus æque præſtaret.* Continenter verò ſermonem ſic reſumit: *Dixi* SOLIUS URBANITATIS: *nam ſi contineant turpia, & amatoria, vel directè ad peccatum provocantia; ut item ſi contineant claram provocationem ad duellum, nulla erit excuſatio, nam hæc ſunt intrinſecè mala ex Sanchez.* Hæc Tamburinus illo n. 18. à Sinnichio citato, & non amplius, quod ad rem attineat. Conſideret ea lector, ſimulque Articulum ſupra deſcriptum ſtatuatque quam æquus Cenſor fuerit Sinnichius.

Tamburino, & Caſtropalao ſocium adjungit Sinnichius, Emanuelem Saà, qui in Aphor. v. *peccatum* n. 9. ejuſdem Articuli ſit patronus. At neque Saà caſum ponit, quo non iret dominus ad peccandum, niſi comitante famulo, aut litteras deferente: requirit quoque cauſam rationabilem, ut illæ actiones, quas memorat, liceant famulo. Quanta debeat eſſe cauſa ipſe non decernit, ſed *prudentis judicio relinquit.*

281. Si bono publico ſtudebat Sinnichius, cur non improbavit potius doctrinam Navarri tam æſtimati vulgo Doctoris, quæ proinde poterat videri gravius nocitura. De Navarro audiamus Joannem de la Cruz 1. p. direct. præcept. 6. dub. 3. ſic loquitur: „ Secunda concluſio. Licet locare „ domos meretricibus, non hâc intentione, ut in eis peccent, ſed ut ibi habitent &c. Tertia Concluſio. Famuli iſtarum meretricum licitè eis inſerviunt aperiendo januam &c. Imo Navarrus l. 5. conſ. 4. & 5. de pœn. „ & remiſſ. ait, poſſe iſtos ſervos deferre litteras, quibus amicus vocatur ad „ peccandum, & eos verbis à ſuâ dominâ prolatis vocare, dum tamen nec „ eos ad malum incitent, nec ſibi complaceant in illorum peccato &c. „ Sed oppoſitum tenet Ledeſma &c. ſed videtur eſſe idem, ac de ſecundâ „ concluſione dictâ.

Audiamus & Navarrum lib. 5. conſ. 5. de Pœnit. hæc & alia hujus generis concludentem: „ Ex his, inquit, videtur colligi ratio defendendi „ omnes prædictos à peccato ſaltem mortifero, modo non placeat eis „ peccatum, & faciant obſequia prædicta ob aliquem bonum finem: puta „ eo quod habeant illa causâ officii ſui, vel ob juſtam mercedem &c.

Qui moralem Theologiam ſibi ſumpſerat reformandam, non debebat ignorare, hæc eſſe tradita à Doctore tam celebri; tum verò hinc potius reformationem auſpicari debebat, quam deturpandis aliorum ſcriptis operam dare, affingendo illis Articulos, quos illi ſimpliciter non agnoverunt.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

An Sinnichio defuerit materia reformandi moralem Theologiam in libris, & Theſibus ſuæ Academiæ Lovanienſis.

282. SIc videtur ipſe exiſtimaſſe: quia in Saule Exrege c.123. pag. 584. col.1. in Vind. cap.36. pag.625. cauſam hanc reddit, cur Caramuelem præ multis aliis laxonibus perſtrinxerit; ne videlicet, cum ille, abſoluto Compluti curſu Theologico, Lovanii Doctor Theologiæ ſit creatus, exiſtimaret Lector, eum laxitates ſuas ex illâ Academiâ hauſiſſe.

Erit ergo operæ pretium videre, an tam caſtigata ubique fuerit doctrina Doctorum Academiæ Lovanienſis, ut nihil uſpiam irrepſerit, quod poſſet non dico jure, ſed ſaltem illo jure Sinnichius reprehendere, quo reprehendit illa, quæ externi ſcripſerunt. Oſtendam, irrepſiſſe non pauca, & quidem in iis ipſis quæſtionibus, in quibus alios potiſſimum notavit. Non pauca mihi ſuppeditant quotidianæ Theſes Academicæ Lovanii defenſæ, non pauca libri impreſſi. Nolo tamen hoc loco eſſe valde diligens: ea exhibebo quæ mihi non magno ſtudio quærenti ſe obtulerunt, & fere me continebo intra illas quæſtiones, in quibus extraneos, & fere Jeſuitas reprehendit Sinnichius: licebit extra illas evagari in 2.parte ſtateræ, ſi intellexero id à me requiri.

283. Sciat etiam Lector, non eſſe meam intentionem cenſurare opiniones morales Lovanienſium, quas referam, aut omnino ferre judicium de illis: hoc ago, ut pateat, quam fœdè proſtituerit Sinnichius doctrinam ſuorum Collegarum, dum Jeſuitas eſt inſectatus.

Lovanienſibus Doctoribus (quoniam ſatis pauci moralia ex profeſſo ſcripſerunt) interdum immiſcebitur Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor, ſed Lovanienſibus atque inprimis Sinnichio valde æſtimatus.

Porro ne quis exiſtimet, parum hic ad rem facere Theſes Academicas, ſciat Lector, eas non imprimi, niſi approbatas à Doctoribus, quorum eſt præſidere diſputationibus, qui etiam illas ſæpe corrigunt. Licet etiam ſolum approbarent, hoc ſatis eſt judicio Sinnichii, ut doctrinam ipſam cenſeantur certo modo facere ſuam: videatur ipſe Saulis Exr.cap.121.in principio. in Vind.cap.34.

284. Ad hæc, in diſputationibus ipſis argumenta afferunt pro doctrinâ, quæ oppugnatur, & quæ contra objiciuntur, ſolvunt: ita ut propter hæc illi Doctores, qui extra præſidentias iſtas nullam aliam exercent fun-

ctionem Scholaſticam, vocentur tamen profeſſores: diſcipuli verò in gratiarum actione publicâ, quæ ipſis legenda traditur, vocent eos Eruditionis Magiſtros. Notandum etiam, quod juxta ſtatuta non poſſint admittere defendendas propoſitiones, quas Facultas Theologica concorditer improbat.

285. Denique doctrinam Theſium Academicarum ſolere eſſe propriam Magiſtrorum diſputationibus præſidentium ipſimet declararunt, cum Anno 1618. in libello edito contra Jeſuitas contendentes, lectiones ſuas Theologicas eſſe utiles ad gradus Academicos, ſic argumentati ſunt. .... *In diſputationibus quoque & privatis examinibus hoc incommodi eveniet, quod, cum Magiſtri, qui erudierunt, reſpondenti ſubſidio eſſe debeant, frequentiſſimè continget diſcipulos ab aliis Magiſtris deſeri, quoties deduxerint reſponſiones ad eas opiniones, quas didicerint à legentibus, & quas Præſes, vel examinans, ut imperitas rejiciet: atque ita ad ſingula pœne reſponſa cenſuram Præſidis, vel Examinatoris formidabunt.* Oſtendit hæc ratio, ſi ſincerè actum eſt contra Jeſuitas, ſolere Præſides diſputationum Academicarum conſentire cum Diſcipulis de doctrinâ Theſium.

CAPUT I.

Prætereuntur laxitates Doctoris Sinnichii circa dogmata ſanctiora, & præſtandam obedientiam, & ſubmiſſionem Decretis Apoſtolicis.

286. NOn placet mihi illorum Theologorum ſententia, qui docent, ſine gravi peccato licere imponere falſa crimina Accuſatori injuſto ad elevandam ejus fidem, aut detegere ejuſdem crimina occulta ad eumdem finem.

Quando mihi luberet uti undequaque conquiſitâ materiâ idoneâ ad elevandam auctoritatem Sinnichii accuſantis Jeſuitas de laxitatibus in doctrinâ morali, non deberem valde laborare, ut texerem inſignem Catalogum quarumdam laxitatum circa ſanctiora dogmata, & ſubmiſſionem præſtandam decretis Apoſtolicis: in quibus laxitatibus Jeſuitas inprimis habuit adverſarios: neque timerem, ne vel finxiſſe illas viderer, vel occulta quædam prodidiſſe. Jam illum Catalogum habebam utcumque contextum: ſed re maturius conſideratâ ſtatui nunc quidem illo ſuperſedere, & me continere intra eas materias, quas ipſe Accuſator nobis obtulit; ut clarius appareat, me non dare operam accuſationibus; ſed ſolum repellere accuſationes injuſtas. Abſolvatur ergo Caput hoc primum hujus Sectionis ſimplici

Digitized by Google

plici Præteritione. Si intellexero, plus à me requiri, efficiam, ut appareat, non fuiſſe Præteritionem vanam. Laxitas omnium peſſima eſt, quæ verſatur in materiâ dogmatum, de quibus judicium tulit Sedes Apoſtolica &c. Sed hæc nunc quidem ſufficiat indicaſſe.

CAPUT II.

De Probabilitate.

§. I.

Quæ fuerit Sinnichii ſententia in Saule Exrege ſeu Vindiciis de licito uſu opinionis probabilis.

287. DOctor Sinnichius in ſuô Saule modò damnat omnem uſum probabilis opinionis minus tutæ, modò probare aliquem videtur. Saulis Exr. cap. 95. pag. 363. col. 1. in Vind. cap. 8 pag. 81. damnat omnem univerſaliter his verbis: „ In Dei judicio non quæretur à ju„ dicandis, quid dixerit Diana, quid Caramuel, aut alius quiſpiam talium: „ ſed quid Chriſtus, QUID ALII QUIVIS LEGISLATORES & legitimi ſupe„ riores. Unde rectè monet Lactantius; *Ne trahamur auctoritate cujuſquam; ſed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit:* Poſt pauca pergit Sinnichius: „ Nemo neſcit, humanam quam„ cumque opinionem eo ipſo obnoxiam eſſe periculo erroris, quod non „ tranſcendat limites probabilitatis: ſi igitur contingat, eam reipsâ errare, „ prout contingere poteſt, quiſquis ei ſe in operando, vel otiando confor„ maverit, opinione falsâ decipietur: non ergo ad vitam; ſed ad mortem „ vergit. Mox obſervat, etiam opinionem *probabiliſſimam* poſſe eſſe falſam. Docet ergo ſine diſtinctione materiarum juris naturæ, aut poſitivi, majoris, minorisve probabilitatis, illicitum eſſe uſum opinionis probabilis minus tutæ.

288. Mox idem Sinnichius ſequenti paginâ Saulis 364. col. 1. in Vind. pag. 84. videri poteſt his contradicere: „ Ubi, inquit, ignorantia excuſat à „ culpâ, etiam probabilitas opinionis eâ ſubnixæ excuſare poterit: ſecus, „ ubi illa non excuſat. Quapropter quotquot cenſent, ignorantiam juris „ ſaltem naturalis non excuſare à culpâ operantem ex ipsâ, conſequenter „ cenſere debent, probabilitatem opinionis eâ ſubnixæ nequaquam excu„ ſare opinantem, & ex tali opinione quantumvis probabili operantem.

Digitized by Google

„ Cenſent porro illud Auctores claſſici, quorum ſententiam in negotio „ ſalutis æternæ nemo prudens contempſerit, aut contra eam operans ſe- „ curum ſe eſſe exiſtimaverit. Hoc loco videbitur inſinuare aliquam ignorantiam, adeoque aliquam probabilitatem excuſare à culpâ.

289. Et tamen rurſus Saul. Exr. cap. 97. in Vind. cap. 9. damnat omnem prorſus opinionem, ut *turpiſsimam*, ut *ignorationis Symptoma*; generaliter affirmat, opinionem eſſe *monſtroſam*, *fœtum humanæ mentis peccato corruptæ*. Et rurſus *Humana*, inquit, *opinio quando falſa eſt, monſtrum eſt; quando vera, monſtro aquivalet: quia nihil amplius monſtro præſtat.* Et rurſus *cum error in ſe ipſo* SEMPER SIT MALUS, *profectò ejus periculo ſe ſpontaneè exponere*, CENSERI DEBET MALUM: *ſi quidem, qui amat periculum, in illo peribit.* Hæc ego aliaque conſiderans verius puto, quod improbaverit univerſaliter, ut opinionem omnem, tamquam malam; ſic, & multò magis, uſum omnem opinionis probabilis, præcipuè minus tutæ: neque verba illa Sinnichii; *ubi ignorantia excuſat à culpâ, etiam probabilitas opinionis excuſare poterit*, ſatis probant contrarium.

290. Hic obiter Lector conſideret, quam ſibi conſcientiam formare potuerit Sinnichius in ſcribendo Saule Exrege, qui ſcatet tot impoſturis, & calumniis, ut ſuprà oſtenſum eſt. Non fuit poſſibile, ut ipſe in tot affirmationibus falſis haberet plus, quam meras opiniones: imò non fuit poſſibile; ut haberet opiniones probabiles: quia in plurimis manifeſtò apparet, non potuiſſe hominem illa ſic affirmare, niſi per magnam negligentiam, & præcipitantiam: quare ad ſummum habuit opiniones improbabiles, & illas ſecutus eſt. Imò cum dicat, turpiſſimum eſſe, ſuſcipere opinionem, debuit habere quoddam aliud ſecretum, quo ſibi formaret conſcientiam; quod quale ſit, ego non poſſum divinare.

291. Conſideret etiam Lector dogma illud de malitiâ, & monſtroſitate omnis prorſus opinionis, eſſe baſim, quâ Sinnichius fundat præcipuè diſputationem ſuam contra uſum probabilitatum: in hoc verò dogmate, ipſum ſibi habere contrarium, non ſolum ſe ipſum, qui tam multa opinatus eſt, & quidem improbabiliter; ſed etiam Doctores omnes morales ſuæ Univerſitatis, Adrianum, Molanum, Mercerum, Malderum, Wiggerum, ceteroſque, quibus de iſto commento ne per ſomnium quidem aliquid venit in mentem, ut de pleriſque patebit ex decurſu.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An defuerint Sinnichio Doctores Lovanienſes qui docuerunt licere ſequi opinionem probabilem etiam in materiâ juris naturæ.

292. HOc erit operæ pretium videre, cum tam generaliter invehatur Sinnichius in illam doctrinam, cenſeatque, Lovanienſem Theologiam puram eſſe illis maculis, quas reprehendit in extraneis Theologis. Sumam verò hîc aliquid de eloquentiâ Sinnichianâ. Deſcribam, quæ lego apud Patrem Ludovicum de Schildere de principiis Conſcient. tract. 2. à num. 18. ſic ibi loquitur ille Auctor.

„ Amplianda hæc ſunt ad caſus, quibus bonitas actionis dependet à „ jure naturæ &c. Primò enim in emptione cenſuum perſonalium, ſive „ illi ſint merè perſonales, ſive hypothecati, ubi Bulla Pii V. de cenſibus „ non eſt in uſu, adeoque in Germaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Belgio abſque „ ſcrupulo procedunt omnes magni æque, ac parvi. Emuntur illi ad funda„ tionem Eccleſiarum, Monaſteriorum, collegiorum. Adminiſtratores „ eorumdem locorum, Epiſcopi, Doctores etiam Theologiæ, Religioſi „ canones ceſſos talium redituum exigunt. Adjuvant executionem Prin„ cipes per Conſilia ſua, alioſque Judices quotidie, dantes litteras execu„ toriales contra moroſos debitores. Quod ipſum præſtant Judices Ec„ cleſiaſtici, etiam Rectores Univerſitatum. *Uti de Lovanio conſtat, ubi ſub„ diti Univerſitatis à Rectore Univerſitatis, uti & à Conſervatore privilegiorum „ obtinent, ut per ejuſdem miniſtros executio fiat contra moroſos debitores redituum „ perſonalium.* Et tamen emptio illorum redituum ex jure naturæ non niſi „ probabiliter licita eſt. Siquidem Martinus Papa V. & Calixtus III. Ex„ travag. 1. & 2. de empt. & vend. tantum approbarunt emptionem cen„ ſuum pro quorum ſolutione immobilia gravata ſunt, ſic ut ipſis deſtru„ ctis cenſus pereat. Cenſus autem perſonales, etiam hypothecati poſt „ deſtructionem hypothecæ permanent, gravantque perſonam venditoris „ ejuſque hæredum. Unde licet à multis liciti judicentur pro locis, in „ quibus bulla Pii V. non obſervatur, reprobantur à pluribus.

293. Mox citat & plurimos, & graviſſimos Auctores, qui reprobarunt: inter illos Navarrum affirmantem in hâc opinione eſſe *ferè omnes*, Cenſium referentem tres Rotæ deciſiones &c. Tum verò ſic pergit.

„ Secundò. Approbati fuere in Belgio montes Pietatis, quorum ad„ miniſtratores à variis accipiunt pecuniam ad cenſum, quam deinde mu„ tuò dant indigentibus, accepto pignore, recepturi eandem intra annum „ cum incremento duodecim cum quadrante in centum, tam pro ſtipendio

„ miniſtrorum, & periculo montis, quam pro canonibus annuis redi-
„ tuum debitorum. Approbaverunt illos ſex Epiſcopi Provinciæ Me-
„ chlinienſis anno 1626. Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinien-
„ ſis, Joannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis, Antonius Trieſt Epiſ-
„ copus Gandenſis, Jacobus à Caſtro Epiſcopus Ruræmundenſis, Anto-
„ nius de Hennin Epiſcopus Iprenſis, Dionyſius Chriſtophori Epiſco-
„ pus Brugenſis. Ut oſtendere poſſum authenticè. Sub ampliori formâ
„ eos approbarunt Doctores et Professores Theologiæ Lova-
„ nienses, cum admiſerint certos Montes, in quibus mutuatarii coguntur
„ ſolvere poſt annum ſortem, & prætereà quindecim in centum. Signa-
„ runt hoc, Anno 1626. Guilielmus Fabricius, Joannes Schinckelius,
„ Joannes Wiggers. Ac deinde anno 1627. Willelmus Mercerus, Chri-
„ ſtianus Beuſecum, Cornelius Janſenius, Michael Paludanus, Henricus
„ Paridanus. Ex eorumque judicio montes illi procedunt in Belgio ha-
„ ctenus. Et tamen non niſi probabilis eſt eorum juſtitia, cum illis in
„ multis contradixerint plures, ut ex conſultatione Epiſcoporum, & Do-
„ ctorum, & aliunde ſatis patet. Unde neque hîc in negotio tam publi-
„ co, cujus adminiſtratio perſonis tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus Bel-
„ gii commiſſa eſt proceditur juxta viam tutiorem.

294. Poſt pauca ſic proſequitur. „ Quarto praxis Univerſitatum Ca-
„ tholicarum paſſim eſt ut in iis defendantur opiniones probabiles, tutio-
„ ribus relictis. Quæ praxis uſitatiſſima eſt in Schola Theologica Lo-
„ vaniensi, in quâ paſſim ab iis, qui ad gradus Academicos promoventur,
„ ſub præſidio Doctorum Theologiæ defendi ſolent in diſputationibus
„ opiniones probabiles circa jus naturæ, licet oppoſitæ & probabiles, &
„ tutiores ſint. Quod ne gratis affirmare videar, exempla quædam anno-
„ rum poſteriorum adduco excerpta ex theſibus impreſſis, ibidemque
„ propugnatis.

„ Propoſitio hæc: *ſtatim admiſſo peccato nullus ſub novo mortali conteri*
„ *obligatur*. Defenſa iſtic fuit anno 1640. 11. Februar. Anno 1652. 24.
„ Octobr. Anno 1653. 25. Februar. Anno 1654. 12. Junii & 4. Auguſt.
„ Anno 1655. 15. Junii. Anno 1661. 26. Febr. Anno 1662. 11. Febr. &
„ 9. Maii. Anno 1663. 10. Maii. Et tamen oppoſitum tutius eſt, tene-
„ turque à Guilielmo Pariſienſi de Sacramento Pœnitentiæ cap. 19. Ar-
„ chidiacono ad Can. *Ille Rex*. de pœnitentiâ diſt. 3. Thomâ de Argentinâ
„ in 4. diſt. 17. Art. 4. ad. 4. aliiſque nonnullis.

„ Similiter hæc: *Dubius an voverit, non tenetur voto*. Defenſa ibidem fuit
„ anno 1653. 15. Martii 1655. 20. Febr. Anno 1659. 9. Decemb. Anno
„ 1662 12. Junii. Anno 1663. 6. Julii. Et tamen non niſi probabilis
„ eſt. Oppoſitum tutius: teneturque ab Azorio, Vaſquez, Sayro, Perez,
„ Pontio,

Digitized by Google

„ Pontio, Hurtado, Monteſino, Turriano, Comitolo aliiſque, ut refert
„ Boſſius tom. 1. moral. n. 1174. & n. 1589.

„ Hæc verò: *Sciens ſe voviſſe, ſed dubitans utrum ſatis deliberatè, non tenebi-*
„ *bitur voto.* defenſa anno 1662. 1. Martii minus probabilis ex eo eſt, quod
„ auctores plures ex iis, qui dubium de voto teneri negant, nihilominus
„ velint obligari eum, qui de voto certus, & de deliberatione ſufficienti eſt
„ dubius; uti Sanchez de matrim. lib. 1. diſp. 8. n. 10. & in Decal. lib. 4. c. 4.
„ n. 13. & 14. cum aliis.

„ Rurſum hæc. *Dubitans de valore matrimonii, poſt diligentem, inquiſitio-*
„ *nem, reddere, & petere debitum poteſt.* Propugnata ibidem fuit anno 1653.
„ 23. Junii. Anno 1661. 7. Maii. Et tamen oppoſitum tutius eſt, tene-
„ turque ab auctoribus 30. adductis à Boſſio n. 1934.

„ Pariformiter hæc: *Quando damnum grave illatum eſt per ſolam culpam*
„ *venialem, non eſt obligatio in foro conſcientiæ damnum illud reſarciendi.* Ibidem
„ defenſa fuit Anno 1653. 26. Maii. Anno 1655. 26. Febr. Anno 1662.
„ 5. Octobr. Et tamen tutius eſt tunc imponere obligationem ad ſolven-
„ dum partem, uti faciunt Molina D. 698. n. 7. Reginald. lib. 10. num. 74.
„ Bonacina de reſtitut. D. 1. Qu. 1. p. 3. num. 9. aut etiam ad totum ſaltem
„ ſub veniali, uti faciunt alii.

„ Defenſum ibidem fuit, *quod emptor bonæ fidei, qui poſtmodum deprehendit*
„ *rem eſſe furtivam, reddere eam poſſit furi, ut pretium recuperet, aliàs perdendum,*
„ *ſic ut non teneatur domino.* Anno 1638. 8. Octob. anno 1653. 15. Febr.
„ & 28. Maii. Anno 1654. 3. Junii. & 10. Octob. Anno 1655. 23 Auguſt.
„ Oppoſitum autem tanquam tutius docetur à Cajetano, Soto, Covarruvia,
„ Barth. & Joan. Medina, Tabiena, Armilla, Ledeſma, Sylvio, Molina, prout
„ refert Diana p. 1. tract. 8. reſol. 69. Item à Leotardo de uſuris quæſt. 95.
„ num. 6.

„ *Quod homicida non tenetur, famulis, creditoribus, aliiſque, quos occiſus ex li-*
„ *beralitate alebat*, propugnatum fuit Anno 1662. 23. Febr. & 2. Martii
„ anno 1663. 21. Junii. Neque hoc eſt tutius, neque probabilitatis li-
„ mites excedit pro caſu, quo homicida de illis cogitavit. Nam oppoſitum
„ tenetur à Sanchez lib. 1. conſilior. cap. 4. dub. 3. & 4. aliiſque.

„ *Quod detractor, qui famam reſtituere non poteſt, ex juſtitiâ non teneatur*
„ *ad compenſationem in pecuniâ faciendam*, propugnatum fuit Anno 1635.
„ 23. Maii. Anno 1638. 17. Maii. Anno 1641. 9. Novemb. Anno 1642.
„ 15. Novemb. Anno 1652. 11. Octob. Anno 1654. 22. Junii. Anno
„ 1660. 10. Decemb. Anno 1661. 15. Feb. & 8. Martii. Anno 1663. 14.
„ Febr. Sed neque hoc tutius eſt, neque pluſquam probabile, cum
„ pro oppoſitâ ſententiâ auctores duodecim citentur à Dianâ p. 3. tract. 5.
„ reſol. 30.

„ *Quod*

Digitized by Google

„ *Quod is, qui ſecretò novit, pretium mercis eſſe brevi minuendum, ſine injuſtitiâ*
„ *merces ſuas vendere poſſit pretio currenti.* Defenſum ibidem fuit Anno 1652.
„ 11. Januarii. Anno 1653. 27. Januarii. Anno 1660. 7. Junii. Sed ne-
„ que hoc tutius, neque pluſquam probabile: cui contradixit jam olim
„ ex ſolo lumine naturæ procedens Ethnicus Antipater, & cum eo Cicero
„ lib. 3. de officiis. Et poſtea Medina de reſtitut. Qu. 35 Conradus de con-
„ tractibus quæſt. 62. 63. 76. Pinellus ad. l. 2. C. de reſcind. vendit. p. 3. c. 2.
„ n. 24. Bartol. ad. l. Quæro ff. de actionib. empti, aliique.

„ Non tantum iſtic propugnatum fuit ſæpius, quod emptio cenſus
„ perſonalis ſit licita; ſed etiam quod ſpectato jure naturæ licita ſit emptio
„ cenſus redimendi ad voluntatem emptoris. Scilicet Anno 1653. 12.
„ Martii. Anno 1655. 28. Julii. Etiam cum cenſus perſonalis eſt, anno
„ 1654. 18. Septemb. Quæ opinio multò minus tutior eſt, quam præce-
„ dens: eò, quod deficiente irrecuperabilitate ſortis, titulus ad petendum
„ aliquid annuum à ſorte diſtinctum non ſit major in cenſu, quam in mu-
„ tuo. Unde & opinio illa rejicitur à Soto lib. 6. de juſt. quæſt. 5. Art. 3.
„ Covarruv. l. 3. Variar. cap. 9. num. 4. Navarr. de uſur num. 122. Feli-
„ ciano l. 1. de cenſib. cap. 7. num. 15 Hotomanno de uſur. cap. fin. in fine.
„ Loyſeau l. 1. du deguerpiſſement cap 9. num. 29. Lud. Lopez l. 1. c. 60.
„ in princip. Molinæo ipſo, uſurarum patrono de uſuris q. 50. Binsfeld
„ ad. cap. in civitate de uſuris q. 12. corol. 10. Wameſio centur. 3. conſ. 87.
„ num. 11 Gail. l. 2. obſervat. 7. num. 4. dicente, quod illud pugnâ caret,
„ Aragonio in 2. 2. q. 78. art. 4. conc. 4. dicente emptionem talis cenſus
„ eſſe mutuum cum lucro, & uſurarium. Duardo de cenſib. q. 19. procem.
„ num. 19. affirmante opinionem dictam eſſe improbabilem, aliiſque ab
„ ipſo adductis.

„ Denique propoſitio hæc: *Poteſt qui in ſocietatem aliquid confert, curare*
„ *ſe aſſecurari de ſorte, & certo lucro, idque non ſolum cum eo, qui non eſt ſocius,*
„ *ſed etiam cum ſocio*, defenſa fuit Anno 1651. 6. Junii. Anno 1652. 22.
„ Junii Anno 1654. 18. Septembris. Et tamen abſtinere ab eo tutius
„ eſt, illicitumque eum eſſe opinantur Abbas l. 6. de juſtit. q. 6. art. 2. Fe-
„ licius de Societate cap 9. num. 25. & 26. Azor de Societate l. 3. q. 6.
„ Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. ad. 5. Loth in Theologiâ Belgicâ tract. 10.
„ art. 7. A Turri. de cambiis Diſp. 3. q. 10. num. 23. cum Conrado, Ban-
„ nez, Rebello.

„ Multæ aliæ ſimiles propoſitiones merè probabiles minuſque tutæ,
„ quam oppoſitæ, adferri poſſunt ibidem ſæpius propoſitæ, & defenſæ.
„ Illud mirum quod etiam præſidentibus Doctoribus nonnullis aſſertio-
„ nis noſtræ adverſariis, qui tenent, illicitum eſſe in materiâ juris naturæ
„ ſequi opinionem probabilem, tutiore relictâ.

Hæc

Hæc notanda offerebat P. Ludovicus de Schildere. Nos verò aliqua his addamus.

§. III.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, qui docuerunt, licere ſequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori, & tutiori.

295. Proludat ſuis Collegis Doctor Sinnichius, qui duobus Annis antequam ederet ſuum Saulem Exregem defenſioni theſium præſedit, in quibus continebantur hæc: *Cum conſcientiâ probabili licitè operamur: Vnde inter opiniones non eſt ſemper neceſſarium ſequi probabiliorem, vel magis tutam: ſed ſatis eſt ſequi opinionem verè, tametſi minus probabilem, relictâ etiam propriâ probabiliori, & tutiori.* Rurſus in Theſibus Præſide Sinnichio defenſis 13. Auguſti 1647. hanc lego: *Licet aliquando, ſed non ſemper, ſequi ſententiam probabilem relictâ probabiliori, quandoque etiam oportet.* Die item 31. Julii 1654. à Sinnichio defenſa eſt hæc: *Contra conſcientiam erroneam agere non licet: aliquando ſecundum probabilem rectè ages relictâ probabiliori, & tutiori.*

296. Hujuſmodi Theſes Doctor Sinnichius approbavit, adeoque *fecit quodam modo ſuas* (ſic ipſe alibi ratiocinatur) judicavit non eſſe concorditer improbatas à Facultate Lovanienſi. Vide alia in hanc rem num. 283. Hæc mihi conſideranti videtur ſtupendum, quomodo potuerit aſſumere perſonam Cenſoris tam ſeveri, & tam libere perſtringentis hujuſmodi doctrinam, cujus ſciebat ſe ipſum eſſe reum. Debebat, ut videretur ſerius, & ſyncerus, alicubi fateri, ſe quoque nuper fuiſſe *Laxonem*, & *Laxitatum Patronum* (quibus nominibus alios ejus doctrinæ Patronos toties honorat) Tandem verò aperuiſſe oculos, & pœnitere.

297. Ignovit ſibi ipſi, & ſuis Collegis: ſed re ipsâ non pepercit, quando notum vulgò eſt, quid docuerint. Quare judicio Doctoris Sinnichii *Laxonibus* adnumerandus erit Reverendiſſimus Epiſcopus Antverpienſis Joannes Malderus Lovan. Doctor, qui 1. 2. diſp. 86. ſic docuit: *Dico tertiò: licet aliquando ſequi minus probabilem, relicta probabiliori; etiamſi probabilior fuerit tutior.*

Cumque objeciſſet ſic: *Qui cenſet oppoſitum eſſe probabilius, cenſet id, quod ipſe ſequitur, eſſe falſum: facit ergo contra conſcientiam.* Reſpondet, *ſequelam eſſe vitioſam: quod enim ſpeculative judicat, eſſe falſum, poteſt judicare probabile, & tale, quod prudenter ſequi liceat.* Mox verò, *Dico quartò*, inquit, *ſubditus debet parere ſuperiori, præcipienti opus, quod ſecundum probabilem ſententiam licet, etiamſi ſecundum probabiliorem ſubditi idem opus non ſit licitum.* Et poſtea: *Dico quintò*:

Digitized by Google

Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem, habentem opinionem probabilem, ſecundum quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundum probabiliorem ipſe Confeſſarius tenet eſſe illicitum. Hæc omnia tantus vir Joannes Malderus, magnum decus Lovanienſis Academiæ: debebat illum venerari Doctor Sinnichius.

Fortaſſe ignorabat doctrinam ſui Collegæ Doctoris Lovan. Thomæ Leonardi nihil diſſimulantis, ut ſyncerum Thomiſtam decebat, doctrinam Thomiſtarum lib. 2. de hominis Juſtit. cap. 7. ubi dum operoſe opponit ſe dogmati Janſeniano de invincibili ignorantia juris naturæ non excuſante à peccato: „ Ingens, inquit, orietur perplexitas animo- „ rum: cum enim ſint plurimi contractus, & innumerabiles caſus, „ in quibus controvertitur inter Doctores, an in iis reperiatur aliquid „ contra legem naturæ, vel non, & utrimque ſint probabiles opinio- „ nes, ſequitur, quod conformans ſe probabili opinioni, vel etiam pro- „ babiliori dictanti id licere, caſu quo juxta legem naturæ non liceat, „ peccet coram Deo, etiamſi adhibuerit omnem diligentiam..... Unde „ ſequeretur, quod in pertinentibus ad legem naturæ homines ſemper „ tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longè eſſet proba- „ bilior..... QUAM AUTEM HÆC ABSURDA SINT, PATET CONSIDERANTI. „ Hæc ille inſignis Thomiſta, & Doctor Lovanienſis.

Sed non debebat contemnere Sinnichius Guilielmum Mecerum Lovanienſem Doctorem celebrem, qui & ipſe in 3.p.q.8. ſuppl. a.5. dub.3. hæc docuit: *Si pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confeſſor judicet, debet Confeſſor eum abſolvere. Ratio eſt, quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, eſt bene diſpoſitus, & integrè confeſſus: ergo Confeſſor, cui hoc eſt evidens, faceret illi injuriam, ſi ipſum ſine abſolutione dimitteret.*

298. Parcere etiam debebat Joanni Wiggero Lovanienſi Doctori ſcriptis libris celeberrimo qui 1.2. q.19. a.6. ſic docuit. *Dico quartò, quando ex utrâque parte ſunt opiniones probabiles, quarum una eſt probabilior, & altera minus probabilis, poſſum in actionibus moralibus ſequi minus probabilem, modò verè, & abſolutè probabilis ſit, relictâ probabiliori, non tantum quando minus probabilis tutior eſt, vel quando ab operante habetur uti probabilior: ſed etiam quando eſt minus tuta, & habetur ab operante tamquam minus probabilis.* His addit ibidem: *Dico quintò: Interdum contingit, quod in operando teneamur ſequi ſententiam probabilem, prætermiſsâ probabiliori, aut æque probabili, quamvis etiam hæc per ſe loquendo eſſet tutior, ſemotis omnibus extrinſecis.*

299. Parcere item debebat Lovanienſi Doctori Joanni Molano tract. de Virtut. cap.1. num. 16.17.18. paucis more ſuo multa complectenti: *Voluntas, quæ concordat cum ratione errante, aliquando excuſatur, ut non ſit ſimpliciter mala: ideoque conſultum eſt in agendo rationis ſcrupulos rejicere, & Docto-*

ribus

ribus inter ſe diſſidentibus, ſententiam quorumdam pro certâ acceptare; etiamſi fortaſſis aliorum ſententia ſit melior.

300. Sed præ ceteris cavere debebat, ne Adrianum VI. Pontificem, Lovanienſem Doctorem videretur *laxonibus* adnumeraſſe. Non dubitavit Adrianus, etiam ante Pontificatum, quin liceret ſequi probabilem opinionem, relictâ tutiori, ut patet ex his ejus verbis quodlib.2. puncto 1. *Si credo Doctoribus aſſerentibus, mihi aliquid licere, etſi emergat in me ratio probans, non licere, quam ſolvere neſcio; ſi dictis eorum contra rationem fidem habeo, licitè ago contra illam apparentiam, ut contra ſcrupulum.* Videtur tamen in iſto Quodlibeto ſenſiſſe, non licere ſequi probabilem, ſi oppoſitâ videatur non ſolum tutior, ſed etiam probabilior. Verum in Pontificatu alia ſapuit, ut conſtat ex narratione Dominici Soti in 4. diſp. 27. q. 1. a.4. quam refert ipſe Sinnichius in Saule Exrege, cap.67. pag.227. col. 2. his verbis: *Adrianus VI.* inquit, *Sotus, vir tum juris utriuſque peritiſſimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cum ab ipſo hujuſmodi diſpenſatio* (in matrimonio rato) *fuiſſet poſtulata, oblataque fautrix ſententia Cajetani, demiratus eſt, virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe, & ideo improbis precibus ſuccumbens reſpondit, ſe dare, quod poſſet; ſed tamen credere, ſe nihil poſſe.* Oſtendi num.15. fuiſſe tutius, non dari illam diſpenſationem. Intelligitur etiam ex dictis ibi, ſi cum præſenti narratione conferantur, Adriano fuiſſe viſum probabilius, non fuiſſe licitam illam diſpenſationem.

301. Sed obiter obſerva, ipſum Sinnichium narrationi Soti hæc ſubjungere: *Neque enim pejoris conditionis cenſeri debent Summi Pontifices, quam ceteri homines, quibus ſubinde licitum eſt in praxi procedere ſecundum probabilem ſententiam, ei etiam opinioni adverſam, quam ſpeculativè reputant veriorem.* Ego non capio, quomodo certius fuerit, *licuiſſe* Pontifici diſpenſare, quam *potuiſſe* illum diſpenſare: ſi hoc idem putavit Sinnichius, mirabiliter ſui factus eſt immemor, ubi contra Tamburinum poſteà cœpit ſcribere. Si putavit, fuiſſe certius, *licere* diſpenſare, quam *poſſe*: nullo id fundamento putavit.

Plures mihi cupio afferri Doctores Lovanienſes, qui editis libris quæſtionem ex profeſſo tractaverint, neque deſperabo, me plures oſtenſurum ejuſdem ſententiæ Patronos.

302. Accedat pro auctario æſtimatiſſimus Lovanienſibus Duacenus Doctor Franciſcus Sylvius 1. 2. q. 19. a.5. quæſt.9. concl.2. ſic loquens: *In opinionibus de honeſtate actionum, non eſt neceſſarium ſequi opinionem tutiorem; ſed ſatis eſt ſequi tutam.* Mox verò concl. 3. ſic: *Quando ſunt duæ opiniones verè probabiles, Licitum eſt relictâ probabiliore ſequi minus probabilem: ſive hæc quæ minus probabilis eſt, ſit tutior, ſive non.* Et mox concluſ.4. ſic: *Quando aliqua opinio revera eſt probabilis, poteſt vir doctus eam ſequi contra propriam opinionem, & poteſt etiam aliis conſilium dare juxta illam.*

tanus 2.2. q.64. a.8. circa med. loquens de *pollutione nocturnâ, ex veniali delectatione in die habitâ conſequente.* Placet idem Acatio de Velaſco tom. 2. reſol. mor. v. *Luxuria* reſol. 209. agit verò de pollutione ſecutâ ex actione indifferenti, aut veniali: pro exemplo ponit aſpectum mulieris curioſum. At Vericelli tom.1. tract. 4. q.25. num.8. nullam agnoſcit malitiam mortalem pollutionis ſeu diurnæ, ſeu nocturnæ, niſi *quando cauſa eſt per ſe influens, & peccatum mortale in genere luxuriæ.* Citat Navarrum, & alios.

Hæc tam multa, vel ignoravit Doctor Sinnichius vel ridiculè invectus eſt in Tamburinum, qui iſto loco, quem reprehendit ille, non facit mentionem, niſi de cauſis, quæ ſecundum ſe ſunt actiones honeſtæ, aut licitæ.

§. II.

Quomodo tractata à Sinnichio doctrina Tamburini de occaſione proximâ peccandi.

274. Sinnichius Saulis Exr. cap. 113. pag. 498. col. 2. in Vind. cap. 26. pag.417. *Vide*, ait, *quouſque ſe exporrigat laxitas Tamburini.* Quouſque autem? Tamburinus l. 3. cap. 1. §. 5. num.4. ſic locutus eſt; „ Sane omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non „ poteſt: excuſamus v. g. fratrem habitantem juxta morem patriæ in eâdem domo parentum cum ſorore, licet habitatio ſit illis fortè cauſa peccandi, quia ejuſmodi occaſio, quamvis extrinſeca, non eſt voluntariè „ aſſumpta.

Paucis adnotabo artificium Sinnichii ad hunc locum. Primò in referendis verbis Tamburini truncavit iſtud; *ſanè omnes excuſamus*, & ſolum poſuit, *excuſamus*; ut videretur Tamburinus ſuam propriè ſententiam ibi proferre, & non eam, quæ erat *omnium*, vel quam ipſe cenſebat eſſe *omnium*.

Secundò omiſit iſtud; *omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non poteſt*: ut videretur poni caſus, quo facilis eſſet ſeparatio fratris à ſorore.

Tertiò Doctor Sinnichius verbulum percеperat in iſto ſermone Tamburini de peccato fratris, & peccato ſororis occaſione cohabitationis, ipſe interpretatus eſt agi illico de *inceſtu*, & *inceſtatione cum ſorore.* Agit Tamburinus de caſu vulgari, & quotidiano, de quo inter omnes convenit, ſaltem judicio ipſius, ipſo patriæ more id teſtante, adeoque nihil videtur cogitaſſe iſto loco de inceſtu fratris cum ſorore, qui eſt rarus admodum, de aliis peccatis facilius ſubrepentibus in cohabitatione. Quid intereà ſenſerit

ſenſerit Tamburinus de occaſione inceſtus, mihi non ſatis liquet, niſi quod ratio, quâ utitur, videatur univerſalis: ſed rei obiter tactæ non debuit rationem dare omnibus numeris perfectam, ſufficiebat ea tangere, quæ ad ſcopum faciebant valde diverſum à quæſtione illâ: neque eſſet difficile diſparitatem rationis invenire inter occaſionem inceſtus, & aliorum peccatorum occaſione iſtius cohabitationis facilius accidentium.

275. Quarto cum Tamburinus verbis ſuprà relatis dixerat, excuſari fratres illos, & ſorores, *quia ejuſmodi occaſio, quamvis extrinſeca, non eſt voluntariè aſſumpta*, exultans Sinnichius, *Quid juvat*, inquit, *quod occaſio illa non ſit voluntariè aſſumpta, ſiquidem ſit voluntariè jam continuata?* Hæc eſt magna cavillatio. Evidens eſt Lectori non cæco, Tamburinum ibi intelligere occaſionem *non voluntariè aſſumptam, nec retentam.* Paucis ante lineis bis fecerat mentionem de occaſione *involuntariè, vel certè non voluntariè aſſumptâ, & involuntariè retentâ:* imò, niſi verba truncaſſet Sinnichius, periodus ipſa, quam ille reprehendit, mentionem habet talis occaſionis: ſic incipit periodus: *Sanè omnes excuſamus à tollendâ occaſione,* QUAM QUIS VITARE NON POTEST: *excuſamus v. g. fratrem habitantem &c.* Ecce; occaſionem *quæ vitari non poteſt*, Sinnichius intelligit occaſionem, *quæ voluntariè continuatur:* quia illam ſemel Tamburinus vocans *non voluntariè aſſumptam*, neglexit vocare *non voluntariè retentam*, quo nomine jam vocaverat bis, aut tertiò, & poſt pauca verba iterum vocat. Satis eſt harum cavillationum.

276. Quæro, an reprehenderit Sinnichius, quod dixit Tamburinus; *Omnes excuſamus à tollendâ occaſione, quam quis vitare non poteſt*, hoc eſt, quam vitare eſt moraliter impoſſibile? non puto, hoc reprehenſum voluiſſe, quia ſermonem Tamburini truncavit iſtis verbis. Non debebat ergo reprehendere exemplum, quod ſubdit Tamburinus, de fratre, & ſorore, quos ſupponit Tamburinus non poſſe vitare cohabitationem; certè non debebat reprehendere in Tamburino potiſſimum.

Cenſebatne Sinnichius, univerſaliter eſſe obligandos fratrem, & ſororem iſtius generis, ad deſerendam domum paternam? Tamburinum magis movebat Auctoritas Navarri, qui fuit Doctor aliquantò peritior harum rerum. Navarrus in ſummâ cap. 3. num. 16. & ſequentibus aſſignans non paucos caſus, in quibus non eſt deſerenda occaſio peccandi ſimilis ei, quàm ponit Tamburinus, fundat ſe in cap. *Conſultationi* de frigidis, & malef. ubi *Lucius III. definit*, inquit, *poſſe duos matrimonio junctos vivere conjunctim, ut frater & ſoror: licet non valeat coram matrimonium ob coeundi impotentiam*, cum præſenti periculo variè peccandi. Dicit mox Navarrus, etiam ſe moveri, *quod non oporteat nimis aſtringere pœnitentem: quia*, inquit, *qui nimis emungit, elicit ſanguinem.* Num. 21. dicit *poſſe abſolvi ſine ſeparatione cognatas, ancillas ac famulas, quæ rem habuerunt cum ſuis conſanguineis, ac dominis,*

vel bis, in quorum domibus degunt, concurrentibus quatuor prædictis, hoc eſt dolore, propoſito, credulitate emendationis, & *aliquâ rationabili causâ*; qualem dicit in illis perſonis inveniri. Mox agens de relabentibus iiſdem, affirmat, abſolvi poſſe *tertiá, & quartâ vice*: quia *non ſemel, aut bis, vel ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſexties eſt parcendum.* Addit ſe demum negaturum abſolutionem, ſi videret, quod vicibus præteritis nulla emendatio extitiſſet &c. *Facilius tamen*, inquit, *negarem abſolutionem famulæ, quam cognatæ, & cognatæ, quæ non eſſet in primo gradu, quam ancillæ*: quo ſignificat ſe ægerrimè negaturum cognatæ in primo gradu ob difficiliorem migrationem. Conſentit in his Navarro Tamburinus, ut patet ex l. 3. de Methodo Confeſſ. cap. 3. §. 3. ubi ex profeſſo tractat quæſtionem hanc obiter tactam in Decal.

277. Felix Thomas Hurtadus Jeſuitarum hoſtis, quem cavit inter laxones recenſere Sinnichius: & tamen ille tom. 1. tract. 1. c. 3. reſol. 2. n. 37. ſic loquitur: „ Chriſtus dicit, quod ſi peccaverit quis in die ſeptuagies „ ſepties, ſi pœniteat, debet abſolvi: ergo quantumvis ſæpiſſimè cadat, ſi „ ſperet auxilio Dei non cadere in futurum, poteſt concipere propoſitum „ emendandæ vitæ, & dolorem de præteritis. Conſequentia eſt evidens „ ...... atque ita poterit Confeſſor abſolvere illum, qui eſt in occaſio- „ ne proximâ peccandi venialiter, *imo & mortaliter*, ſi occaſio fiat invo- „ luntaria. Dicit autem cap. 4. reſol. 4. occaſionem fieri involuntariam ob rationabilem cauſam non tollendi occaſionem, qualem ait eſſe magnum damnum temporale in famâ, honore, divitiis &c. profitetur ſe ſequi Joannem Sanchez, Dianam, Joannem ab ortu, Baſilium de Leon, Magiſtrum ſuum Petrum de Lorca, & alios. Hæc ipſa cap. 6. applicat caſibus particularibus, inter quos reſol. 18. eſt ille, qui præcipuè ad rem facit, de filio familias: ſic verò orditur. *Conveniunt omnes Doctores citati cap. 2. 3. & 4.* (plurimos citaverat) *quod filius familias, & omnes illi, qui ſui juris non ſunt, nec poſſunt relinquere domum, in quâ eſt talis mulier, cum quâ ſolitus eſt commiſceri, ſine damno proprio: aut manifeſtatione tertii, & ſequatur ſcandalum, aut dedecus, poſſe abſolvi toties quoties, ſi habeat ea quatuor, quæ ex Navarro ſupra memoravimus*, hoc eſt, dolorem, propoſitum &c. ut ſuprà expoſui, idque *quamvis non inſpiciatur profectus*, ſi tamen pœnitens conſilia Confeſſarii exequatur. „

278. Qui accuratius doceri cupit de Auctoribus ſimilia docentibus, præter Hurtadum locis citatis, adeat Joannem Sanchez d. 9. & 10. Leandrum à SS Sac. tom. 1. tract. 5. d. 7. q. 37. Vincentium Candidum diſquiſ. 24. a. 27. dub. 7. qui eadem docent in quæſtione præſenti, quæ Thomas Hurtadus & diligentes ſunt in citandis Auctoribus, niſi quod poſtremus parcior ſit. Requirunt verò, ut abſolvi poſſit talis pœnitens permanens in occaſione, dolorem, propoſitum &c. de quibus ſupra ex Navarro: hæc nemo ſapiens poteſt non requirere.

Horum omnium ignarus, ut videtur, Doctor Sinnichius, non dubitavit tragœdias excitare contra Tamburinum potiſſimum, quia dixit, Doctores *omnes excuſare à tollendâ occaſione, quam* QUIS VITARE NON POTEST, *excuſare v.g. fratrem &c.*

§. III.

Impoſturæ Sinnichii ad doctrinam Caſtropalai, Tamburini, Saà de famulis dominum comitantibus ad peccatum &c.

279. SInnichius Saul. Exr. cap. 13. in Vind. cap. 26. in fine Caſtropalaum adſcribit patronum huic Articulo: *Famuli comitantes Dominum noctu, vel die ad domum concubinæ, qui ſine eorum ſocietate eò non iret, vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel cuſtodiam, dum ſimul cum concubinâ, vel alterâ committit peccatum, abſolvi non poſſunt, ſi conſentiant in peccatum domini: ſecus ſi id fieret propter temporalem commoditatem.*

Caſtropalaus tom. 1. tract. 6. d. 6. p. 11. n. 6. & 7. quem locum Sinnichius citat, non docet omnino partem Articuli poſtremam, quæ eſt invidioſa. Quia n. 6. narrat potius, quid Sanchez docuerit, quam quid ipſe ſentiat. Demus tamen approbaſſe doctrinam Sanchez. Non ponitur ibi caſus ille, ut dominus *ſine famuli ſocietate iturus non eſſet*: imò caſus ponitur contrarius; quo ſcilicet famulus comitetur, ut dominum moneat de fugâ capeſſendâ, *cum adeſt, qui illum offendere poſſit,* diciturque *maximâ causâ* opus eſſe, ut hoc liceat famulo, idque quia *tali ſecuritate poſitâ dominus majori libidine peccat, quam ſi timoribus agitaretur*: ex quo liquet poni caſum, quo dominus etiam ſine famulo eſſet iturus, & peccaturus.

Nequidem n. 7. Articulum tradit Caſtropalaus: ipſum audiamus: *Sed quid dicendum ſi cogaris ſcribere, vel deferre litteras amatorias &c? Thomas Sanchez exiſtimat hæc prorſus eſſe illicita, neque umquam honeſtari poſſe: quia verba turpia ſunt intrinſecè mala.* Hanc doctrinam Sanchez oſtendit Caſtropalaus non vacare difficultate. Poſt omnia verò cavet diſertè his verbis: HÆC SUB DUBITATIONE DICTA SINT: *unum tamen eſt certum, hæc numquam honeſtari poſſe; niſi urgens cauſa intercedat.* Sed hæc ſufficiebant Sinnichio, ut Caſtropalaus in Saule Exrege locum obtineret patrocinantis Articulo invidioſo.

280. Eodem ibi honore dignatus eſt Tamburinum l. 5. c. 1. §. 4. n. 18. ſed nihilo minori injuriâ, quia Tamburinus ibi non agit de eo caſu, quo Dominus non eſſet iturus ad peccandum, niſi famulo comitante. Ponit etiam quod famulus *merè comitetur, merè expectet ante fores, & non ut cuſtodiat.*

Rurſus caſum ponit Tamburinus, quo famulus *deferat ſcripta, & internuntia ſolius urbanitatis plena, deferat munuſcula, & eſculenta, præſtetque alia officia, quæ alius famulus æque præſtaret.* Continenter verò ſermonem ſic reſumit: *Dixi* SOLIUS URBANITATIS: *nam ſi contineant turpia, & amatoria, vel directè ad peccatum provocantia; ut item ſi contineant claram provocationem ad duellum, nulla erit excuſatio, nam hæc ſunt intrinſecè mala ex Sanchez.* Hæc Tamburinus illo n. 18. à Sinnichio citato, & non amplius, quod ad rem attineat. Conſideret ea lector, ſimulque Articulum ſupra deſcriptum ſtatuatque quam æquus Cenſor fuerit Sinnichius.

Tamburino, & Caſtropalao ſocium adjungit Sinnichius, Emanuelem Saà, qui in Aphor. v. *peccatum* n. 9. ejuſdem Articuli ſit patronus. At neque Saà caſum ponit, quo non iret dominus ad peccandum, niſi comitante famulo, aut litteras deferente: requirit quoque cauſam rationabilem, ut illæ actiones, quas memorat, liceant famulo. Quanta debeat eſſe cauſa ipſe non decernit, ſed *prudentis judicio relinquit.*

281. Si bono publico ſtudebat Sinnichius, cur non improbavit potius doctrinam Navarri tam æſtimati vulgo Doctoris, quæ proinde poterat videri gravius nocitura. De Navarro audiamus Joannem de la Cruz 1. p. direct. præcept. 6. dub. 3. ſic loquitur: „ Secunda concluſio. Licet locare „ domos meretricibus, non hâc intentione, ut in eis peccent, ſed ut ibi habitent &c. Tertia Concluſio. Famuli iſtarum meretricum licitè eis inſerviunt aperiendo januam &c. Imo Navarrus l. 5. conſ. 4. & 5. de pœn. „ & remiſſ. ait, poſſe iſtos ſervos deferre litteras, quibus amicus vocatur ad „ peccandum, & eos verbis à ſuâ dominâ prolatis vocare, dum tamen nec „ eos ad malum incitent, nec ſibi complaceant in illorum peccato &c. „ Sed oppoſitum tenet Ledeſma &c. ſed videtur eſſe idem, ac de ſecundâ „ concluſione dictâ.

Audiamus & Navarrum lib. 5. conſ. 5. de Pœnit. hæc & alia hujus generis concludentem: „ Ex his, inquit, videtur colligi ratio defendendi „ omnes prædictos à peccato ſaltem mortifero, modo non placeat eis „ peccatum, & faciant obſequia prædicta ob aliquem bonum finem: puta „ eo quod habeant illa causâ officii ſui, vel ob juſtam mercedem &c.

Qui moralem Theologiam ſibi ſumpſerat reformandam, non debebat ignorare, hæc eſſe tradita à Doctore tam celebri, tum verò hinc potius reformationem auſpicari debebat, quam deturpandis aliorum ſcriptis operam dare, affingendo illis Articulos, quos illi ſimpliciter non agnoverunt.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

An Sinnichio defuerit materia reformandi moralem Theologiam in libris, & Theſibus ſuæ Academiæ Lovanienſis.

282. SIc videtur ipſe exiſtimaſſe: quia in Saule Exrege c.123. pag.584. col.1. in Vind. cap.36. pag.625. cauſam hanc reddit, cur Caramuelem præ multis aliis laxonibus perſtrinxerit; ne videlicet, cum ille, abſoluto Compluti curſu Theologico, Lovanii Doctor Theologiæ ſit creatus, exiſtimaret Lector, eum laxitates ſuas ex illâ Academiâ hauſiſſe.

Erit ergo operæ pretium videre, an tam caſtigata ubique fuerit doctrina Doctorum Academiæ Lovanienſis, ut nihil uſpiam irrepſerit, quod poſſet non dico jure, ſed ſaltem illo jure Sinnichius reprehendere, quo reprehendit illa, quæ externi ſcripſerunt. Oſtendam, irrepſiſſe non pauca, & quidem in iis ipſis quæſtionibus, in quibus alios potiſſimum notavit. Non pauca mihi ſuppeditant quotidianæ Theſes Academicæ Lovanii defenſæ, non pauca libri impreſſi. Nolo tamen hoc loco eſſe valde diligens: ea exhibebo quæ mihi non magno ſtudio quærenti ſe obtulerunt, & fere me continebo intra illas quæſtiones, in quibus extraneos, & fere Jeſuitas reprehendit Sinnichius: licebit extra illas evagari in 2.parte ſtateræ, ſi intellexero id à me requiri.

283. Sciat etiam Lector, non eſſe meam intentionem cenſurare opiniones morales Lovanienſium, quas referam, aut omnino ferre judicium de illis: hoc ago, ut pateat, quam fœdè proſtituerit Sinnichius doctrinam ſuorum Collegarum, dum Jeſuitas eſt inſectatus.

Lovanienſibus Doctoribus (quoniam ſatis pauci moralia ex profeſſo ſcripſerunt) interdum immiſcebitur Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor, ſed Lovanienſibus atque inprimis Sinnichio valde æſtimatus.

Porro ne quis exiſtimet, parum hic ad rem facere Theſes Academicas, ſciat Lector, eas non imprimi, niſi approbatas à Doctoribus, quorum eſt præſidere diſputationibus, qui etiam illas ſæpe corrigunt. Licet etiam ſolum approbarent, hoc ſatis eſt judicio Sinnichii, ut doctrinam ipſam cenſeantur certo modo facere ſuam: videatur ipſe Saulis Exr.cap.121.in principio. in Vind.cap.34.

284. Ad hæc, in diſputationibus ipſis argumenta afferunt pro doctrinâ, quæ oppugnatur, & quæ contra objiciuntur, ſolvunt: ita ut propter hæc illi Doctores, qui extra præſidentias iſtas nullam aliam exercent fun-

ctionem Scholaſticam, vocentur tamen profeſſores: diſcipuli verò in gratiarum actione publicâ, quæ ipſis legenda traditur, vocent eos Eruditionis Magiſtros. Notandum etiam, quod juxta ſtatuta non poſſint admittere defendendas propoſitiones, quas Facultas Theologica concorditer improbat.

285. Denique doctrinam Theſium Academicarum ſolere eſſe propriam Magiſtrorum diſputationibus præſidentium ipſimet declararunt, cum Anno 1618. in libello edito contra Jeſuitas contendentes, lectiones ſuas Theologicas eſſe utiles ad gradus Academicos, ſic argumentati ſunt. .... *In diſputationibus quoque & privatis examinibus hoc incommodi eveniet, quod, cum Magiſtri, qui erudierunt, reſpondenti ſubſidio eſſe debeant, frequentiſſimè continget diſcipulos ab aliis Magiſtris deſeri, quoties deduxerint reſponſiones ad eas opiniones, quas didicerint à legentibus, & quas Præſes, vel examinans, ut imperitas rejiciet: atque ita ad ſingula pœne reſponſa cenſuram Præſidis, vel Examinatoris formidabunt.* Oſtendit hæc ratio, ſi ſincerè actum eſt contra Jeſuitas, ſolere Præſides diſputationum Academicarum conſentire cum Diſcipulis de doctrinâ Theſium.

CAPUT I.

Prætereuntur laxitates Doctoris Sinnichii circa dogmata ſanctiora, & præſtandam obedientiam, & ſubmiſſionem Decretis Apoſtolicis.

286. NOn placet mihi illorum Theologorum ſententia, qui docent, ſine gravi peccato licere imponere falſa crimina Accuſatori injuſto ad elevandam ejus fidem, aut detegere ejuſdem crimina occulta ad eumdem finem.

Quando mihi luberet uti undequaque conquiſitâ materiâ idoneâ ad elevandam auctoritatem Sinnichii accuſantis Jeſuitas de laxitatibus in doctrinâ morali, non deberem valde laborare, ut texerem inſignem Catalogum quarumdam laxitatum circa ſanctiora dogmata, & ſubmiſſionem præſtandam decretis Apoſtolicis: in quibus laxitatibus Jeſuitas inprimis habuit adverſarios: neque timerem, ne vel finxiſſe illas viderer, vel occulta quædam prodidiſſe. Jam illum Catalogum habebam utcumque contextum: ſed re maturius conſideratâ ſtatui nunc quidem illo ſuperſedere, & me continere intra eas materias, quas ipſe Accuſator nobis obtulit; ut clarius appareat, me non dare operam accuſationibus; ſed ſolum repellere accuſationes injuſtas. Abſolvatur ergo Caput hoc primum hujus Sectionis ſim-

plici

plici Præteritione. Si intellexero, plus à me requiri, efficiam, ut appareat, non fuiſſe Præteritionem vanam. Laxitas omnium peſſima eſt, quæ verſatur in materiâ dogmatum, de quibus judicium tulit Sedes Apoſtolica &c, Sed hæc nunc quidem ſufficiat indicaſſe.

CAPVT II.

De Probabilitate.

§. I.

Quæ fuerit Sinnichii ſententia in Saule Exrege ſeu Vindiciis de licito uſu opinionis probabilis.

287. Doctor Sinnichius in ſuó Saule modò damnat omnem uſum probabilis opinionis minus tutæ, modò probare aliquem videtur. Saulis Exr. cap. 95. pag. 363. col. 1. in Vind. cap. 8 pag. 81. damnat omnem univerſaliter his verbis: „ In Dei judicio non quæretur à ju„ dicandis, quid dixerit Diana, quid Caramuel, aut alius quiſpiam talium: „ ſed quid Chriſtus, QUID ALII QUIVIS LEGISLATORES & legitimi ſupe„ riores. Unde rectè monet Lactantius; *Ne trahamur auctoritate cujuſquam; ſed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitia pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit:* Poſt pauca pergit Sinnichius: „ Nemo neſcit, humanam quam„ cumque opinionem eo ipſo obnoxiam eſſe periculo erroris, quod non „ tranſcendat limites probabilitatis: ſi igitur contingat, eam reipsâ errare, „ prout contingere poteſt, quiſquis ei ſe in operando, vel otiando confor„ maverit, opinione falsâ decipietur: non ergo ad vitam; ſed ad mortem „ vergit. Mox obſervat, etiam opinionem *probabiliſſimam* poſſe eſſe falſam. Docet ergo ſine diſtinctione materiarum juris naturæ, aut poſitivi, majoris, minoriſve probabilitatis, illicitum eſſe uſum opinionis probabilis minus tutæ.

288. Mox idem Sinnichius ſequenti paginâ Saulis 364. col. 1. in Vind. pag. 84. videri poteſt his contradicere: „ Ubi, inquit, ignorantia excuſat à „ culpâ, etiam probabilitas opinionis eâ ſubnixæ excuſare poterit: ſecus, „ ubi illa non excuſat. Quapropter quotquot cenſent, ignorantiam juris „ ſaltem naturalis non excuſare à culpâ operantem ex ipsâ, conſequenter „ cenſere debent, probabilitatem opinionis eâ ſubnixæ nequaquam excu„ ſare opinantem, & ex tali opinione quantumvis probabili operantem.

„ Cenſent porro illud Auctores claſſici, quorum ſententiam in negotio „ ſalutis æternæ nemo prudens contempſerit, aut contra eam operans ſe„ curum ſe eſſe exiſtimaverit. Hoc loco videbitur inſinuare aliquam ignorantiam, adeoque aliquam probabilitatem excuſare à culpâ.

289. Et tamen rurſus Saul. Exr. cap. 97. in Vind. cap. 9. damnat omnem prorſus opinionem, ut *turpiſsimam*, ut *ignorationis Symptoma*; generaliter affirmat, opinionem eſſe *monſtroſam*, *fœtum humanæ mentis peccato corruptæ*. Et rurſus *Humana*, inquit, *opinio quando falſa eſt, monſtrum eſt*; *quando vera, monſtro æquivalet*: *quia nihil amplius monſtro præſtat*. Et rurſus *cum error in ſe ipſo* SEMPER SIT MALUS, *profectò ejus periculo ſe ſpontaneè exponere*, CENSERI DEBET MALUM: *ſi quidem, qui amat periculum, in illo peribit*. Hæc ego aliaque conſiderans verius puto, quod improbaverit univerſaliter, ut opinionem omnem, tamquam malam; ſic, & multò magis, uſum omnem opinionis probabilis, præcipuè minus tutæ: neque verba illa Sinnichii; *ubi ignorantia excuſat à culpâ, etiam probabilitas opinionis excuſare poterit*, ſatis probant contrarium.

290. Hic obiter Lector conſideret, quam ſibi conſcientiam formare potuerit Sinnichius in ſcribendo Saule Exrege, qui ſcatet tot impoſturis, & calumniis, ut ſuprà oſtenſum eſt. Non fuit poſſibile, ut ipſe in tot affirmationibus falſis haberet plus, quam meras opiniones: imò non fuit poſſibile, ut haberet opiniones probabiles: quia in plurimis manifeſtò apparet, non potuiſſe hominem illa ſic affirmare, niſi per magnam negligentiam, & præcipitantiam: quare ad ſummum habuit opiniones improbabiles, & illas ſecutus eſt. Imò cum dicat, turpiſſimum eſſe, ſuſcipere opinionem, debuit habere quoddam aliud ſecretum, quo ſibi formaret conſcientiam; quod quale ſit, ego non poſſum divinare.

291. Conſideret etiam Lector dogma illud de malitiâ, & monſtroſitate omnis prorſus opinionis, eſſe baſim, quâ Sinnichius fundat præcipuè diſputationem ſuam contra uſum probabilitatum: in hoc verò dogmate ipſum ſibi habere contrarium, non ſolum ſe ipſum, qui tam multa opinatus eſt, & quidem improbabiliter; ſed etiam Doctores omnes morales ſuæ Univerſitatis, Adrianum, Molanum, Mercerum, Malderum, Wiggerum, ceteroſque, quibus de iſto commento ne per ſomnium quidem aliquid venit in mentem, ut de pleriſque patebit ex decurſu.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An defuerint Sinnichio Doctores Lovanienſes qui docuerunt licere ſequi opinionem probabilem etiam in materiâ juris naturæ.

292. HOc erit operæ pretium videre, cum tam generaliter invehatur Sinnichius in illam doctrinam, cenſeatque, Lovanienſem Theologiam puram eſſe illis maculis, quas reprehendit in extraneis Theologis. Sumam verò hîc aliquid de eloquentiâ Sinnichianâ. Deſcribam, quæ lego apud Patrem Ludovicum de Schildere de principiis Conſcient. tract. 2. à num. 18. ubi loquitur ille Auctor.

„ Amplianda hæc ſunt ad caſus, quibus bonitas actionis dependet à „ jure naturæ &c. Primò enim in emptione cenſuum perſonalium, ſive „ illi ſint merè perſonales, ſive hypothecati, ubi Bulla Pii V. de cenſibus „ non eſt in uſu, adeoque in Germaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Belgio abſque „ ſcrupulo procedunt omnes magni æque, ac parvi. Emuntur illi ad fundationem Eccleſiarum, Monaſteriorum, collegiorum. Adminiſtratores „ eorumdem locorum, Epiſcopi, Doctores etiam Theologiæ, Religioſi „ canones ceſſos talium redituum exigunt. Adjuvant executionem Principes per Conſilia ſua, alioſque Judices quotidie, dantes litteras executoriales contra moroſos debitores. Quod ipſum præſtant Judices Eccleſiaſtici, etiam Rectores Univerſitatum. *Uti de Lovanio conſtat, ubi ſubditi Univerſitatis à Rectore Univerſitatis, uti & à Conſervatore privilegiorum „ obtinent, ut per ejuſdem miniſtros executio fiat contra moroſos debitores redituum „ perſonalium.* Et tamen emptio illorum redituum ex jure naturæ non niſi „ probabiliter licita eſt. Siquidem Martinus Papa V. & Calixtus III. Extravag. 1. & 2. de empt. & vend. tantum approbarunt emptionem cenſuum pro quorum ſolutione immobilia gravata ſunt, ſic ut ipſis deſtructis cenſus pereat. Cenſus autem perſonales, etiam hypothecati poſt „ deſtructionem hypothecæ permanent, gravantque perſonam venditoris „ ejuſque hæredum. Unde licet à multis liciti judicentur pro locis, in „ quibus bulla Pii V. non obſervatur, reprobantur à pluribus.

293. Mox citat & plurimos, & graviſſimos Auctores, qui reprobarunt: inter illos Navarrum affirmantem in hâc opinione eſſe *fere omnes*; Cenſium referentem tres Rotæ deciſiones &c. Tum verò ſic pergit.

„ Secundo. Approbati fuere in Belgio montes Pietatis, quorum adminiſtratores à variis accipiunt pecuniam ad cenſum, quam deinde mutuò dant indigentibus, accepto pignore, recepturi eandem intra annum „ cum incremento duodecim cum quadrante in centum, tam pro ſtipendio

„ miniſtrorum, & periculo montis, quam pro canonibus annuis redi-
„ tuum debitorum. Approbaverunt illos ſex Epiſcopi Provinciæ Me-
„ chlinienſis anno 1626. Jacobus Boonen Archiepiſcopus Mechlinien-
„ ſis, Joannes Malderus Epiſcopus Antverpienſis, Antonius Trieſt Epiſ-
„ copus Gandenſis, Jacobus à Caſtro Epiſcopus Ruræmundenſis, Anto-
„ nius de Hennin Epiſcopus Iprenſis, Dionyſius Chriſtophori Epiſco-
„ pus Brugenſis. Ut oſtendere poſſum authenticè. Sub ampliori formâ
„ eos approbarunt Doctores et Professores Theologiæ Lova-
„ nienses, cum admiſerint certos Montes, in quibus mutuatarii coguntur
„ ſolvere poſt annum ſortem, & prætereà quindecim in centum. Signa-
„ runt hoc, Anno 1626. Guilielmus Fabricius, Joannes Schinckelius,
„ Joannes Wiggers. Ac deinde anno 1627. Willelmus Mercerus, Chri-
„ ſtianus Beuſecum, Cornelius Janſenius, Michael Paludanus, Henricus
„ Paridanus. Ex eorumque judicio montes illi procedunt in Belgio ha-
„ ctenus. Et tamen non niſi probabilis eſt eorum juſtitia, cum illis in
„ multis contradixerint plures, ut ex conſultatione Epiſcoporum, & Do-
„ ctorum, & aliunde ſatis patet. Unde neque hîc in negotio tam publi-
„ co, cujus adminiſtratio perſonis tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus Bel-
„ gii commiſſa eſt proceditur juxta viam tutiorem.

294. Poſt pauca ſic proſequitur. „ Quarto praxis Univerſitatum Ca-
„ tholicarum paſſim eſt ut in iis defendantur opiniones probabiles, tutio-
„ ribus relictis. Quæ praxis uſitatiſſima eſt in Schola Theologica Lo-
„ vaniensi, in quâ paſſim ab iis, qui ad gradus Academicos promoventur,
„ ſub præſidio Doctorum Theologiæ defendi ſolent in diſputationibus
„ opiniones probabiles circa jus naturæ, licet oppoſitæ & probabiles, &
„ tutiores ſint. Quod ne gratis affirmare videar, exempla quædam anno-
„ rum poſteriorum adduco excerpta ex theſibus impreſſis, ibidemque
„ propugnatis.

„ Propoſitio hæc: *ſtatim admiſſo peccato nullus ſub novo mortali conteri*
„ *obligatur*. Defenſa iſtic fuit anno 1640. 11. Februar. Anno 1652. 24.
„ Octobr. Anno 1653. 25. Februar. Anno 1654. 12. Junii & 4. Auguſt.
„ Anno 1655. 15. Junii. Anno 1661. 26. Febr. Anno 1662. 11. Febr. &
„ 9. Maii. Anno 1663. 10. Maii. Et tamen oppoſitum tutius eſt, tene-
„ turque à Guilielmo Pariſienſi de Sacramento Pœnitentiæ cap. 19. Ar-
„ chidiacono ad Can. *Ille Rex*. de pœnitentiâ diſt. 3. Thomâ de Argentinâ
„ in 4. diſt. 17. Art. 4. ad. 4. aliiſque nonnullis.

„ Similiter hæc: *Dubius an voverit, non tenetur voto.* Defenſa ibidem fuit
„ anno 1653. 15. Martii 1655. 20. Febr. Anno 1659. 9. Decemb. Anno
„ 1662 12. Junii. Anno 1663. 6. Julii. Et tamen non niſi probabilis
„ eſt. Oppoſitum tutius: teneturque ab Azorio, Vaſquez, Sayro, Perez,

„ Pontio,

„ Pontio, Hurtado, Monteſino, Turriano, Comitolo aliiſque, ut refert „ Boſſius tom. 1. moral. n. 1174. & n. 1589.

„ Hæc verò: *Sciens ſe voviſſe, ſed dubitans utrum ſatis deliberatè, non tenebi- „ bitur voto.* defenſa anno 1662. 1. Martii minus probabilis ex eo eſt, quod „ auctores plures ex iis, qui dubium de voto teneri negant, nihilominus „ velint obligari eum, qui de voto certus, & de deliberatione ſufficienti eſt „ dubius; uti Sanchez de matrim. lib. 1. diſp. 8. n. 10. & in Decal. lib. 4. c. 4. „ n. 13. & 14. cum aliis.

„ Rurſum hæc. *Dubitans de valore matrimonii, poſt diligentem, inquiſitio- „ nem, reddere, & petere debitum poteſt.* Propugnata ibidem fuit anno 1653. „ 23. Junii. Anno 1661. 7. Maii. Et tamen oppoſitum tutius eſt, tene- „ turque ab auctoribus 30. adductis à Boſſio n. 1934.

„ Pariformiter hæc: *Quando damnum grave illatum eſt per ſolam culpam „ venialem, non eſt obligatio in foro conſcientiæ damnum illud reſarciendi.* Ibidem „ defenſa fuit Anno 1653. 26. Maii. Anno 1655. 26. Febr. Anno 1662. „ 5. Octobr. Et tamen tutius eſt tunc imponere obligationem ad ſolven- „ dum partem, uti faciunt Molina D. 698. n. 7. Reginald. lib. 10. num. 74. „ Bonacina de reſtitut. D. 1. Qu. 1. p. 3. num. 9. aut etiam ad totum ſaltem „ ſub veniali, uti faciunt alii.

„ Defenſum ibidem fuit, *quod emptor bonæ fidei, qui poſtmodum deprehendit „ rem eſſe furtivam, reddere eam poſſit furi, ut pretium recuperet, aliàs perdendum, „ ſic ut non teneatur domino.* Anno 1638. 8. Octob. anno 1653. 15. Febr. „ & 28. Maii. Anno 1654. 3. Junii. & 10. Octob. Anno 1655. 23 Auguſt. „ Oppoſitum autem tanquam tutius docetur à Cajetano, Soto, Covarruvia, „ Barth. & Joan. Medina, Tabiena, Armilla, Ledeſma, Sylvio, Molina, prout „ refert Diana p. 1. tract. 8. reſol. 69. Item à Leotardo de uſuris quæſt. 95. „ num. 6.

„ *Quod homicida non tenetur, famulis, creditoribus, aliiſque, quos occiſus ex li- „ beralitate alebat,* propugnatum fuit Anno 1662. 23. Febr. & 2. Martii „ anno 1663. 21. Junii. Neque hoc eſt tutius, neque probabilitatis li- „ mites excedit pro caſu, quo homicida de illis cogitavit. Nam oppoſitum „ tenetur à Sanchez lib. 1. conſilior. cap. 4. dub. 3. & 4. aliiſque.

„ *Quod detractor, qui famam reſtituere non poteſt, ex juſtitiâ non teneatur „ ad compenſationem in pecuniâ faciendam,* propugnatum fuit Anno 1635. „ 23. Maii. Anno 1638. 17. Maii. Anno 1641. 9. Novemb. Anno 1642. „ 15. Novemb. Anno 1652. 11. Octob. Anno 1654. 22. Junii. Anno „ 1660. 10. Decemb. Anno 1661. 15. Feb. & 8. Martii. Anno 1663. 14. „ Febr. Sed neque hoc tutius eſt, neque pluſquam probabile, cum „ pro oppoſitâ ſententiâ auctores duodecim citentur à Dianâ p. 3. tract. 5. „ reſol. 30.

„ *Quod is, qui ſecretò novit, pretium mercium eſſe brevi minuendum, ſine injuſtitiâ*
„ *merces ſuas vendere poſſit pretio currenti.* Defenſum ibidem fuit Anno 1652.
„ 11. Januarii. Anno 1653. 27. Januarii. Anno 1660. 7. Junii. Sed ne-
„ que hoc tutius, neque pluſquam probabile: cui contradixit jam olim
„ ex ſolo lumine naturæ procedens Ethnicus Antipater, & cum eo Cicero
„ lib. 3. de officiis. Et poſtea Medina de reſtitut. Qu. 35 Conradus de con-
„ tractibus quæſt. 62. 63. 76. Pinellus ad. l. 2. C. de reſcind. vendit. p. 3. c. 2.
„ n. 24. Bartol. ad. l. Quæro ff. de actionib. empti, aliique.

„ Non tantum iſtic propugnatum fuit ſæpius, quod emptio cenſus
„ perſonalis ſit licita; ſed etiam quod ſpectato jure naturæ licita ſit emptio
„ cenſus redimendi ad voluntatem emptoris. Scilicet Anno 1653. 12.
„ Martii. Anno 1655. 28. Julii. Etiam cum cenſus perſonalis eſt, anno
„ 1654. 18. Septemb. Quæ opinio multò minus tutior eſt, quam præce-
„ dens: eò, quod deficiente irrecuperabilitate ſortis, titulus ad petendum
„ aliquid annuum à ſorte diſtinctum non ſit major in cenſu, quam in mu-
„ tuo. Unde & opinio illa rejicitur à Soto lib. 6. de juſt. quæſt. 5. Art. 3.
„ Covarruv. l. 3. Variar. cap. 9. num. 4. Navarr. de uſur num. 122. Feli-
„ ciano l. 1. de cenſib. cap. 7. num. 15 Hotomanno de uſur. cap. fin. in fine.
„ Loyſeau l. 1. du deguerpiſſement cap 9. num. 29. Lud. Lopez l. 1. c. 60.
„ in princip. Molinæo ipſo, uſurarum patrono de uſuris q. 50. Binsfeld
„ ad. cap. in civitate de uſuris q. 12. corol. 10. Wameſio centur. 3. conſ. 87.
„ num. 11 Gail. l. 2. obſervat. 7. num. 4. dicente, quod illud pugnâ caret,
„ Aragonio in 2. 2. q. 78. art. 4. conc. 4. dicente emptionem talis cenſus
„ eſſe mutuum cum lucro, & uſurarium. Duardo de cenſib. q. 19. proœm.
„ num. 19. affirmante opinionem dictam eſſe improbabilem, aliiſque ab
„ ipſo adductis.

„ Denique propoſitio hæc: *Poteſt qui in ſocietatem aliquid confert, curare*
„ *ſe aſſecurari de ſorte, & certo lucro, idque non ſolum cum eo, qui non eſt ſocius,*
„ *ſed etiam cum ſocio*, defenſa fuit Anno 1651. 6. Junii. Anno 1652. 22.
„ Junii Anno 1654. 18. Septembris. Et tamen abſtinere ab eo tutius
„ eſt, illicitumque eum eſſe opinantur Abbas l. 6. de juſtit. q. 6. art. 2. Fe-
„ licius de Societate cap 9. num. 25. & 26. Azor de Societate l. 3. q. 6.
„ Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. ad. 5. Loth in Theologiâ Belgicâ tract. 10.
„ art. 7. A Turri. de cambiis Diſp. 3. q. 10. num. 23. cum Conrado, Ban-
„ nez, Rebello.

„ Multæ aliæ ſimiles propoſitiones merè probabiles minuſque tutæ,
„ quam oppoſitæ, adferri poſſunt ibidem ſæpius propoſitæ, & defenſæ.
„ Illud mirum quod etiam præſidentibus Doctoribus nonnullis aſſertio-
„ nis noſtræ adverſariis, qui tenent, illicitum eſſe in materiâ juris naturæ
„ ſequi opinionem probabilem, tutiore relictâ.

Hæc

Digitized by Google

Hæc notanda offerebat P. Ludovicus de Schildere. Nos verò aliqua his addamus.

§. III.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, qui docuerunt, licere ſequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori, & tutiori.

295. PRoludat ſuis Collegis Doctor Sinnichius, qui duobus Annis antequam ederet ſuum Saulem Exregem defenſioni theſium præſedit, in quibus continebantur hæc: *Cum conſcientiâ probabili licitè operamur: Vnde inter opiniones non eſt ſemper neceſſarium ſequi probabiliorem, vel magis tutam: ſed ſatis eſt ſequi opinionem verè, tametſi minus probabilem, relictâ etiam propriâ probabiliori, & tutiori.* Rurſus in Theſibus Præſide Sinnichio defenſis 13. Auguſti 1647. hanc lego: *Licet aliquando, ſed non ſemper, ſequi ſententiam probabilem relictâ probabiliori, quandoque etiam oportet.* Die item 31. Julii 1654. à Sinnichio defenſa eſt hæc: *Contra conſcientiam erroneam agere non licet: aliquando ſecundum probabilem rectè ages relictâ probabiliori, & tutiori.*

296. Hujuſmodi Theſes Doctor Sinnichius approbavit, adeoque *fecit quodam modo ſuas* (ſic ipſe alibi ratiocinatur) judicavit non eſſe concorditer improbatas à Facultate Lovanienſi. Vide alia in hanc rem num. 283. Hæc mihi conſideranti videtur ſtupendum, quomodo potuerit aſſumere perſonam Cenſoris tam ſeveri, & tam libere perſtringentis hujuſmodi doctrinam, cujus ſciebat ſe ipſum eſſe reum. Debebat, ut videretur ſerius, & ſyncerus, alicubi fateri, ſe quoque nuper fuiſſe *Laxonem*, & *Laxitatum Patronum* (quibus nominibus alios illius doctrinæ Patronos toties honorat) Tandem verò aperuiſſe oculos, & pœnitere.

297. Ignovit ſibi ipſi, & ſuis Collegis: ſed re ipsâ non pepercit, quando notum vulgò eſt, quid docuerint. Quare judicio Doctoris Sinnichii *Laxonibus* adnumerandus erit Reverendiſſimus Epiſcopus Antverpienſis Joannes Malderus Lovan. Doctor, qui 1.2. diſp.86. ſic docuit: *Dico tertiò: licet aliquando ſequi minus probabilem, relicta probabiliori; etiamſi probabilior fuerit tutior.*

Cumque objeciſſet ſic: *Qui cenſet oppoſitum eſſe probabilius, cenſet id, quod ipſe ſequitur, eſſe falſum: facit ergo contra conſcientiam.* Reſpondet, *ſequelam eſſe vitioſam: quod enim ſpeculative judicat, eſſe falſum, poteſt judicare probabile, & tale, quod prudenter ſequi liceat.* Mox verò, *Dico quartò*, inquit, *ſubditus debet parere ſuperiori, præcipienti opus, quod ſecundum probabilem ſententiam licet, etiamſi ſecundum probabiliorem ſubditi idem opus non ſit licitum.* Et poſtea: *Dico quintò:*

Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem, habentem opinionem probabilem, ſecundum quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundum probabiliorem ipſe Confeſſarius tenet eſſe illicitum. Hæc omnia tantus vir Joannes Malderus, magnum decus Lovanienſis Academiæ: debebat illum venerari Doctor Sinnichius.

Fortaſſe ignorabat doctrinam ſui Collegæ Doctoris Lovan. Thomæ Leonardi nihil diſſimulantis, ut ſyncerum Thomiſtam decebat, doctrinam Thomiſtarum lib. 2. de hominis Juſtit. cap. 7. ubi dum operoſe opponit ſe dogmati Janſeniano de invincibili ignorantia juris naturæ non excuſante à peccato: „ Ingens, inquit, orietur perplexitas animo„rum: cum enim ſint plurimi contractus, & innumerabiles caſus, „ in quibus controvertitur inter Doctores, an in iis reperiatur aliquid „ contra legem naturæ, vel non, & utrimque ſint probabiles opinio„nes, ſequitur, quod conformans ſe probabili opinioni, vel etiam pro„babiliori dictanti id licere, caſu quo juxta legem naturæ non liceat, „ peccet coram Deo, etiamſi adhibuerit omnem diligentiam ..... Unde „ ſequeretur, quod in pertinentibus ad legem naturæ homines ſemper „ tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longè eſſet proba„bilior ..... QUAM AUTEM HÆC ABSURDA SINT, PATET CONSIDERANTI. „ Hæc ille inſignis Thomiſta, & Doctor Lovanienſis.

Sed non debebat contemnere Sinnichius Guilielmum Mecerum Lovanienſem Doctorem celebrem, qui & ipſe in 3. p. q. 8. ſuppl. a. 5. dub. 3. hæc docuit: *Si pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confeſſor judicet, debet Confeſſor eum abſolvere. Ratio eſt, quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, eſt bene diſpoſitus, & integrè confeſſus: ergo Confeſſor, cui hoc eſt evidens, faceret illi injuriam, ſi ipſum ſine abſolutione dimitteret.*

298. Parcere etiam debebat Joanni Wiggero Lovanienſi Doctori ſcriptis libris celeberrimo qui 1. 2. q. 19. a. 6. ſic docuit. *Dico quartò, quando ex utrâque parte ſunt opiniones probabiles, quarum una eſt probabilior, & altera minus probabilis, poſſum in actionibus moralibus ſequi minus probabilem, modò verè, & abſolutè probabilis ſit, relictâ probabiliori, non tantum quando minus probabilis tutior eſt, vel quando ab operante habetur uti probabilior: ſed etiam quando eſt minus tuta, & habetur ab operante tamquam minus probabilis.* His addit ibidem: *Dico quintò: Interdum contingit, quod in operando teneamur ſequi ſententiam probabilem, prætermiſſâ probabiliori, aut æque probabili, quamvis etiam hæc per ſe loquendo eſſet tutior, ſemotis omnibus extrinſecis.*

299. Parcere item debebat Lovanienſi Doctori Joanni Molano tract. de Virtut. cap. 1. num. 16. 17. 18. paucis more ſuo multa complectenti: *Voluntas, quæ concordat cum ratione errante, aliquando excuſatur, ut non ſit ſimpliciter mala: idcoque conſultum eſt in agendo rationis ſcrupulos rejicere, & Docto-*

ribus

Digitized by Google

ribus inter ſe diſſidentibus, ſententiam quorumdam pro certâ acceptare; etiamſi fortaſſis aliorum ſententia ſit melior.

300. Sed præ ceteris cavere debebat, ne Adrianum VI. Pontificem, Lovanienſem Doctorem videretur *laxonibus* adnumeraſſe. Non dubitavit Adrianus, etiam ante Pontificatum, quin liceret ſequi probabilem opinionem, relictâ tutiori, ut patet ex his ejus verbis quodlib.2. puncto 1. *Si credo Doctoribus aſſerentibus, mihi aliquid licere, etſi emergat in me ratio probans, non licere, quam ſolvere neſcio; ſi dictis eorum contra rationem fidem habeo, licitè ago contra illam apparentiam, ut contra ſcrupulum.* Videtur tamen in iſto Quodlibeto ſenſiſſe, non licere ſequi probabilem, ſi oppoſitâ videatur non ſolum tutior, ſed etiam probabilior. Verum in Pontificatu alia ſapuit, ut conſtat ex narratione Dominici Soti in 4. diſp. 27. q. 1. a.4. quam refert ipſe Sinnichius in Saule Exrege, cap.67. pag.227. col. 2. his verbis: *Adrianus VI.* inquit, *Sotus, vir tum juris utriuſque peritiſſimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cum ab ipſo hujuſmodi diſpenſatio* (in matrimonio rato) *fuiſſet poſtulata, oblataque fautrix ſententia Cajetani, demiratus eſt, virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe, & ideo improbis precibus ſuccumbens reſpondit, ſe dare, quod poſſet; ſed tamen credere, ſe nihil poſſe.* Oſtendi num.15. fuiſſe tutius, non dari illam diſpenſationem. Intelligitur etiam ex dictis ibi, ſi cum præſenti narratione conferantur, Adriano fuiſſe viſum probabilius, non fuiſſe licitam illam diſpenſationem.

301. Sed obiter obſerva, ipſum Sinnichium narrationi Soti hæc ſubjungere: *Neque enim pejoris conditionis cenſeri debent Summi Pontifices, quam ceteri homines, quibus ſubinde licitum eſt in praxi procedere ſecundum probabilem ſententiam, ei etiam opinioni adverſam, quam ſpeculativè reputant veriorem.* Ego non capio, quomodo certius fuerit, *licuiſſe* Pontifici diſpenſare, quam *potuiſſe* illum diſpenſare: ſi hoc idem putavit Sinnichius, mirabiliter ſui factus eſt immemor, ubi contra Tamburinum poſteà cœpit ſcribere. Si putavit, fuiſſe certius, *licere* diſpenſare, quam *poſſe*: nullo id fundamento putavit.

Plures mihi cupio afferri Doctores Lovanienſes, qui editis libris quæſtionem ex profeſſo tractaverint, neque deſperabo, me plures oſtenſurum ejuſdem ſententiæ Patronos.

302. Accedat pro auctario æſtimatiſſimus Lovanienſibus Duacenus Doctor Franciſcus Sylvius 1. 2. q. 19. a.5. quæſt.9. concl.2. ſic loquens: *In opinionibus de honeſtate actionum, non eſt neceſſarium ſequi opinionem tutiorem; ſed ſatis eſt ſequi tutam.* Mox verò concl. 3. ſic: *Quando ſunt duæ opiniones verè probabiles, Licitum eſt relictâ probabiliore ſequi minus probabilem: ſive hæc quæ minus probabilis eſt, ſit tutior, ſive non.* Et mox concluſ.4. ſic: *Quando aliqua opinio revera eſt probabilis, poteſt vir doctus eam ſequi contra propriam opinionem, & poteſt etiam aliis conſilium dare juxta illam.*

Prolixus fiam, ſi deſcribam impreſſas Theſes, quibus hæc defenderunt Doctores Lovanienſes, videamus quaſdam.

303. Die 22. Junii 1639. hæc defenſa eſt: *Formari poteſt conſcientia bona juxta opinionem probabilem:* Die 3. Febr. 1640. hæc: *formari poteſt conſcientia bona juxta ſententiam probabilem, relictâ oppoſitâ probabiliore, & ſecundum ſe tutiore; imò juxta eam aliquando ex obligatione operandum eſt, etſi ab agente talis habeatur.*

Die 2. Decemb. 1650. Jacobus Pontanus Lovanienſis Doctor hanc defendit: *Prudenter agit ſequendo ſententiam probabilem, etiam relictâ probabiliori, & tutiori, niſi charitas obſtet, aut juſtitia.* Die 30. Maii 1653. Gerardus van Werm Lovanienſis Doctor hanc: *Licitum eſt operari juxta ſententiam probabilem, imò juxta minus probabilem, relictâ probabiliori, & tutiori.* Die 10. Junii 1653. Libertus Fromondus Lovanienſis Doctor hanc: *Poteſt eſſe recta conſcientia diſcordans à ſententiâ probabiliori, & tutiori: imò contingit, ſecundum eam debere nos operari.* Die 6. Novemb. 1659. rurſus Jacobus Pontanus hanc defendit: *Hinc ne inferas; ergo peccas ſequendo ſententiam probabilem: quin imò quando ab utrâque parte ſunt probabiles, etiam quarum una eſt probabilior alterâ, quamlibet ſine peccato poteris ſequi; non tamen ſemper. Sed quid ſi minus probabilis ſit minus tuta? R. ſubinde minus tutam tunc poſſumus ſequi, & aliquando etiam tenemur.* Et die 2. Auguſti 1663. idem Jacob. Pontanus: *Quia non omnium actionum moralium naturam ita penetrare datum eſt, ut quid licitè, quid illicitè fiat, in quâcumque occaſione certò noverimus, rectè quandoque probabile, aut ei æquivalens judicium ſequimur.* Rurſus die 16. Januarii 1637. Fromondus propugnavit hanc: *In actionibus moralibus juxta opinionem probabilem ambulare (etſi ſit hæc minus tuta)* CONTEMPTA ETIAM SCIENTER *probabiliori, regulæ prudentiæ non repugnat: nec enim verum, ſemper tutiorem partem eligi oportere.* Alia prætereo non pauca hujus generis.

Eſtne poſſibile Doctorem Sinnichium toto tractatu de laxitatibus tam impotenter, & toties invehi in hujuſmodi ſententias Theologorum externorum, quos vocat *Laxones, & Laxitatum patronos*, comparat *Libertinis, Quintiniſtis, Gnoſticis &c.* cum non ignoraret talia à ſe, & à ſuis Collegis fuiſſe approbata toties, & publicè defenſa, fuiſſe etiam ſcriptis libris mandata à præcipuis Lovanienſis Academiæ Doctoribus?

§. IV.

§. IV.

Sinnichius in praxi ſecutus eſt opiniones unius Doctoris.

304. VAriâ circumſpectione, & limitatione docuerat Tamburinus, licere ſequi opinionem unius Doctoris, ut vidimus num. 24. diſplicuit hoc graviter Sinnichio, ſed debebat primum ipſe ſibi diſplicere; qui nequidem adhibitis illis moderationibus, quas præſcribit Tamburinus, re ipsâ ſecutus eſt in ipsâ ſcriptione ſui Saulis, opinionem unius Doctoris, & quidem minus tutam. Cujus verò Doctoris? Unius Sinnichii, ſeu propriam. Exhibeamus quædam ſpecimina ex multis, ut prima occurrent.

Solus Sinnichius opinatus eſt, Tamburinum ſimpliciter docuiſſe, *prævisionem carentiæ miſſæ non obſtare, quò minus quis proficiſcatur venatum ad locum deſertum, ubi ob penuriam ſacerdotis nequibit die feſto Miſſam audire*: adeoque ſolus Sinnichius opinatus eſt ſcripto libro licere tribuere hanc doctrinam Tamburino: ſecutus verò eſt hanc opinionem ſuam, & Tamburino doctrinam affinxit: Eſt nimirum evidenter falſum, quod Tamburinus ita docuerit: ad ſummum id docuit de caſu valde ſingulari, & exquiſitis circumſtantiis affecto: negavit verò diſertè, id univerſaliter licere, ut intelliget Lector ex dictis n. 87. Hoc verò eſt ſequi opinionem unius Doctoris; non probabilem, ſed improbabilem.

Solus Sinnichius opinatus eſt Tamburinum ſimpliciter docuiſſe, *Te ſatisfacere præcepto, ſi horas recites animo non ſatisfaciendi.* Quis Lector credens Sinnichio ſuſpicetur, Tamburinum hîc agnoviſſe aliquod peccatum contra præceptum? Et tamen evidens eſt, quòd agnoverit: vide dicta n. 85. Suam ſolius opinionem hanc prorſus improbabilem ſecutus eſt Sinnichius, ubi agebatur de honore tertii.

305. Solus Sinnichius opinatus eſt, *Eſcobarium permittere, perveniri bibones uſque ad hunc effectum, Bacchici crateris, qui eſt vomitus, eatenus ſaltem, ut gravem culpam neutiquam incurrant, dummodò tamen grave incommodum valetudini ſuæ non inferant.* Eſt hoc evidenter falſum ut patet ex dictis num. 261.

Solus Sinnichius opinatus eſt, Gabrielem Vaſquez docuiſſe, vix umquam eſſe obligationem faciendi eleëmoſynam ſaltem extra neceſſitatem proximi extremam: vel certè ſolus opinatus eſt, licere doctrinam Vaſquez ita trunctatè proponere, ut Lector Sinnichio credens exiſtimaturus ſit, ſic docuiſſe Auctorem. Eſt autem evidenter falſum, quod ſic docuerit, ut patet ex dictis n. 107. & ſeq.

Solus Sinnichius opinatus eſt, Tamburinum id, quod nomine ſuo non audebat, *alienam perſonam pro ſe reſpondentem induxiſſe*; licere ſcilicet falſum crimen imponere teſti calumnianti. Oſtendi n. 229. nullâ veri ſpecie id opinatum eſſe.

Non perſequor ceteras calumnias hujus generis, de quibus ſuprà: tantum animadvertat Lector, in his omnibus Sinnichium ſecutum eſſe opinionem minus tutam unius Doctoris, hoc eſt ſuam, eamque deſtitutam omnibus iis conditionibus, ad quas doctrinam ſuam reſtrinxit Tamburinus. Quare magis laxus fuit Sinnichius in praxi, quam Tamburinus in doctrinâ.

306. Hoc loco opportuna erunt verba Guilielmi Herinx diſp. 4. de Actib. human. q. 3. n. 20. ubi ſic loquitur ille vir ſapiens: „ Sunt, qui, „ dum vehementius in ſententiarum probabilitatem, etiam cenſuris publi- „ cis, invehuntur, ipſi practicè pejores ſibi conſcientias formant, præmatu- „ rè condemnando, quos tolerat S. Mater Eccleſia, ac operando ETIAM „ IN MATERIIS FIDEI ſecundum ſententiam communi proborum judicio „ improbabiles, ut nimirum Opiniones ſuas (verius errores) quoniam „ jam ſuæ factæ ſunt, ſine ſpecie palinodiæ tueri non deſiſtant. Sunt in- „ ſuper, qui ſic ſcripta, ac ſenſa privatorum Doctorum libellis publicis vel- „ ut famoſis hoc licentioſo ſæculo taxant, indeque Concluſiones piarum „ aurium offenſivas deducunt, cum gravi ſcandalo, & pernicie animarum, „ in hâc ipsâ praxi improbabiles ſibi ſententias effingendo, &, quod intra „ ſcholarum muros ſcholaſticè diſputabant, vulgi non intelligentis oculis „ linguâ vulgari proponendo; an eâ quoque quâ decet ſynceritate, judi- „ cium ſit penes illos, qui accuratius iſta indagarunt. Hæc ille inſignis Theologus; quæ non male quadrant hoc loco.

§. V.

An defuerint Sinnichio alii Lovanienſes Doctores, qui cenſuerunt licere ſequi opinionem unius Doctoris.

307. ALios videamus Lovanienſes Doctores. Profectò Adrianus Pontifex, Lovanienſis Doctor videtur non putaſſe illicitum, ſequi aliquando unius Doctoris ſententiam; quandoquidem, ut vidimus, nominato ſibi ſolo Cajetano, ejus opinioni conformavit ſe in praxi contra opinionem propriam; ut conſtat ex relatione Dominici Soti, de quâ ſuprà n. 300.

Valde notanda eſt doctrina Adriani Quodlib. 1. art. 3. ad 3. principale argumen. Alphab. 2. litt. H. ubi ſic loquitur: *Ex his credo probabiliter dicendum,*

cendum, quod ſyncero affectu ſalutem animæ ſuæ quærens, ſi conſilio Magiſtri, vel egregii illius Doctoris Hugonis de S. Victore propter ſcandalum vitandum non veræ uxori debitum reddiderit, excuſatur à peccato: etiamſi eorum opinio ſit erronea. Caſus autem, de quo loquitur, eſt, cum quis ſciens matrimonium ſuum eſſe irritum ob Eccleſiaſticum impedimentum, compellitur tamen per ſententiam Judicis reddere debitum non veræ uxori. Docuerant hoc licere Magiſter, & Hugo de S. Victore ob ſcandalum vitandum. Adrianus verò cenſet probabiliter dicendum, quod excuſetur à peccato, ſi quis ſciens non eſſe veram uxorem conſilio *Magiſtri*, VEL *Hugonis* obſecutus debitum reddat; idque *etiamſi eorum opinio ſit erronea.* Mox verò modeſtiſſimus Doctor: *Ubi autem*, inquit, *opinio Magiſtri, & Hugonis de S. Victore reprobata ſit (ſi reprobata eſt) majoribus meis diſcutiendum relinquo. Mihi ſatis eſt, ſi dubitando inveſtigandi occaſionem dederim, ut ſub menſâ dominorum micas edere poſſim.* Imitanda eſt nobis, fuitque Sinnichio, modeſtia tanti viri in materiis dubiis, & merè probabilibus. Interea *credit* Adrianus *probabiliter dicendum*, excuſari quempiam poſſe, ſi conſilio Magiſtri, vel Hugonis reddat debitum uxori, quam ſcit non eſſe veram uxorem.

Quod ſi agatur de opinione, & auctoritate propria ipſius operantis, dubium non eſt, quin doceat Adrianus Quodlib. 2. puncto 3. licere, & ſæpe oportere illam ſequi contra opinionem Doctorum omnium, & contra præceptum ipſius legitimi Superioris.

Contrà verò Wiggerus Lovanienſis Doctor 1.2. q.19. a.6. dub. 5.n.38. docet, ſubditum contraria opinantem ſuperiori præcipienti, *qui eſt vir bonus, & intelligens, captivare debere intellectum ſub auctoritate Prælati, & credere debere non eſſe illicitum, quod tale exiſtimabat, quamvis rationes in contrarium non valeat dilucidè diſſolvere; niſi omnino foret manifeſtum, & notorium, illud divinis legibus adverſari.* Putavit ergo Wiggerus licere ſequi ſententiam unius Doctoris ſaltem *boni, & intelligentis &c.* Plures conditiones requiſivit Tamburinus, ut hoc liceret.

Idem ſenſit Lovanienſis Doctor Malderus Epiſcopus 1.2. diſp 86. opinionem probabilem, quam ſequi liceat, definiens, *quæ nititur auctoritate fide dignâ, aut non levi ratione, neque pugnat cum doctrinâ ab Eccleſiâ receptâ, neque temerè contradicit communi, & receptæ Doctorum ſententiæ, vel evidenti rationi.* Quare etiam unius Doctoris opinio talis erit, ſi habeat conditiones illas, ac inprimis eam, ut *non temerè* contradicat communi ſententiæ, quas ipſas conditiones requirit quoque Tamburinus, verbis relatis num.24.

308. Dicemuſne diſſentire Molanum tract. de Virtut. c. 1. n. 18. docentem, Doctoribus inter ſe diſſidentibus, licere ſequi SENTENTIAM QUORUMDAM, *etiamſi fortaſſis aliorum ſententia ſit melior?* Videturne fuiſſe ſolicitus de numero Doctorum?

So-

Digitized by Google

Solicitus non fuit Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor, Lovanienſibus æſtimatiſſimus, cum enim 1.2. q.19. art.5. Quæſito 8. concluſ.2. docuiſſet ſubditum dubitantem, an res à Superiore præcepta ſit licita, debere hoc ipſo quo præcepta eſt, exiſtimare eſſe licitam, plus etiam hoc addidit; *Imò quamvis ſuperior non præcipiat, ordinariè tutiſſimum ſubditis dubitantibus remedium eſt, ſua dubia exponere ad conſilium ſui ſuperioris, ſeu Prælati, ſive Parochi, ſive Confeſſarii: & propterea quando religioſus dubitat, utrum ſua infirmitas ſit ſufficiens ad non jejunandum, vel ad non legendum horas, non ſolum ad mandatum, ſed etiam ad conſilium ſui Prælati, qui habetur vir bonus, & diſcretus, ſecurè poteſt abſtinere à jejunio, vel ab Horis.* Hoc verò, niſi fallor, eſt ſequi opinionem unius Doctoris.

His præiverat jam olim Godſcalcus Lovanienſis Doctor in Confeſſionali Tit. *de eo, qui ignorat, aliquod eſſe mortale* pag.170. col.2. edit. Lovan. 1559. *Stante*, inquit, *dubio in aliquo facto, an ſit mortale, vel veniale, quod confitens commiſit, tenetur illud confiteri, ſed poſtquam à viro docto deſuper informatus fuerit, quod non ſit mortale, tunc ceſſat dubium, nec tenetur de illo vel ſimili facto, ſi amplius committat, facere confeſſionem.* Hoc quoque ſi non fallor, eſt ſequi opinionem unius Doctoris. Nulla cura fuit Sinnichio parcere honori talium virorum.

CAPUT III.

De Ignorantiâ, inadvertentiâ, impotentiâ.

§. I.

Quid Doctor Sinnichius ſenſerit de ignorantiâ invincibili.

309. DOctor Sinnichius varius fuit in hâc materiâ. Omitto, quæ ſenſit multò prius, quam ſcriberet ſuum Saulem, unà cum ſuis Collegis quibuſdam approbans, & magnificè extollens Auguſtinum Janſenii die 24. Decemb. 1641. Conſtat ſcilicet inter capitalia Janſenii dogmata hoc fuiſſe, quo ſenſit, *Ignorantiam, etiam quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, invincibilem non carere peccato, & pœnalem ignorantiam noſtram, in quâ nati ſumus etiam invincibilem, & incavibilem nullo modo excuſare peccatum &c.* Hoc ille magnâ parte lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ agit operosè. Omitto Theſes, in quibus dogma idem approbavit Sinnichius die 10. Decemb. 1649. hanc defendit: *Ignorantia antecedens totaliter excuſat, niſi fuerit juris naturæ.* Die 4. Febr. 1651. hanc: *Aliud peccati originalis*

Digitized by Google

vulnus eſt ignorantia, quæ ſi fuerit invincibilis legis poſitivæ etiam divinæ, & facti, excuſat quidem; ſed ſi legis naturæ fuerit, minimè. nec mirum videri debet quod homines in aliquo actu, peccent, IN QUO SE PECCARE INVINCIBILITER NESCIUNT.

310. In ipſo Saule Exrege videtur placuiſſe dogma idem Sinnichio: quia Saulis Exr. cap. 96. in Vind. cap. 9. probat, non licere ſequi ſententiam probabilem, ac ne quidem probabiliſſimam, ſaltem in materiâ juris naturæ; quia in hâc materiâ nullam ignorantiam excuſare à culpâ docent *Auctores claſſici, quorum ſententiam in negotio ſalutis æternæ nemo prudens contempſerit.* Auctores verò illos ſic producit compilatis ex Auguſtino Janſenii teſtimoniis, ut nemo, qui legat, dubitare poſſit, quin probare velit, ignorantiam invincibilem non excuſare à culpâ: imò diſertè concludit, non ſolum factum ex ignorantiâ; ſed etiam ipſam ignorantiam eſſe peccatum: ſic enim loquitur: *Planum igitur eſt juxta mentem tam illius Synodi Diſpolitanæ, quam Auguſtini eamdem hâc ex parte approbantis, oblivionem, & ignorantiam ſubjacere peccato, non ſolum quando eveniunt ſecundum voluntatem; ſed etiam quando ſecundum neceſſitatem. De ſolo enim poſteriori iſto caſu viguit controverſia Catholicorum cum Pelagianis; non autem de priori: neque enim alterutra pars dubitavit, quin oblivio, & ignorantia ſubjacerent peccato, quando eveniſſent ſecundum voluntatem.* Et poſt pauca: *Non igitur de prioribus illis controvertebatur, qui non curabant ſcire, ſed de poſterioribus, qui intelligere volebant, nec poterant, & faciebant contra legem, non intelligendo quid fieri vellet.*

311. Huc uſque cum veniſſet longâ oratione, ſubitò gradum cœpit reflectere dicens: *Hos ipſos non omnino dicendos eſſe non potuiſſe intelligere; ſed dumtaxat ex hypotheſi, quod neglexerint ſapientiam à Deo petere, & tantum petere, quomodo, & quantum res tanta petenda eſt.* Sed quid ſi reverà hoc ipſum non neglexerint? An eſt infallibile impetraturos? Quid ſi etiam puero primum utenti ratione non adhuc venerit in mentem petendam eſſe ſapientiam? hæc differantur in 2. partem Stateræ.

Tandem verò Saulis Exr. cap. 101. pag. 397. col. 2. in Vind. cap. 14. pag. 165. apertè repudiat illam ſententiam, fatetur ignorantiam juris naturæ, ſi daretur, excuſaturam à peccato, affirmat *ignorantiam præceptorum Decalogi numquam in hominibus uſu rationis præditis dari invincibilem.* Atque ita ſurſum deorſum verſat, quidquid ante ſtruxerat, & non tam conficit, non licere ſequi ſententiam probabilem in materiâ juris naturæ, quam nullam dari ſententiam probabilem in illâ materiâ. Sed de hoc alibi.

Digitized by Google

§. II.

Turpiſſimè proſtituit Sinnichius doctrinam Lovanienſium Doctorum de Ignorantiâ invincibili.

312. FUndamentum tot maledictis contra Probabiliſtas, quibus ſcatet Saul Exrex, ſeu Vindiciæ Decalogicæ, unum ex præcipuis locat Sinnichius illud dogma, quo denique ſtatuit, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturæ: videamus ergo, quomodo involvat non illos ſolos, quos oderat, ſed & Doctores Lovanienſis Academiæ.

Incipiamus à Cornelio Janſenio Iprenſi Epiſcopo de cujus Auguſtino Sinnichius cum reliquâ Facultate ſolenni decreto ſæpius nobis memorato ſic pronuntiaverat die 24. Decemb. 1641. *Videtur nobis in pleriſque, & quidem capitalibus dogmatibus S. Auguſtino, & veteri illi Facultatis noſtræ Theologicæ doctrina conformis, quæ à Majoribus noſtris in Cenſurâ Anni 1586. adverſus P. Leſſii Articulos breviter delineata* (ſed Cenſurâ caſſatâ, & irritatâ juſſu Sixti V. die 10. Julii 1588.) *ac deinde in Iuſtificatione cenſuræ Anno 1591. latius explicata, & ad S. Sedem miſſa fuit* (ſi miſſa fuit, non fecit magna miracula: quia non licuit illam edere in lucem) *Ac denique Anno 1613. die 30. Iulii ab univerſâ facultate, nemine Magiſtrorum contradicente approbata.* Si Facultas univerſa approbavit *juſtificationem cenſuræ*, Univerſa *nemine Magiſtrorum excepto*, peccavit contra mandatum Apoſtolicum ſub pœnâ Excommunicationis latæ ſententiæ, quo caſſata erat cenſura. Certè contra mandatum hoc illi peccarunt, qui elapſis Annis quinquaginta quatuor circiter à ſcriptâ Juſtificatione, illam evulgarunt Anno 1641. Neque mirum eſſet, ſi id eſſet auſus ille qui eodem Anno 1641. edidit ſuam *Homologiam*, quâ contra idem Mandatum Apoſtolicum æquè peccavit. Sed de hoc plura, quando judicabitur expedire, ut Caput primum hujus ſectionis, quod expedivimus per præteritionem, magis explicate evolvatur.

313. Judicavit Sinnichius cum ſuis doctrinam Auguſtini Janſeniani in capitalibus punctis eſſe conformem veteri doctrinæ Facultatis Theologicæ: credibile eſt igitur, id ipſi viſum quoque de ejuſdem libri doctrinâ pertinente ad ignorantiam, quæ certè eſt ex capitalibus. Atqui Janſenius planiſſimè agnovit dari ignorantiam invincibilem juris naturæ: legatur lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. *Patet*, inquit, *Auguſtinum, cum toties dicit, hominem peccare per ignorantiam, quâ non ſolum ſe peccare non videt*, SED ETIAM VIDERE NON POTEST, *de illâ ignorantiâ loqui, quâ quis ignorat ea, quæ lege Decalogi, hoc eſt lege naturæ, prohibentur.* Sequuntur ibi alia multa

in

in eundem ſenſum. Caput 6. ſic orditur. *Cur verò iſta juris naturalis invincibilis ignorantia magis culpabilem in peccando faciat &c.* Et infrà: *Si iſta peccata iſtius invincibilis ignorantiæ, cum quâ infidelis quiſque naſcitur, vera peccata non ſint, nulla ratio eſt, cur non pleraque eorum peccata, qui divino judicio excæcati ſunt, ab omni iniquitate purgemus?* Manifeſtè non ſolum ſupponit, ſed aſſerit locis plurimis, dari reipsâ iſtam ignorantiam. Habemus ergo, niſi fallor, judicio Sinnichii, & Facultatis Theologicæ, ſenſum Janſenii *conformem doctrinæ veteri Facultatis Theologicæ Lovanienſis.*

314. Mirum ſi non hæc eadem placuiſſent Michaeli Bajo, à quo ſua tam multa accepit Janſenius: non obſcurè ſe Baijus explicuit lib. de peccato originis cap. 3. ubi non merum effectum, ſed partem originalis peccati ſtatuit eſſe ignorantiam, quâ fit, ut terrena ſapiamus, & non percipiamus, ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, niſi ipſe mentes noſtras illuminet. Sed quid ſi non illuminet? nota ſunt Baji dogmata de impoſſibilitate præceptorum, neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ &c.; Agnovit ergo ignorantiam illam in hoc ſtatu invincibilem.

Conſentanea ſapuit de ignorantiâ Baji diſcipulus Guilielmus Eſtius in 2. diſt. 22. §. 14. diſertè docens ignorantiam invincibilem peccati contra legem naturæ non excuſare à peccato: illamque *ignorantiam à peccato originali relictam non poſſe omnino in hâc vitâ ſuperari.* Conſentanea prorſus Libertus Fromondus in ſuâ Anatomiâ cap. 12. *Videtur*, inquit, *multis nimis admirabile, & durum, quod homines in aliquo actu peccent, in quo ſe peccare invincibiliter neſciunt: non hoc magis mirum &c.*

Atque his quidem conſentit Sinnichius de ignorantiâ juris naturæ non excuſante à peccato, deſiit verò conſentire de ignorantiâ invincibili juris naturæ, ne non placeret vulgo in Saule Exrege implacidum dogma de actuali, & damnabili peccato ex invincibili ignorantiâ. Multò magis deſtituit Doctores reliquos Lovanienſis Academiæ, humanius ſentientes, ignorantiam invincibilem juris naturæ & dari, & excuſare à peccato.

315. Fuit hæc ſententia Adriani Quodlib. 1. art. 3. Alphab. 2. litt. G. & H. ſic docentis: *Verum eſt tamen, quod ignorantia juris naturalis, quoad prima principia legis naturæ, & alia, quæ quis pro officio, vel ſtatu ſcire tenetur, unicuique eſt damnabilis. Et ſic credo ſumitandum illud*; Ignorantia juris naturalis omnibus adultis &c. . . . . . *Ex his credo probabiliter dicendum quod ſyncero affectu ſalutem animæ ſuæ quærens, ſi conſilio Magiſtri, vel Egregii illius Doctoris Hugonis de S. Victore propter ſcandalum vitandum non vera uxori debitum reddiderit, excuſatur à peccato, etiamſi eorum opinio ſit erronea.* Caſus erat, ut ſuprà monui, quo quis ſciret, matrimonium ſuum eſſe irritum ob Eccleſiaſticum impedimentum, atque à Judice compelleretur debitum reddere uxori

vulgò putatæ, ſed non veræ. Credit verò Adrianus, probabiliter dicendum, quod ille debitum reddens uxori; quam ſcit non eſſe veram uxorem, excuſetur à peccato, ſecutus ſententiam Magiſtri, vel Hugonis de S. Victore. Erat profectò ille caſus ignorantiæ juris naturæ, ut per ſe patet.

Sententia Adriani hæc eſt: Nullam eſſe ignorantiam invincibilem, cum homo non facit, quod in ſe eſt: eſſe verò aliquam, cum homo facit, quod in ſe eſt; quia ſcilicet etiam facienti, quod in ſe eſt, aliquando negat Deus eorum intelligentiam, quæ jus naturæ dictat. Sic ſe declarat Adrianus Quodlib. 2. q. 1. ſine argumentis ad. 2. *Nullus errat invincibiliter, niſi faciat, quod in ſe eſt, ut miniſterio hominum, vel internâ Dei inſpiratione doceatur de veritate.* Quaſi dicat: Tunc aliquis errat, vel errare poteſt invincibiliter, cum facit, quod in ſe eſt. Cenſet tamen facienti, quod in ſe eſt, numquam negari illuminationem divinam in neceſſariis ad ſalutem: cum enim retuliſſet hæc verba D.Thomæ: *In iis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat:* hæc ſubdit ipſe: *Quod intelligo de iis, quæ tali neceſſaria ſunt ad ſalutem. Alias numquam error etiam invincibilis excuſaret:* QUEM TAMEN PATIUNTUR MULTI EXISTENTES IN CHARITATE. *Nec ſemper edocemur à Spiritu S. in talibus: quo caſu intelligendum exiſtimo illud Joannis 9.* Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.

Porrò neceſſaria ad ſalutem non intelligit jus naturæ quodlibet: ſed COMMUNIA *juris naturalis præcepta*: quæ nimirum citra negligentiam ignorari non poſſunt: tum verò & *communes Articulos fidei de potentiâ Dei, de Chriſti Humanitate, Paſſione, & Reſurrectione.* Videatur Quodlib. 4. q. 1. Alphab. 3. litt. G.

316. Inter primos Lovanienſis Academiæ Doctores Theologos celebris fuit Joannes Beets Ordinis Carmelitarum (Academiam illam in ſuis Primordiis, & multò poſt Religioſi ferè ſuſtentarunt Prædicatores, Minores, Carmelitæ, Auguſtiniani, ut patet ex Faſtis Academicis Valerii Andreæ) Ille Joannes Beets in 2. Expoſit. 9. Præcepti Decal. cap. 5. ſic docuit: *Ignorantia juris duplex eſt ſecundùm duplex jus, quia quoddam eſt jus univerſale, quod omnibus imponitur ad ſciendum, & quoddam particulare, quod non ſcitur, niſi per ſtudium. Et prima eſt craſſa non excuſans: ut ſi quis fornicaretur dicens, ſe ignorare, quod fornicatio eſſet peccatum . . . . . Secunda autem excuſat vel à tanto, vel ex toto, ſi eſt caſus multum difficilis, & ſi adhibuit debitam diligentiam ad ſciendum.*

Ruardus Tapperus Lovanienſis Doctor, & Cancellarius ad Artic. 7. ignorantiam agnoſcit *invincibilem*, quæ ſit effectus peccati originalis; adeoque inprimis ignorantiam juris naturæ: eamque impotentiæ comparans, excuſat

excuſat prorſus à culpâ quidquid ex illâ fit : reprehendit inſuper Gregorium Ariminenſem, cujus auctoritate nititur Sinnichius Saulis Exreg. cap. 96. Vindic. cap. 9. in fine : reprehendit verò, ut *improbabiliter docentem.*

Joannes Molanus Lovanienſis Doctor Tract. de Virtut. & peccat. cap. 27. num. 20. ſic docet : *Iuris autem ignorantia inſuperabilis tum demum cenſetur ſecundum probabiliorem ſententiam noxa eximere, ſi non ſit propria voluntatis peccatis contracta, habeatque recti officii amorem adjunctum : quod etiam in jure divino locum habere poſſe exiſtimamus.* Jus autem divinum hic accipi, ut complectitur naturale, manifeſtant ea, quæ proximè ſubdit, vultque ipſe Sinnichius, ſic debere accipi nomen illud, Saulis Exr. cap. 96. in fine, Vind. cap. 9.

317. Joannes Wiggerus Lovanienſis Doctor 1. 2. q 6. a. 8. ſic docet : *Secunda diviſio ignorantiæ, juxta quam alia ſtatuitur eſſe juris, alia facti. Vtraque autem aliquando poteſt eſſe vincibilis, aliquando invincibilis. Nomine juris intellige tam jus naturale, quam poſitivum.* Poſt pauca ponit concluſionem univerſalem : *Ignorantia, quæ eſt antecedens &c. efficit, ut actus nullo modo ſit volitus .... & conſequenter opus ſequens excuſatur à culpâ.*

Joannes Malderus Epiſcopus, Lovanienſis Doctor 1. 2. diſp. 38. §. *de invincibili ignorantia* concl. 4. ſic docet : *Sunt multæ concluſiones juris naturæ obſcuriores de quibus ſaltem inter infideles poteſt etiam totâ vitâ eſſe ignorantia invincibilis, putà, non licere ſemetipſum occidere pro tuendâ caſtitate, illicitam eſſe delectationem moroſam,* enumerat alia multa. tum verò *Dico*, inquit, SALTEM INTER INFIDELES : *quia inter Chriſtianos, qui facile de his inſtruuntur, non æque contingit, ignorantiam eſſe invincibilem*, QUAMVIS ALIQUANDO CONTINGAT. Docuerat verò univerſaliter paulò ante, *Ignorantiam ſimpliciter antecedentem cauſare involuntarium ſimpliciter*; adeoque excuſare à culpâ.

Guilielmus Mercerus Lovan. Doctor in ſupplem. q. 8. art. 5. dub. 2. *Tenendum eſt*, ait, *ignorantiam invincibilem contingere quoque in his, quæ ſunt juris naturalis, licet rarius, etiam apud viros Doctos, qui diſputant, an quædam ſint jure naturæ licita, nec poſſunt certò definire alteram partem, & multo magis apud indoctos.* Negat verò ſic ignorantem pœnitentem eſſe monendum à Confeſſario, ſi ſpes fructus non appareat, cum ſit in bonâ fide.

318. Godſcalcus Roſemondus Lovanienſis Doctor in Confeſſionali Tit. *ſi confitens laboret aliquâ ignorantiâ invincibili* pag. 175. editionis Lovanienſis Anno 1559. ſic docet : *Eſt etiam quorumdam Doctorum opinio, quod in his, quæ ſunt de jure naturali, vel divino ignorantia invincibilis locum non habeat. Sed Adrianus VI. tenet contrarium*, ET HOC VERUM PUTO. Et infrà : *Quædam namque ſunt, quorum notitia eſt omnibus adultis neceſſaria ad ſalutem, ut præcepta communia juris naturalis, ſicut ſunt præcepta Decalogi, & communes*

articuli fidei, & horum ignorantia in nullo eſt invincibilis. Alia ſunt quorum notitia ſolum quibuſdam eſt neceſſaria ad ſalutem, & illorum ignorantia eſt apud quoſdam bene invincibilis, & ſic ex toto excuſat. Similiter Tit. *de eo, qui ignorat, aliquod eſſe mortale*, pag. 170. cum dixiſſet, eum non excuſari à confeſſione, qui laborat ignorantiâ juris, quæ ipſum non excuſat, mox explicat, qualis ſit illa ignorantia: *Timeo*, inquit, *plures laborare tali ignorantiâ, qui de multis contractibus* SATIS MANIFESTE *uſurariis, aut illicitis, atque de injuſtâ poſſeſſione, & occupatione alienorum, ſi propoſitum habent tandem reſtituendi, non faciunt ſibi conſcientiam, putantes ibi non eſſe mortale: ſimiliter in multis aliis quæ ignorant eſſe mortalia* IGNORANTIA CRASSA. Ecce ſolam IGNORANTIAM CRASSAM *contractus* SATIS MANIFESTE *uſurarii, & illiciti*, aliorumque ſimilium agnoſcit Roſemondus non excuſare.

Neſcio, an ſatis ſint fundati, qui dicunt, Joannem Heſſelium Lovanienſem Doctorem iiſdem fere principiis fuiſſe imbutum, quæ diſplicuerunt in Michaele Bajo. Ego videor mihi comperire, quod ille Doctor ſenſerit valde ſane de ignorantiâ invincibili excuſante à peccato. Certe in Explicatione Decalogi cap. 21. agnoſcit *ignorantiæ vulnus* à ſolo dependens peccato Originali; adeoque nobis invincibile. Cap. 22. docet excuſari hominem à peccato, *ſi invincibilis plane ſit ignorantia, nec propriæ voluntatis peccatis contracta.* Conſtat verò utrobique ex contextu, ſermonem eſſe de ignorantiâ legis naturæ.

319. Non dubitat his accedere Lovan. Doctor, & Thomiſta egregius Thomas Leonardi l. 2. de hominis Juſtit. cap. 7. ubi pugnat nervosè contra Janſenianum dogma de ignorantiâ invincibili juris naturæ non excuſante à peccato, ſemper ſupponens dari hujuſmodi ignorantiam; uti inprimis oſtendunt hæc: „ Exiſtimo ſententiam hanc nullum habere fundamentum in D. Hieron. aut Auguſtino, vel Concilio Palæſtino, & eſſe in ſe falſam, & ad nihil aliud idoneam, quam ad generandum multas anxietates, & perplexitates in timoratis conſcientiis. Primò quia neceſſariò peccabis, utramvis partem contradictionis elegeris, quando ex invincibili errore putas, aliquid eſſe præceptum, quod reverà repugnat legi naturæ ..... Secundò ingens orietur perplexitas animorum: cum enim ſint plurimi contractus, & innumerabiles caſus, in quibus controvertitur inter Doctores, an in iis reperiatur aliquid contra legem naturæ, vel non, & utrimque ſint probabiles opiniones, ſequitur, quod conformans ſe probabili opinioni, vel etiam probabiliori dictanti id licere, caſu quo juxta legem naturæ non liceat, peccet coram Deo, etiamſi adhibuerit omnem diligentiam ..... Unde ſequeretur, quod in pertinentibus ad legem naturæ homines ſemper tenerentur ſequi partem tutiorem, etiamſi oppoſita longe eſſet probabilior ..... QUAM AUTEM HÆC ABSURDA SINT PATET CONSIDERANTI.

Poſt multa, cum retuliſſet opinionem negantium, dari invincibilem ignorantiam juris naturæ, idque hac ratione: *Quia præcepta legis naturalis nota ſunt in lumine naturali.* „ At hoc, inquit, non obſtante contrarium do„ cet S. Thomas, quod ſcilicet lex naturæ, quoad ſecundaria ſaltem præ„ cepta, quandoque deleri poſſit è cordibus hominum, & invincibiliter „ ignorari. De quo videndus eſt 12. q.94. a.6.

Accedat quoque Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor Lovanienſibus venerabilis quæſt.76. art.3. quæſtio2. concl.4. iiſdem pene verbis ſeſe explicans, quibus Malderum loquentem audivimus.

Denique nullus eſt Lovanienſium Doctorum, quem ego invenire potuerim ſcripto libro ex profeſſo tractantem quæſtionem illam, quin fateatur dari aliquam ignorantiam invincibilem juris naturæ. Hoc certum eſt ex dictis, eam fuiſſe communiſſimam ſententiam inter illos. Verum eſt igitur, quod aſſumpſi, turpiſſimè proſtitutam eſſe à Sinnichio doctrinam Lovanienſium Doctorum de Ignorantiâ invincibili: quando ſibi ſumpſit, ut fundamentum maledictis tam probroſis in extraneos Theologos, opinionem directè contrariam tot ſuis Doctoribus.

Plus etiam ex dictis patet, communiſſimam fuiſſe ſententiam Lovanienſium Doctorum, non ſolum dari invincibilem ignorantiam juris naturæ, ſed & excuſare à peccato: paucos excipe Baijum, Janſenium, quoſdamque ipſis devotos. Videat ergo Lector, quam ignominioſè calcatâ tot inſignium collegarum ſuorum doctrinâ viam ſibi fecerit Sinnichius ad proſcindendos fœdiſſimè externos Scriptores.

§. III.

Doctor Sinnichius gravium criminum reos conſtituit Doctores Lovanienſes.

320. Paucis abſolvam. Obſervo primò judicio Sinnichii gravius peccare, qui opinionem falſam docet, quam qui ex illâ operatur. Sic docet Saulis Exr. cap. 103. pag. 408. col. 2. in Vind. cap. 16. pag. 192. his verbis: *Pejus eſt legem bene conditam pravè interpretari, quam malum facere*: Quare hunc locum citans Saulis Exr. cap. 104. pag. 414. col. 2. in Vind. cap. 17. pag. 207. contra eos, qui docent, aliquando eſſe licitam reſtrictionem mentalem, ſic loquitur: *Si juſtum eſt quemque pati quod fecit, quanto juſtius cenſeri debet quemque pati, quod docuit. Oſtenſum quippe ſuperius §. 386. fuerat, enormius delinquere pravitatis Doctores, quam executores.* His ſimilia habet eodem cap. in fine, item Saulis Exr. cap. 106. Vindiciar. cap. 19. in fine.

Obſervo ſecundò, judicio Sinnichii nullam Ignorantiam juris naturæ de facto excuſare à culpâ; adeoque culpam gravem ab illo contrahi, qui ignorans legem naturæ, facit contra legem.

Ex his plana eſt conſequentia, Gravium criminum reos Sinnichium conſtituere Lovanienſes Doctores: conſtat enim, illos non rarò erraſſe docendo, interpretantes legem naturæ. Etenim conſtat, illos non rarò in materiâ iſtâ alios aliis contradixiſſe: ibi verò neceſſe erat alterutram partem errare.

321. Dices fortaſſe non peccare eam partem contradicentium, quæ per errorem docet, actionem quampiam eſſe contra legem naturæ. Primum demus, ita eſſe. Numquamne erravit altera pars contradicentium docens, actionem quampiam non eſſe contra legem naturæ? Oſtendam mox erraſſe quoque illam partem. Deinde ſi peccat Doctor per errorem docens, actionem non eſſe contra legem, quæ eſt contra legem, aio peccare quoque, & quidem periculoſius, eum, qui docet, actionem eſſe contra legem, quæ contra legem non eſt. Quia hic ſuâ doctrinâ non efficiet, ut omnes omittant actionem illam; adeoque magnum eſt periculum, ne doctrinâ ſuâ hoc efficiat, ut, qui ſolum fuiſſent peccaturi materialiter, peccent formaliter. Denique ridiculum eſt ſperare, ex contradicentibus ſibi Doctoribus, illos ſolos erraſſe, qui docuerunt actionem eſſe contra legem. Profero quædam exempla, de quibus fatetur Sinnichius.

Affirmat diſertè, eos, qui docent, licere interdum jurare cum reſtrictione mentali, pejus peccare, quam ſi committerent ipſi perjurium. Contra illos ſic pronuntiat Saulis Exr. cap. 101. Vind. cap. 17. in fine: *Certè enim, quamvis grave peccatum ſit pejerare, longe tamen gravius eſt perjuria docere.*

322. Quare judicio Doctoris Sinnichii gravius peccavit integerrimæ famæ Epiſcopus Malderus Lovanienſis Doctor, quam ſi pejeraſſet: docuit enim juramentum cum eâ reſtrictione, quam Leſſius, aliique mentalem appellaverunt, aliquando eſſe licitum, ut infrà videbimus. Oſtendam idem docuiſſe Adrianum Lovanienſem Doctorem, ſubinde Pontificem VI. iſtius nominis: hic ergo quoque judicio Sinnichii gravius peccavit, quam ſi pejeraſſet.

Docuit Adrianus idem, licere aliquando *Idololatriam ſimulare*, ut infrà videbimus. Materia eſt juris naturæ, ut patet, neque puto dubitaſſe Sinnichium, quin erraverit Adrianus illa docens. En ergo rurſus, judicio Doctoris Sinnichii, gravius peccantem Adrianum vitæ integerrimæ Doctorem Lovanienſem, quam ſi *idololatriam ſimulaſſet* reipsâ.

Docu

Docuit Joannes Wiggerus, docuit Malderus Epiſcopus Lovanienſes Doctores, licere ſurripere in gravi neceſſitate, ut infrà patebit. Non dubitat Sinnichius Saulis Exr. cap. 116. pag. 526. in Vind. cap. 29. pag. 482. quin ſurreptio illa ſit furtum. Judicio igitur Doctoris Sinnichii gravius peccarunt Wiggerus, & Malderus, quam ſi furtum feciſſent.

Docuit Joannes Molanus Lovanienſis Doctor, licitum eſſe reo ex ſententiâ Judicis etiam injuſtâ venenum bibere, ut patebit infrà. Cenſet verò Sinnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 466. col. 2. Vind. cap. 23. pag. 338. eſſe ſuicidium execrabile, ſi quis etiam juſtè damnatus ad moriendum fame, oblatum cibum reſpuat. Ergo judicio Doctoris Sinnichii gravius peccavit Molanus, quam ſi ſeipſum occidiſſet.

Infinita ſunt alia hujus generis: ſatis eſt paucis exemplis oſtendiſſe genus univerſum abſurditatis.

§. IV.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, qui approbaverant doctrinam Leſsii de advertentiâ malitiæ neceſſariâ ad peccandum.

323. AUdivimus num. 41. accuſatum à Sinnichio Leſſium, quòd docuerit, *judicium temerarium in animo tuo reſidens non eſſe peccatum, priuſquam aliquò modo advertas, vel dubites, te ex ſignis inſufficientibus judicare.* Cenſor doctrinam iſtam appellavit *conſonam Articulo laxorum Ethicorum* reprobato à Facultate Theologicâ Lovan. *Vt actio quapiam ſit peccaminoſa, oportet, ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit, quid boni, malive in eâ ſit &c.* Videamus, nulline ſint vel ex ipſis Cenſoribus Articuli, vel ex eorum Collegis *Laxi Ethici*, quos eodem jure potuiſſet accuſare Sinnichius. Simus etiam memores cenſuræ, quâ Theologica Facultas Lovan. reprobavit dictum Articulum *laxorum Ethicorum*, ut vocat ille: Cenſura hæc eſt: *Eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat, cum pernicie animarum.*

324. Si Leſſii doctrina illa eſt conſona Articulo *laxorum Ethicorum*, & rea cenſuræ tam atrocis, multò magis conſona eſt, & rea doctrina Lovanienſis Doctoris Joannis Wiggeri 1.2. q.6. a.8. num. 22. ſic docentis. „Ignorantia aliquando eſt abſoluta, ut ne quidem in habitu agnoſcamus, aliquando eſt tantum inadvertentia, & oblivio: & hæc poteſt „quoque eſſe inculpabilis, quando videlicet, quis eo tempore, quo

„ omittit id, quod erat faciendum, vel facit id, quod erat omittendum, „ nihil planè cogitat de re, quam omittit, vel de prohibitione ejus, „ quam facit, nec de aliâ, quæ poſſit facilè illum deducere in cogitatio- „ nem illius, neque antea ſe expoſuit periculo talis incogitantiæ. Incogitantiam in causâ voluntariam, & culpabilem agnovit Leſſius æque, ac Wiggerus: legatur lib.4. cap. 3. dub.14.

Sed Wiggerum audiamus verbis prope ipſis Leſſii ea affirmantem, quæ in Leſſio diſplicuerunt. Wiggerus tract.6. de Juſtitiâ cap.1. dub.3. n.18. ſic loquitur: „ Dico ſecundo: Judicium temerarium ſive ſuſpicioſum „ hominis privati in animo reſidens non eſt peccatum, quamdiu quis non „ advertat, ſe malè judicare, aut ſentire de proximo: poſtquam autem „ cœperit advertere ſaltem ſemiplene, jam erit peccatum veniale, niſi „ illud removeat: ante plenam verò advertentiam numquam eſt peccatum „ mortale. Eſt doctrina communis, & conſtat ex generalibus principiis „ de Actibus humanis. Hæc ergo doctrina Wiggeri, & communis Theologorum, judicio Sinnichii, eſt *conſona articulo Laxorum Ethicorum, & contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſans, cum pernicie animarum.*

325. Sed parcere debebat Leſſio ſaltem in gratiam Reverendiſſimi Epiſcopi Joannis Malderi Doctoris Lovanienſis, qui 1.2. diſp.38. ſic docuerat: *Certum eſt, ad non voluntarium ſufficere, quod non fiat à ſciente: deſtruitur enim tota ratio voluntarii, ac ſpecies, hâc unâ parte ſublatâ &c.* Non exiſtimavit Malderus, peccatum eſſe poſſe, quod non eſt voluntarium; alieniſſimus eſt ab illo dogmate: putavit ergo non eſſe peccatum, *quod non fit à ſciente* peccatum; cenſet enim, eatenus futurum non voluntarium: quod & ex aliis, quæ diſſerit illâ diſputat.38. eſt manifeſtum.

Malderum audiamus, explicantem ſe in eâ ipsâ materiâ, in quâ Leſſius Sinnichio diſplicuit. Ille Tract.6. de Juſtit. cap.1. dub.3. de ſuſpicione loquens, quæ ſit culpa mortalis, *Exiſtimo,* inquit, *opus eſſe non ſolum, ut advertas ſuſpicionem, ſed ut ejus advertas temeritatem, & ut læſio tanta ſit quæ judicio prudentis exiſtimanda ſit gravis.*

Denique 1. 2. q. 74. a. 10. uſque adeo cenſuit Malderus advertentiam malitiæ eſſe neceſſariam ad peccatum, ut imperfectione advertentiæ affirmet fieri poſſe, ut peccatum, alioqui grave, futurum ſit leve; quod paſſim alii Theologi docent; ſed ipſe valde operosè, & fusè. Ecce ergo Malderum Epiſcopum, & Doctorem Lovanienſem, judicio Sinnichii, *Laxum Ethicum.*

Conſtat his conſentanea docuiſſe Franciſcum Sylvium Duacenum Doctorem Lovanienſibus percharum: legantur ea, quæ diſputavit in 1.2. q. 76. art. 3. feſtino ad ea quæ in ſuis Theſibus approbarunt Lovanienſes Doctores.

326. Res

326. Res mihi permira videtur Leſſii doctrinam memoratam *Laxorum Ethicorum* articulo tam immani cenſurâ damnato à Facultate Theologicâ Lovanienſi, dictam eſſe conſonam à Doctore Sinnichio, quando ſcire poterat, & ſine dubio ſciebat, doctrinam iſtius generis à Doctoribus Facultatis defendi ſolitam impreſſis, vulgatiſque Theſibus. Demus, non fuiſſe eorum doctrinam, quam habent illæ Theſes. At certè cavere debebant, ne eas Theſes approbarent, defenderentque palam, quæ continerent doctrinam, *quæ eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum*; ut habet cenſura Articuli.

Die 29. Octobr. 1640. Præſide Joanne Schinckelio Lovanienſi Doctore defenſa eſt hæc Theſis: *Mortale peccatum numquam ſine perfectâ mali moralis cognitione committitur, cujus defectu voluntas poteſt circa objectum grave peccare venialiter, vel omnino non peccare.*

Die 17. Auguſti 1646. hanc defendit Guil. ab Angelis: *ad peccatum ex parte deliberationis requiritur cogitatio, vel ſuſpicio malitiæ, vel periculi ipſius malitiæ, ſeu in genere, ſeu in ſpecie conſiderata, actu, vel virtute perſeverans; niſi peccans potuerit, & debuerit ad malitiam advertere, & non fecerit.*

Die 6. Novemb. 1659. Jacobus Pontanus Lovan. Doctor hanc propugnavit: *Ad hoc, ut quis incurrat peccatum mortale, requiritur plena, & perfecta cogitatio, ſeu expreſſa advertentia malitiæ, vel periculi ejus, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, ſeu ſcrupulus peccati: Unde à peccato excuſatur . . . . . qui celebrat contractum uſurarium, nullo modo dubitans, vel advertens, contractum uſurarium eſſe.* Ecce Laxorum Ethicorum articulos, judicio Doctoris Sinnichii, *immaniſſima hominum peccata excuſantes* &c.

§. V.

Contrarium Sinnichio, & Lovanienſibus Cenſoribus judicium Adriani de actu peccati, qui vitari non poteſt, impoſſibilitate ortâ ex præcedenti peccato.

327. VIdimus num. 89. reprehenſum Eſcobarium, quod docuerit defeſſum ex labore illicito non obligari ad jejunium poſt tranſactum laborem. Res eò tendit, ut obligetur ad jejunium, peccetque non jejunando, qui culpâ ſuâ ſibi rsddidit jejunium impoſſibile; ut, inquam, non jejunando committat peccatum diſtinctum ab eâ culpâ, quâ reddidit ſibi jejunium impoſſibile, quæ ipſa peccatum eſt contra legem jejunii, quod non negavit Eſcobarius. Eodem videri poteſt tendere

dere Cenſura Lovanienſis in hunc Articulum; *Defeſſus ex quocumque labore &c. liberatur à lege jejunii* : cui cenſuræ cognata eſt altera atrociſſima in hunc Articulum: *Vt actio quapiam ſit peccaminoſa, oportet, ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit, quid boni, malive in eâ ſit &c.* Graviſſimè videntur diſplicuiſſe his Cenſoribus Auctores illi, qui docuerunt in eâ actione, vel omiſſione, quæ jam vitari non poteſt, vel in quâ jam malitia nulla advertitur (etiám cum impoſſibilitas, vel inadvertentia orta eſt ex præcedenti peccato) non ineſſe malitiam diſtinctam ab eo peccato, quod eſt cauſa impoſſibilitatis, vel inadvertentiæ; etſi etiam faterentur illi Auctores peccatum iſtud habere ſpecialem malitiam ex prævifione peccati neceſſario, aut ſine advertentiâ ſecuturi.

328. Erit igitur operæ pretium animadvertere, quis fuerit in illâ controverſiâ ſenſus Adriani Lovanienſis Doctoris, cujus ſummus Pontificatus æternam gloriam attulit iſti Academiæ. Verba Adriani in 4. de Sacram. Eucharistiæ pag.27.col.3.& 4. commentariis non egebunt: Sunt autem hæc.

„ Quia ad rationem peccati in omiſſione ſufficit, voluntatem non velle,
„ quod tenetur, ſive debet velle, verius puto, quod ad omiſſionem pec-
„ caminoſam non requiritur aliquis actus voluntatis. Et ita oportet vi-
„ dere, an imputari poſſit voluntati, ratione privatâ ſuo uſu. Et dicunt
„ quidam (ſcilicet Thomas 2.2. quæſt.79. art.3.) quod ſic, propter actum
„ tum præcedentem, quo ſubſequens omiſſio redditur voluntaria &c
„ SED HÆC OPINIO NON VIDETUR VERA : quia ſic neceſſitas omittendi,
„ proveniens ex priori culpâ hominis non excuſaret à peccato, QUOD
„ EST ABSURDUM : ut, qui volens dat ſibi cauſam ægritudinis, non excuſa-
„ retur poſt à culpâ non faciendi ea, quæ ſanus fuiſſet obligatus facere;
„ PUTA DE JEJUNIO, de defenſione corporali pauperum ſubditorum &c.
„ Item poſt votum ſimplex voluntariè contrahens non excuſaretur red-
„ dendo debitum. Etiam ſic plenè furioſus peccaret omittendo, dum ſuâ
„ culpâ furiam inciderit. Dico igitur poſt Dominum Altiſidorenſem
„ in 2.p. Sum. quod nullus omittit, cum impotens eſt ratione uti, ſive
„ culpâ ſuâ inciderit impotentiam, ſive præter omnem ejus culpam .....
„ Dico quod ſicut furioſus, aut inebriatus ex propriâ culpâ non peccat
„ occidendo, aut aliud de genere prohibitorum faciendo, ita nec pec-
„ cat omittendo &c. Hæc ille mox ibidem agnoſcens peccatum ſpeciale
in poſitione cauſæ, quando præſcitur effectus, aut præſciri debuit. Tunc autem intelligit Adrianus debuiſſe præſciri, quando per negligentiam culpabilem non præſcitur, ut intelligitur ex iis quæ diſſerentem de ignorantiâ audivimus n.315.

329. Hæc eſt ipſiſſima doctrina eorum, quos ſæpe accuſat Sinnichius, tamquam

tamquam reos horum Articulorum : *Defeſſus ex quocumque labore &c. liberatur à lege jejunii*, & ; *Vt actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine qui noſcit, & percipit, quid boni malive in ea ſit &c.* Priorem Articulum nemo docuit, niſi loquens de fatigatione, quæ non poteſt moraliter conſiſtere cum jejunio, atque ex ſe eſt ſufficiens ad excuſandum à jejunio : illam verò excuſare à jejunio; etiamſi peccatum fuerit in ponendâ ejus causâ non dubitavit Adrianus, ut patêt ex ejus verbis relatis.

Porrò eamdem eſſe rationem de defectu advertentiæ ad malitiam, quæ eſt de impoſſibilitate ad vitandum actum peccati, per ſe eſt evidens, neque dubitare poteſt, qui cenſeat, ad rationem formalis peccati pertinere, ut ſit voluntarium, de quo non dubitaſſe Adrianum conſtat.

330. Concludamus. Articulus inter ſeptemdecim à Lovanienſi Schola cenſuratos, Vigeſimus tertius; *Defeſſus ex quocumque labore licito, vel illicito v.g. cum fœminis commixtione liberatur à lege jejunii*, ſine dubio eſt improbandus : primò, ſi procedat de quâcumque fatigatione : Secundò ſi inſinuet, in ponendâ causâ fatigationis non eſſe peccatum contra legem jejunii, quando prævisa fuerit ſecutura impotentia ad ſervandum jejunium. Si verò intelligatur ſolum affirmare articulus, poſt commiſſum peccatum, & jam contractâ impotentiâ morali ad jejunandum, qualis alibi cenſetur excuſare, non fieri novum formale peccatum non jejunando, viderint Cenſores, quo illum jure cenſuraverint : ego mihi non ſumo judicium ; ſed dico cenſuratam eſſe Doctrinam, quæ reipſa eſt Adriani. Accepit verò Articulum Sinnichius poſteriori iſto modo, cùm illum attribuat Eſcobario, qui non alio ſenſu illum tradidit.

Similiter Articulus inter eoſdem vigeſimus quintus; *Vt actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet, ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit, quid boni malive in eâ ſit &c.* Digniſſimus eſt cenſurâ primò, ſi inſinuet, ad formalem malitiam actus non ſufficere dubitationem, aut ſuſpicionem de malitiâ : Secundò, ſi neget, poſitionem cauſæ, unde orta eſt inadvertentia ad malitiam, habuiſſe ſpecialem malitiam ex eo, quod aliquo modo prævideretur actus ſecuturus ſine advertentiâ. Si verò intelligatur ſolum affirmare Articulus, in ipſo actu, qui procedit ſine ullâ advertentiâ, aut ſuſpicione malitiæ, non eſſe formalem malitiam propriam, & diſtinctam ab illâ priori, quæ fuit in ponendâ causâ inadvertentiæ, actuſque cum illâ ſecuturi, judicent cordati, quam rationabilis ſit illa Cenſura : *Propoſitio eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.* Accepit verò Articulum Sinnichius poſteriori iſto modo, cùm illum attribuat Leſſio, qui non alio ſenſu ea tradidit, quæ videri poſſunt Articulo conformia.

CAPUT

CAPUT IV.

De Legibus.

Nihilne docuerint Lovanienſes Doctores, de quo eos poſſet reprehendere Sinnichius, omiſſo Tamburino, & Caſtropalao.

331. VIdimus num. 51. ſugillatam à Sinnichio Regulam à Tamburino traditam; *Si adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit aliqua lex excommunicationem v.g. vel præceptum imponens, vel an dicta lex ad aliquem caſum ſe extendat, vel an ſit uſu recepta, vel an fuerit promulgata &c. non teneris ad illam.* Patet conſideranti procedere hanc Regulam de lege poſitivâ, & quidem humanâ. Patet quoque, huc redire invidiam Regulæ, quod neget eſſe obligationem in dubio, an lata ſit lex, & quod ſupponat, requiri acceptationem legis, ut lex obliget; quod multi negant. Opus verò eſſe promulgatione, quod & ſupponit Regula, nimis certum eſt. Poterat igitur Sinnichius omiſſo Tamburino operam dare ſuis Collegis Doctoribus.

Joannes Malderus Lovanienſis Doctor 1.2. quæſt.19. Diſp.87. inquirit, an Regula juris; POTIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, *rectè extendatur ad poſſeſſorem libertatis ſuæ in quâcumque obligatione cujuſlibet virtutis: vel utrum pro ſe, tamquam poſſeſſore libertatis ſuæ, reſolvere poſſit, qui dubitat, an obliget lex aliqua v.g. Temperantiæ, vel cujuſcumque alterius virtutis.* Cumque retuliſſet primam opinionem docentium, Regulam illam juris locum habere in ſolâ materiâ juſtitiæ, ipſe poſt pauca ſic ſubdit: *Sed prima opinio rejicitur: quia rationes, propter quas melior eſt conditio poſſidentis in materiâ juſtitiæ, etiam habent locum in aliarum virtutum, & obligationum materiâ.*

Cumque rurſus ſecundam opinionem retuliſſet docentium, illam Regulam juris *in quâcumque materiâ locum habere poſſe, & poſſeſſionem poſſe, ut titulum, conſiderari in cujuſvis virtutis materiâ &c.* ipſe poſt pauca ſic ſubdit: *Itaque ſecunda ſententia placet, quam bene tuetur Sanchez &c.* Hæc ſunt valde generalia pertinentia non ſolum ad legem humanam, ſed etiam ad divinam, ſeu poſitivam, ſeu naturalem. Conſtituat igitur Lector, an fuerit Sinnichio potius ſugillanda Regula à Tamburino tradita: *Si adhibitâ diligentiâ dubites, an ſit aliqua lex excommunicationem v.g. vel præceptum imponens &c.*

Pergit Malderus ex doctrinâ memoratâ deducere concluſiones particulares : *Dico octavò : In dubio facti nemo tenetur ſe habere pro irregulari ; niſi in caſibus in jure expreſſis : in dubio juris nunquam.* Et poſt pauca : *Dico nonò : Conjux qui dubitat de firmitate matrimonii, alteri bonâ fide petenti poteſt interdum reddere debitum &c.*

332. Maldero conſentit Lovanienſis Doctor Wiggerus 1.2.q.19.art.6. dub.7. ubi cum feciſſet mentionem Regulæ ; *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, quæſtionem inſtituit ſine reſtrictione ; *An conſcientia in dubio juris ex dictis regulis ſic formata ſit prudens, & ſufficiens ad actus honeſtatem.* Quæſtionem verò ſic reſolvit : *Si per diligens examen nihil determinati in alteram partem poſſit haberi, videtur tunc prudenter poſſe credere, non eſſe legem : quia jura, & leges debent eſſe talia, quod per debitum, & diligens examen poſſint determinatè ſciri, & cognoſci ; & proinde poſſe juxta hoc formare conſcientiam, quod non teneatur.*

Æquè idoneum erat ſugillationibus Sinnichii, quod Wiggerus ait loco cit. dub.6. num. 57. *Illud motivum* de eligendâ ſemitâ tutiori, *poſſe dici à Pontificibus allegari, non tamquam generale præceptum, ſed ut generale conſilium, quodque contineat rationem congruentiæ, quare reſpondeant, & ordinent in ejuſmodi caſibus, illos ſic debere ſe gerere &c.* Verbis fere totidem præiverat Malderus 1.2.q.19.d.87.

Denique Tamburino neganti legis dubiæ, & quidem humanæ obligationem non diſſentient illi, ut puto, qui cenſent, quod *dubius an voverit, non teneatur voto.* Hanc doctrinam perſæpe impreſſis Theſibus propugnarunt Lovanienſes Doctores, ut vidimus ſuprà num.294. Neque diſſenſit, ut puto, ille Doctor Lovanienſis, qui Anno 1640. die 15. Sept. probavit hanc Theſim ; *Dubitans, an peccarit, non tenetur confiteri* : continet hæc Theſis aliquanto plus difficultatis, quam communis Regula Tamburini.

333. Neque habuit Sinnichius, quod Tamburinum reprehenderet potiſſimum, quod ejus Regula ſupponat, opus eſſe acceptatione Legis, ut lex obliget. Poterat reprehenſionem convertere in Collegam Doctorem Lovanienſem Joannem Driedum, qui lib.1. de Libert. Chriſt. cap.9. pag.29. col.2. ſic docet : *Lex in foro conſcientiæ non habet vim obligandi, quando non eſt moribus utentium recepta . . . . . . Et idcirco lex etiam rationabiliter in favorem communis boni primum à Principe inſtituta, non incipit habere vim obligandi in foro conſcientiæ, ſi populus mox nolit illam acceptare, & approbare.*

His ſimilia tradidit Lovan. Doctor, & Cancellarius Ruardus Tapperus in quæſtione Quodlib. habitâ Anno 1520. in quâ circa medium, *Præter hæc*, inquit, *ſuſpenditur legis obligatio, quando ſtatim poſt publicationem ſubditi afferunt apparentem exceptionem, & cauſam, propter quam legem illam ferri non convenit . . . . . . Et ſæpe legis obligatio omnino ceſſat ſi populus nolit legem*

acceptar

acceptare.. Cujus ratio eſt, quia regulariter non expedit ſubditis imponere, quæ averſantur.

334. Quoniam denique num. 57. accuſatum à Sinnichio vidimus Caſtropalaum, quod docuerit, non obligari ſubditum obedire ſuperiori, *quando habet probabilem opinionem, illicitam eſſe rem imperatam*, detur etiam hîc locus Lovanienſi Doctori Adriano, qui Quodlib. 2. q. 2. pag. 35. col. 2. ad quæſtionem propoſitam pag. 24. col. 2. *an teneamur obedire in probabili dubio, an actus, qui præcipitur, ſit peccatum mortale*, Reſpondet, non ſolum non obligari ſubditum obedire; Sed obligari non obedire: *Dico*, inquit, *non faciendo aliquam differentiam dubii juris à dubio propter circumſtantiarum dubietatem, pro concluſione reſponſivâ, quod nullus dubitans de actu, an ſit mortalis, an non, licitè obedit ipſo ſic dubitante.*

Non eſt mirum, inquies, ſic docere Adrianum, cum ponatur ſubditus verſari in *probabili dubio*. Ego nuſquam contendo ſententias Lovanienſium Doctorum, quas refero, eſſe miras, aut reprehenſione dignas; ſed contendo eſſe ejuſmodi, quas potuiſſet reprehendere Sinnichius eodem jure, quo reprehendit ſententias extraneorum. Fateor quoque, aliâ prorſus ratione ductum Adrianum iſtud docuiſſe, quam Caſtropalaum: ſed nihil hoc impedit, quo minus in doctrinam Adriani æquè, vel magis, quam in doctrinam Caſtropalai, cadant illæ exclamationes Sinnichii, quas retuli num. 58. hæ ſcilicet; *Ex his facilè quiſque perſpicit, quam levi negotio poſſint ſubditi eludere leges, ac præcepta Regum aliorumque quorumlibet Superiorum ſuorum. Æquè item facilè unuſquiſque advertere poteſt, quantopere ab hiſce probabilitatum Pationis coarctetur legiſlativa Principum poteſtas &c.* Si quod hîc eſt periculum iſtius mali, quod ille exaggerat, facile ſit oſtendere, periculum eſſe majus in principiis, quibus doctrinam ſuam fundat Adrianus, quam in vulgaribus Caſtropalai. Sed non moremur: oſtendi num. 58. periculum iſtius mali eſſe multò maximum in principiis, & doctrinâ ipſius Sinnichii.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

De Præcepto Charitatis.

§. I.

Quid ſenſerit Sinnichius de Præcepto Charitatis.

335. Injuriâ adſcriptum eſſe Tamburino Articulum, quo docetur *In rigore loquendo videri, quod homo non teneatur umquam per totam vitam ſuam elicere actum amoris Dei*, oſtendi à numero 64.

Diſtat profectò multò longius ab illo Articulo Sinnichius: ſed ſcyllam vitans, non vitavit Charybdim: nequaquam enim ſatis diſtat ab articulo inter Baijanos vigeſimo quinto, à tribus Pontificibus damnato: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*: quia Saulis Exreg. cap. 144. docet operosè, unumquemque hominem obligari ſub peccato, opera ſingula referre in Deum relatione quâdam Charitatis: hoc verò cum non faciant infideles illi, & Philoſophi, de quibus procedit damnatus Articulus, conſequens eſt, omnia illorum opera eſſe peccata.

Hunc veluti ſcrupulum parvum paucis expedit Sinnichius in fine capitis citati, infideles intelligens, quicumque non ſunt fideles, adeoque etiam hæreticos, Judæos &c. qui interdum actiones quaſdam referunt in Deum imperfecto amore.

Debuiſſet in re tanti momenti examinare diligentius, quinam eſſent *infideles, & Philoſophi*, de quibus eſt mentio in Articulo. Deſumptus eſt Articulus ex Michaelis Baji libro *de virtutibus impiorum*, ubi multis tractat Auctor quæſtionem illam: Infideles verò, & Philoſophos, quorum opera definit eſſe peccata, & virtutes vitia, declarat cap. 4. & alibi ſe intelligere, *qui unum verum Deum aut cæcitate neſciunt, aut elatione contemnunt*: declarat, ſe intelligere eos Philoſophos, quorum nemo *ad ullum Dei cultum ſuas virtutes eſſe referendas præcepit*: in fine capitis nominat Epicureos, Stoicos, Peripateticos; conaturque oſtendere, eorum virtutes eſſe vitia; quia non referuntur in Deum: reprehendit quoque D. Thomam, qui docuerit 2. 2. q. 23. a. 7. illas verè eſſe virtutes, *quia ad verum aliquod bonum particulare referuntur, quod ad bonum univerſale ſit referibile*; quam doctrinam D. Thomæ ait *inprimis mirandam eſſe*, conaturque convellere. Non ergo loquebatur Bajus de omnibus non fidelibus

Digitized by Google

quorum aliqui actiones quaſdam in Deum referunt. Neque debebat Sinnichius de illis interpretari Articulum; cum ſit damnatus *in ſenſu ab Aſſertore intento*: debebat verò cavere, ne eumdem teneret ipſe in ſenſu illo.

336. Quæres, an putarit Sinnichius, peccari graviter iis actionibus, quæ non referuntur in Deum. Ipſe reſpondeat dicto cap. 144. Sauſis Exr. pag. 728. col. 1. *Ex Baſilii mente*, inquit, *qui opera ex officio quidem bona exercuerunt; ſed non ad Dei gloriam ea retulerunt, non ſolum non recipient pro eis præmium; ſed ex adverſo patientur opprobrium; audituri in extremo judicio à Supremo Iudice vocem illam horriſonam*, DISCEDITE A ME, NON NOVI VOS *&c. Ratio in promptu eſt quia &c.* approbat, confirmatque doctrinam, quam dicit eſſe Baſilii. Habet ibidem alia his conſentanea: niſi quod denique dicat, ſe abſtrahere à gravitate reatus.

§. II.

Quantum diſtent à doctrinâ Sinnichii de præcepto Charitatis Lovanienſes Doctores.

337. BAijum Excipio, Janſenium, & paucos forte alios Baijana fuligine aſperſos.

Diſtat à Sinnichii doctrinâ longiſſimè Joannes Molanus Lovanienſis Doctor Theol. pract. tract. 3. qui eſt de virtutibus cap. 16. num. 7. ſic docens: *Toto corde diligit, qui diligit ex corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, ſive* QUICUMQUE EST SINE CRIMINE. Nota.

Diſtat non minus Cornelius Janſenius Gandenſis Epiſcopus, Lovan. Doctor Concord. Evang. cap. 81. qui explicans particulas illas, *ex toto corde*, hæc docet: *Sic ergo non impletur hoc præceptum in affectu: impletur autem in habitu, & externâ operatione; cum homo in omni operatione ſuâ retinet habitualem dilectionem; quod tunc fit, cum nihil vult, aut facit dilectioni Dei contrarium. Quod autem totalitas illa, de quâ in præcepto, ſecundo modo* (jam explicato) *accipi debeat, patet ex infinitis ſcripturis &c.*

Alia prorſus, quam Sinnichius, & Baijani, ſapuit Guilielmus Mercerus Lovan. Doctor in ſupplem. q. 4. num. 1. probans, contritionem non eſſe neceſſariò eliciendam ſtatim à peccato, *Contritio*, inquit, *non eſt ſine actu dilectionis Dei: hic autem actus non eſt ſtatim à peccato præceptus:* multò minus cenſuit eſſe præceptum pro actionibus ſingulis. Probaverat paulò ante eſſe aliquod præceptum contritionis, quia *Lex charitatis divina, cum præſcribat, Deum eſſe ſummè diligendum, ſimul intelligitur nos obligare ad reparationem amicitiæ, à quâ fortè exciderimus*: poſteà verò ibidem docet, *eſſe probabile*, præceptum contritionis aliquando obligare extra articu-

Google

articulum mortis *ſaltem ex præcepti dilectionis Dei.* Oſtendit verò, ſibi non diſplicere eorum ſententiam, qui docent, *incipere eſſe nimiam dilationem, ſi contritionem ad 4. vel 5. annos differas.* Nihil venerat in mentem Mercero de Sinnichii doctrinâ.

338. Diſtat à Sinnichii, & Bajianorum doctrinâ longiſſimè Antverpienſis Epiſcopus Malderus, Lovan. Doctor 2.2. q.10. a.4. oppugnans Baji, ipſiuſque Sinnichii, ut oſtenſum eſt, dogma; *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, ubi hæc lego: *Neque neceſſarium eſt, illa* (opera) *actu, aut virtute, id eſt, ex præcedenti actuali intentione referri in Deum, ut bona ſint: nam ejuſmodi intentionem neque auctoritas ulla, neque ratio requirit ad quodvis opus bonum, ut patet ex illis, quæ diximus 1. 2. q. 18. a. 9.*

Præiverat Maldero Ruardus Tapperus Lovanienſ. Doctor Artic. 11. plurima diſſerens contra idem dogma. Agnoſcit pag. 108. opera quædam, quæ nec bona ſunt, nec mala, oſtendit, *oculum* Ethnicorum non neceſſariò eſſe *nequam*: quia *in opere, quod faciunt Ethnici ſecundum luminis naturalis directionem, nec veritas deeſt, nec benevolentia; quamvis fidei notitia deſit, & DIVINÆ CHARITATIS AFFECTUS.* Habet alia permulta, à doctrinâ Sinnichii abhorrentiſſima.

Procul erat à Baji, & Sinnichii dogmate Godſcalcus Roſemondus Lovanienſ. Doctor. in Confeſſionali cap. 12. *de amore Dei* Artic. 8. pag. 229. ſic docens: *Præceptum hoc de dilectione Dei, & proximi, quia affirmativum eſt, licet ſemper currat, & obliget homines, etiam cujuſcumque ſtatus, ratione utentes*, NON TAMEN PRO SEMPER, *ſicut nec præceptum de contritione habendâ.* Mox negat, hoc præceptum obligare quolibet die dominico. Tum verò, *quia, incertum eſt nobis, quando currit hujus præcepti obligatio*, ſuadet *ut ſingulis diebus dominicis, vel ſaltem in ſolemnibus*, conemur ſatisfacere illi præcepto.

339. Neque Bajium, neque Sinnichium ſciebat Adrianus, Lovanienſis Doctor poſteà Papa VI. illius nominis. Hic nimirum Quodlib. 7. puncto 4 litt. E. ſic docuit: *Obligamur neceſſitate præcepti aliquando referre omnia in Deum &c. Et licet quidam ex hoc inferre velint, omnem actum culpabilem eſſe, qui non in Deum actu, vel virtualiter referatur; mihi ſufficit quod* PRO ALIQUO TEMPORE, *quo ſibi occurrit obligatio hujus præcepti, niſi referantur, non ſunt immunes à culpâ.* Rurſus ibidem litt. G. *Obligat iſtud præceptum non ſolum ad vitandum odium contrarium, ſed pro aliquando ad actum elicitum.* poſtea refert ſententiam Scoti de præcepto obligante ad amorem diebus dominicis &c. Neque ex doctrinâ Adriani plus conficies, quam, præceptum illud obligare ad unum charitatis actum in vitâ eliciendum.

Conſentanea docuit Joannes Briardus Lovan. Doctor, & vice cancellarius

rius Quodlib. 1. punct. 1. prop. 6. ubi loquens de opinione Alexandri Alenſis, *& plurium aliorum Doctorum probatiſsimorum*, ut ipſe vocat, dicentium, præceptum charitatis indeterminatæ obligationis ad certum tempus, eſſe determinatum ab Eccleſiâ ad diem dominicum, pronuntiat his verbis: *Sed hæc opinio nec veritatem attingit, & multis peccatoribus laqueum injicit.*

Ne quidem Guilielmus Eſtius Baji diſcipulus tam rectè didicit Baji doctrinam illam de neceſſitate Charitatis in actionibus ſingulis, ne peccetur, quam Doctor Sinnichius. Eſtius enim in 3. diſt. 36. §. 3. ſic docet: *Neque tantum amore juſtitiæ, ſed & Dei dilectione, atque ad hoc, ut Deo placeatur, opera legis facienda ſunt,* NON ITA QUIDEM, UT QUOTIESCUMQUE NON EO PACTO FIUNT, PECCETUR: *ſed quia eo tendere, & conari debet Chriſtianus.* Hoc ipſum ſic mitigat poſt pauca: *Sed hoc loco notandum eſt, non hæc ita præcipi, quaſi vel omnis omnino homo, vel is ſaltem, qui Dei cognitionem jam accepit, hoc agere, atque eo niti debeat, ut in omnibus ſemper expreſſam de Deo cognitionem gerat &c.* Sic denique concludit: *Ad hunc ergo modum Deo ſervit Chriſtianus, dum non tantum opera ſua, ſed & operum vacationes, atque quietem, & quidquid non per ſe malum, ab homine vel agendo, vel omittendo fieri poteſt, refert ad gloriam Dei vel actu, vel* HABITU. Nota: nequidem virtualem relationem requirit univerſaliter iſto loco, contentus actuali vel *habituali.*

Joannes Wiggerus Lovanienſis Doctor ignoravit prorſus illud Sinnichii dogma 1. 2. q. 98. num. 13. *Modus charitatis*, inquit, *non cadit quoque ſub præcepto cujuſlibet legis.* Et infrà: *Ut præceptum aliquod cujuſvis legis impleatur, non eſt neceſſe, ipſum opus fieri ex affectu illo charitatis.* Poſteà exponit, & approbat doctrinam D. Thomæ, *quod poſſit quis honorare parentes, & non peccare omittendo pro tunc modum charitatis: quia poteſt pro tunc non obligare præceptum charitatis.* Habet alibi his conſentanea.

340. Addamus quædam his conſonantia ex Theſibus approbatis, & defenſis à Doctoribus Lovanienſibus. Jacobus Pontanus Lovanienſ. Doctor. 17. Aprilis 1652. Theſim hanc defendit: *Præceptum affirmativum de diligendo Deo ſupra omnia per ſe obligat in mortis articulo, & aliquoties in vitâ. Non eſt tamen improbabile, extra mortis articulum in vitâ numquam obligare. Nullum eſt præceptum primo inſtanti uſus rationis, vel etiam multo tempore poſt, Deum ſupra omnia amandi. Non eſt præceptum per ſe obligans ad amorem internum proximi.*

Quoniam verò quæ de tempore, quo obliget præceptum charitatis, diſputantur, eadem de præcepto contritionis fere controverti ſolent: quoniam etiam charitas omnis quædam eſt contritio ſaltem virtualis in iis, qui aliquando peccarunt: Videamus de præcepto contritionis familiares Theſes Lovan. Doctoribus.

Liber-

Liberto Fromondo Lovan. Doctori 11. Febr. 1640. placuit hæc Theſis: *Præceptum contritionis non obligat, ut continuò poſt peccati perpetrationem, vel primâ oportunitate eliciatur: item nec in Paſchate, aliiſve feſtis; ſed in periculo, & articulo mortis, imò ſæpius in vitâ extra tale periculum. Quandonam autem? Non poſſumus mathematicè determinare.* Eidem Doctori 25. Auguſti 1648. placuit hæc: *Eſt in præcepto reſpectu illorum, qui mortaliter peccaverunt, non quidem ſtatim à peccato commiſſo ſub mortali; ſed in mortis tam violentæ, quam naturalis periculo.*

Gerardo van Werm Lovanienſ. Doctori 15. Martii 1647. placuit hæc: *Ex præcepto tenentur elicere contritionem, qui mortaliter peccaverunt, non tamen ſtatim à peccato commiſſo, niſi ſuppoſito mortis periculo.*

Alius ejuſdem Scholæ Doctor 17. Auguſti 1634. hanc poſuit: *Contritio eſt neceſſaria non ſolum neceſſitate medii, ſed etiam præcepti: præceptum verò iſtud probabiliter non obligat ſub mortali ſtatim, ac quis peccavit; nec diebus feſtis, neque quoties peccata memoriæ occurrunt: obligat tamen in periculo mortis, vel articulo.*

His prorſus ſimiles Theſes approbarunt Lovanienſes Doctores die 24. Octob. 1652. die 25. Febr. 1653. die 12. Junii. & 4. Auguſti 1654. die 15. Junii 1655. die 26. Febr. 1661. die 11. Febr. & 9. Maii 1662. die 10. Maii 1663. referente Ludovico de Schildere de Conſcientia. tract. 2. num. 18.

Videtur tamen ſpeciali mentione digna Theſis probata à Liberto Fromondo die 12. Decemb. 1640. *Non tenetur peccator ſub mortali primâ datâ opportunitate ſe expiare: non poteſt tamen diu differre. Sed an ſuppoſita Sacramentorum inſtitutione teneatur aliquando perfecte conteri? Non, ne quidem in articulo mortis.*

351. Quoniam denique Sinnichius Tamburinum exagitans conjunxit præceptum charitatis cum præcepto fidei, & ſpei, accedat pro auctario Theſis Gerardi van Werm Lovan. Doctoris defenſa die 3. Octob. 1657. *Infantibus ſufficit ad ſalutem fides habitualis; in adultis neceſſaria eſt etiam actualis, & quidem neceſſitate medii explicita SS. Trinitatis, & Incarnationis. Præter hanc obligationem datur quoque præceptum poſitivum fidei, cujus obligatio reſpectu adulti, qui convertitur pro tunc datur, cum circa fidem inſtruitur. In infantibus verò baptizatis ubi primum ad rationis uſum pervenerint, eſt obligatio diſcendi Myſteria fidei, & circa illa actum fidei exercendi. Extra hos caſus non putamus, præceptum fidei per ſe, & directè obligare.* Hæc eſt ipſiſſima doctrina Tamburini, ut patuit n. 75. tam tragicè reprehenſi à Doctore Sinnichio.

Hæc ſufficiant pauca de pluribus ſpecimina, ex quibus appareat quam rectè calluerit, aut quanti fecerit Sinnichius doctrinam Lovanienſium Doctorum, ille tantus vindex, ut videri cupit, Lovanienſis Theologiæ.

§. III.

Sapienti, & pio Lectori proponitur cenſenda quædam cenſura, de quâ non tulit cenſuram Cenſor Sinnichius, cum eam non inveniſſet in libro Tamburini, aut ſimilis Scriptoris.

351. NOlo imitari Doctorem Sinnichium, neque mihi arrogo munus Cenſoris. Sed fortaſſe continget hæc mea venire in manus quorumdam, qui à ferendis cenſuris minus abhorreant, quam ego. Illis ergo propono quamdam cenſuram, quam tulit quidam ſcriptor Theologus, ut judicent, quid cenſuræ mereatur: neque enim hoc ſatis poſſum intelligere ex Saule Exrege, aut Vindiciis Decalogicis. Cenſuram ipſam exſcribo, & in medio pono.

SUPERBE, ET PRÆSUMPTUOSE *quidam novas perfectionis vias comminiſcentes cogitant hæc, & ſimilia.*

Etiamſi Deus me ſemper relinqueret in iſtâ luctâ carnis, & ſpiritus, ſine ullâ ſpe vitæ æternæ, eſſem contentus.

Paratus ſum illi ſervire, etiamſi una tantum die me ad regnum cælorum admittere vellet.

Vel etiamſi nullam promiſiſſet ſervientibus ſibi mercedem.

Imo quamvis poſt omne pietatis, & patientiæ ſtudium vellet me in infernum projicere.

Coronet me, damnet me, paratum me illi ad omnia offero.

In tantum diligo fratres meos, ut paratus ſim pro eis damnari.

Ego ſcio diſcretione eſſe opus in commendando (ut de ceteris taceam) hoc actu, & ſimilibus huic: *Paratus ſum illi ſervire, etiamſi nullam promiſiſſet ſervientibus ſibi mercedem*: majori etiam in hoc: *Imò quamvis poſt omne pietatis, & patientiæ ſtudium vellet me in infernum projicere*; ne ſcilicet quilibet homines opportunè importunè invitentur ad illos actus eliciendos. Infirmioribus quibuſdam ad tam ardua importunè invitatis periculum eſſe poſſit à præcipitio. Non puto tamen *ſuperbiæ* & *præſumptionis* promiſcuè arguendos eſſe, qui iſta cogitant: neque certè illa eſt nova perfectionis via, ſed calcata pridem à ſanctis viris, quod eſſet facilè oſtendere, niſi aliud agerem. Certe S. Franciſcus Xaverius, ut conſtat ex lib. 2. Epiſtolar. novar. ejuſdem Sancti Epiſt. 2. etiam pueris inter alia præſcripſit hoc exercitium divini amoris, & quidem illis præcinendum, vel ab illis cantandum:

Digitized by Google

Si ceſſet Inferni metus
Tollatur & ſpes gloriæ;
Ego tamen, mi Conditor,
Te, dotibus captus tuis,
Te, Numen admirans tuum,
Sublime, ſanctum, Providum,
Amore inempto proſequar &c.

Non auſim dicere, hoc exercitium eſſe inventum *præſumptuosè, & ſuperbè.* Neque dubito, quin Doctor Sinnichius Cenſuram illam Cenſurâ quâdam ex ſuis gravioribus fuiſſet notaturus, ſi illam inveniſſet apud Tamburinum, & non apud Joannem Molanum Lovan. Doctorem Theol. Pract. Tract. 2. cap. 44. Concl. 3.

CAPVT VI.

De Præcepto Orationis, & Communionis.

§. I.

An defuerint Sinnichio Doctores Lovanienſes, quos reprehenderet circa doctrinam de Attentione orationis.

343. VIdimus num. 80. peſſimè tractatum à Sinnichio Tamburinum, quod ſcrupuloſos cenſuerit eſſe monendos, probabilem eſſe opinionem dicentium, ſufficere, in audiendo ſacro, & recitandis horis, attentionem externam. Feſtucam vidit in oculo fratris; trabem in ſuo non vidit.

Etenim Doctor ipſe Sinnichius die 14. Januarii 1659. approbavit, publicèque defendit hanc Theſim: „ Non eſt neceſſarium, ut quis præ- „ ciſe ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ut habeat internam aliquam devo- „ tionem, cum Eccleſia actum merè internum precipere nequeat; imò „ neque actum internum, quatenus hic neceſſarius eſt, ut actus exter- „ nus, quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis; ſed ſolum quate- „ nus eſt abſolutè neceſſarius, ut actus externus in eſſe phyſico liberè, & „ humano modo ponatur. Unde qui toto tempore ſacri voluntariè eſt di- „ ſtractus, modò ſufficienter ſibi præſens ſit, ut ſacro cum externâ re- „ verentiâ debitè aſſiſtat huic præcepto ſatisfacit: quamvis talis in aliud „ præceptum impingat: Puta quod ſit otioſus, vel peccet contra reverentiam ex naturâ rei debitam, quod ad rem præſentem non facit.

Hæc

Hæc mihi videtur mirabilis confidentia, haud ita pridem in actu publico propoſuiſſe hujuſmodi Theſim, atque approbaſſe, ut minimum tamquam nullâ dignam cenſurâ, aut reprehenſione, & Tamburinum reprehendere, tamquam *laxioribus indulgentem*, quod dixerit, ſcrupuloſos monendos de probabilitate ejuſdem Theſeos. Sibi ignovit Sinnichius, quod hîc peccatum cenſuit. De Collegis quoque Doctoribus nihil obſervandum ipſi occurrebat. Videamus quædam.

344. Joannes Molanus Lovan. Doctor Theol. practicæ Tract. 3. cap. 8. num. 3. ſic docuerat: *Eſt autem neceſſaria attentio vel ad verba, vel ad ſenſum, vel ad ſcopum orationis: hoc eſt ad Deum, vel ad rem, pro quâ oratur. Harum attentionum* PRIMA BONA EST: *ſecunda melior: tertia optima.*

Huic ſententiæ etſi nolit ſubſcribere Malderus, docet tamen tract. 10. de Juſtit. & jure cap. 2. dub. 4. Beneficiarium non teneri ad reſtitutionem fructuum, qui recitavit officium ſine attentione internâ: quod idem mox extendit ad eum, qui recitavit ſine attentione externâ, *ſi aliquo modo ad Eccleſiæ intentionem ſe conformare voluerit initio recitationis.*

Joannes Wiggerus 2. 2. tract. 8. cap. 2. dub. 12. num. 57. ad veram orationem ait ſufficere unam è tribus attentionibus, *vel ad verba, vel ad ſenſum verborum, vel ad finem orationis; ſcilicet Deum*, modò habita ſit intentio orandi. Poſtea dub. 13. num. 65. obligatos ad horas Canonicas docet *committere peccatum mortale ex genere ſuo, ſi eas legant abſque attentione neceſſaria ad ſubſtantiam orationis*; hoc eſt, ſi nequidem habeant attentionem ad verba. Porrò quid ſibi velit attentio ad verba, prout diſtincta eſt ab attentione ad ſenſum verborum, aut quomodo poſſit omnino abeſſe illa attentio, ſi modò fiat recitatio ab homine rationis compote, lectori conſiderandum relinquo. Inveniſſet in his Doctor Sinnichius, quod vel jure, vel injuriâ reprehenderet, ſi artificio ſuo cenſorio uti voluiſſet.

§ II.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, quos reprehenderet circa doctrinam de Communione annuâ.

345. SInnichius Saulis Exreg. cap. 106. in Vind. cap. 19. prope finem ſedulò inculcat, non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ de Communione Paſchali, & confeſſione, niſi Euchariſtia ſuſcipiatur *reverenter*, & Confeſſio fiat *fideliter*. Nullum citat Auctorem, qui contrarium docuerit, credibile eſt non habuiſſe ad manum ex illis, quos ſuſceperat exagitandos. Quoniam verò hoc agit iſto tractatu, ut Laxorum, quos vocat, opinio-

opiniones omnis generis faciat odioſas, nemo lector dubitat iſta legens, quin tacitè inſinuet, iſta eſſe tradita ab Auctoribus ejus generis, cui ſe potiſſimum oſtendit infenſum. Videamus, nulliſne aliis illa placuerint, quibus parcitum Sinnichius volebat.

Die 17. Januarii 1664. Jacobus Pontanus Lovanienſis Doctor publicè patrocinatus eſt huic Theſi: *Omnes Christi Fideles, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, obligantur Eccleſiaſtico præcepto juxta caput omnis utriuſque ſexus, ad minus ſemel in Anno hoc Sacramentum ſumere, idque in Paſchate:* CUI PRÆCEPTO ETIAM SATISFACIT, QUI INDIGNE CUM SACRILEGIO MORTALI COMMUNICAT.

Die 1. Febr. 1649. Jacob. Pontanus Lovanienſis Doctor hanc probavit: *Præter hæc duo ſola Euchariſtia jure divino præcepta eſt ratione ſui: Euchariſtia, & Pœnitentia inſuper Eccleſiaſtico,* CUI SATISFIT PER COMMUNIONEM SACRILEGAM, SIMILEMQUE CONFESSIONEM, *ſi talis valida detur. Qui prævidet, ſe à Paſchali Communione, aut Confeſſione in fine anni impediendum, eum non teneri putamus, vel à Communione Paſchali liberamus.*

Die 11. Auguſti 1651. Lovanienſis Doctor hanc defendit: *Eccleſiæ præcepto* PER SACRILEGAM COMMUNIONEM *poteſt ſatisfieri.*

Die 18. Maii 1634. hanc: *Impletur probabiliter hoc præceptum* PER COMMUNIONEM INDIGNAM.

346. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 436. col. 1. in Vind. cap. 20. pag. 259. doctrinam Caramuelis, quod eâdem Communione, & Confeſſione ſatisfieri poſſit obligationi duorum Annorum, reprehendit uſque adeò, ut ſibi non patiatur ſatisfieri correctione in poſterioribus editionibus ab Auctore adhibitâ. Debebat quoque diſplicere Collegæ ſui Lovan. Doctoris approbatione defenſa Lovanii hæc Theſis: *Poteſt aliquando eâdem confeſſione ſatisfieri Anni præcedentis, & currentis præcepto.*

CAPUT VII.

De Præcepto Eleëmoſynæ.

§ I.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, quos reprehenderet in doctrinâ, de ſublevandâ extremâ neceſſitate per mutuum.

347. VAlde tragicè Sinnichius Saulis Exreg. cap. 117. pag. 535. in Vind. cap. 30. pag. 505. *Quid,* inquit, *dicemus de iis, qui ne extreme*

tremè quidem indigentibus, quidquam neceſſario donandum, ſed dumtaxat mutuandum eſſe contendunt ? An forte NOVORUM ETHICORUM LAXITAS *nequaquam huc ſeſe exporrigat? Inquiris Eſcobar*, an extremè indigentibus ſufficiat per mutuum ſubvenire ? *Et continuò reſpondet*; ſufficit appoſitâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ reſtituant. De hâc ego *laxitate Novorum Ethicorum* egi num. 125.

Laxitatem Novorum Ethicorum Sinnichius appellavit doctrinam valde expreſſam Adriani Lovan. Doctoris, qui vir iſtius Academiæ eſt præcipuum decus. Scribens ille in 4. de Reſtitut. pag. 64. col. 4. ſic docuit : „ Præ„ tereà in extremâ neceſſitate non poteſt occupando alienum prius ſuum „ facere, quam Dominus rei teneretur in ipſum transferre : ſed dominus „ hoc caſu non tenetur abſolute donare : IMÒ SATIS EST, SI MUTUET, quo„ uſque ſpoliatus fortunam pinguiorem aſſequatur, & proteſtari poteſt de „ repetendo in illo eventu : ergo &c. Minor patet : quia ſi quis extremâ „ neceſſitate detentus reſpuat mutuò oblata, & clàm, vel per vim abſolutè „ occupet alienum, apud omnes fur, & raptor cenſetur.

Conſentanea docuit Adrianus Quodlib. 1. puncto 2. litt. G. his verbis : „ Quamvis neceſſitas fuit maxima, ſi poſtea pinguiorem fortunam ſortitus „ non reſtituerit, peccat : ſi verò neceſſitate ceſſante ſtatim reſtituit, in „ nullo delinquit &c. Ex quo concludo ad propoſitum quod non teneor „ purè gratis paſcere fame morientem, vel defendere eum, qui accipiendo „ injuriam perimeretur : ſed poſſum proteſtari de mercede mei laboris, „ vel operæ, aut dari repetitione, ſi ad pinguiorem fortunam venerit. Ecce *novum Ethicum* judicio Sinnichii Adrianum, ejuſque *laxitatem*.

348\. Vereor ut melior ſit conditio Malderi Epiſcopi Antverpienſis, qui 2.2. quæſt. 32. art. 6. dub. 5. loquens de neceſſitate extremâ ſic docet : *Si proximus ſolum ſit in neceſſitate accipiendi mutuum, non peccabis mortaliter dando mutuum, etiamſi habueris ſuperflua perſonæ. Eoque ſenſu poterit ſuſtineri opinio prior* : quam dixerat eſſe Adriani illis locis, quæ deſcripſi.

Joannes Wiggerus eâdem quæſt. 32. art. 6. num. 49. ſic docet : „ Si „ proximus tantum ſit in extremâ neceſſitate pro hoc loco, aut pro hoc „ tempore &c. non tenebitur quis, etiam de ſuperfluis, dare gratis ea, „ quibus hìc, & nunc indiget, ſed ſufficiet dare mutuum, aut vendere ſub „ credito.

Ibidem num. 50. ſic : „ Similiter videtur ſufficere dare mutuum, quan„ do non habes, quo ſuccurras proximo in extremâ neceſſitate conſtituto, „ niſi quod tibi ad vitam, & ſtatum moderatè intertenendum eſt omnino „ neceſſarium.

Conſentanea docuit Sylvius Duacenus Doctor, Sinnichio charus 2.2. 32. a. 6. quæſito 5. concluſ. 1. „ Quando pauper habet artem, vires, in„ duſtriam,

„ duſtriam, quâ poſſit aliquando bona comparare, non eſt neceſſe illi „ ſubvenire gratis donando; ſed ſufficit mutuare, commodare, vel cre- „ dito vendere. Vereor ne ad *laxitatem Novorum Ethicorum* appellatam à Sinnichio proximè accedant hæc, & ſimilia. Non puto ego, Eſcobarium fuiſſe ſolicitum de *apponendâ conditione, ut tempore lautioris fortunæ reſtituant*; quando nulla eſſet facultas perveniendi ad lautiorem fortunam. Nota etiam *lautam fortunam* ab illo poſtulari, ut ſit obligatio reſtituendi, & non utcumque fortunam, quâ ſit poſſibilis reſtitutio.

§. II.

An defuerint Lovanienſes Doctores, quos reprehenderet Sinnichius in doctrinâ de ſublevandis communibus egentium neceſſitatibus.

349. Vidimus num. 116. graviter reprehenſum Eſcobarium, tamquam ſi nullâ reſtrictione affirmaſſet, eſſe probabilius, non eſſe hujuſmodi obligationem; cum diſertè aſſerat, *Divites, qui ſuperfluis vitæ, & ſtatui abundant, graviter delinquere, ſi aliquam eleëmoſynam communibus neceſſitatibus non elargiantur.* Videamus, nuſquamne exciderit tantumdem, aut plus Lovanienſibus Doctoribus, quibus pepercit Sinnichius.

Joannes Molanus Lovan. Doctor Theol. pract. tract. 2. cap. 5. num. 46. ſic docet: *Non auſim tamen eum de peccato mortali damnare, qui ex ſuperfluo non juvat exiſtentem in communi neceſſitate*: Hæc mihi memoriam renovant eorum quæ num. 125. vidimus diſplicuiſſe Sinnichio in Laymanno monente, *Confeſſarium abſolutionem diviti non facile negare debere, quod communes pauperum miſerias ſublevare monitus recuſet.* Laymannus hujuſmodi divites abſolutè damnavit peccati mortalis, ut oſtendi loco citato: cenſuit tamen, magnâ diſcretione opus eſſe in negandâ abſolutione, ut ibidem explicui. Non diſplicuiſſet Molano Laymannus, niſi fortè ob ſeveritatem nimiam, & ſuâ majorem.

350. Minori injuriâ reprehendi à Sinnichio poterat Joannes Malderus 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4. ſic docens: „ Probabilius eſt in communi neceſ- „ ſitate pauperum, non teneri divitem ſub mortali, ulli in particulari de- „ terminatè, aut etiam in confuſo alicui dare eleëmoſynam. Tenet Covar- „ ruvias, Petrus Navarra, & alii: poſſunt enim ſua ſuperflua deſtinare ædi- „ ficandis templis &c. Subdit rationes quaſdam, ob quas dicit, *non eſſe improbabilem* contrariam ſententiam.

Malderus ibidem paulò ante vocaverat *probabilem opinionem* Gabrielis docentis, *eum, qui habet ſuperflua in extremâ neceſſitate, peccare mortaliter,*

niſi eroget ; in gravi venialiter ; in communi non peccare. Verba ſunt Malderi. Atque hæc quidem Sinnichium non offenderunt.

CAPVT VIII.

De ſuſpicione, & Iudicio temerario.

Doctrina Lovanienſium Doctorum, quam reformare poterat Sinnichius.

351. Vidimus num. 127. graviter reprehenſum à Sinnichio Tamburinum, quod docuerit, *Suſpicionem in re gravi, & ſine ſufficientibus indiciis*, non eſſe culpam mortalem, etſi includat opinionem; modò non perveniat ad rationem *judicii*. Atque hanc doctrinam ille Cenſor vocat *Laxitatem Tamburini*, quam loco citato oſtendi eſſe D. Thomæ, fatente, & ſequente Cajetano: oſtendi & aliorum eſſe Auctorum gravium, & multorum. Nunc videamus de Lovanienſibus Doctoribus.

Poſſem non immeritò pro illâ ſententiâ citare ipſum Sinnichium, qui toto illo tractatu de Laxitatibus tòt locis, & tam nullis, aut frivolis argumentis vel doctrinam affingit invidioſam honeſtis viris, quam non tenuerunt, vel de opinionibus ipſorum eas fert cenſuras, quas non merentur, vel ipſos facit odioſos, tanquam ſi doctrina, quam reprehendit, ipſorum eſſet propria. Nolo repetere tædioſas hiſtorias. Videat Lector ſi lubet, adnotata num. 304. 305. quædam ſpecimina è multis, quibus oſtendi, Sinnichium in ſuo Saule ſecutum eſſe unius Doctoris opinionem, hoc eſt, ſuam, non probabilem, ſed improbabilem; quod non eſt factum ſine ſuſpicione, & judicio temerario; & quidem ubi agebatur de famâ optimorum virorum. Ad alios Doctores tranſeo.

352. Joannes Molanus Lovanienſis Doctor Theol. pract. tract. 3. cap. 36. concluſ. 5. n. 12. & ſeq. ex doctrinâ Auguſtini concludit in hæc verba: „ Judicia proinde temeraria, etſi conſenſus accedat, regulariter ſunt ve„ nialia peccata, ſi deſit certa, & definita ſententia. Tunc autem definita „ ſententia eſt, quando certò aliquid judicatur, quod raro faciunt homines „ timentes Deum, qui non ſolent fortiter aliquid aſſerere de factis alienis. Clarè igitur locutus eſt Molanus.

Similia ſapuit Lovan. Doctor Godſcalcus Roſemondus in Confeſſional. de Detractione pag. 38. „ Oportet, inquit, diſtinctim confiteri, ſi alios „ judicaſti, vel ſolum ſuſpiciones malas habuiſti, quæ diſtincta ſunt pec„ cata, & primum gravius eſt: Et ideo dicit Gloſſa 1. Cor. 4. Si ſuſpicio„ nes vitare non poſſumus, quia homines ſumus; judicia, id eſt diffini-

„ tas,

„ tas, & firmas ſententias continere debemus. Unde judicium eſt determinatio, ſive certa alicujus diffinitio. Poſtea laudat in hâc materiâ doctrinam D. Thomæ, quam ſuprà excuſſi: Liquet ergo, quid ſenſerit Roſemondus.

Affinia docuit Joannes Malderus Tract. 6. de Juſtit. cap. 1. dub. 3. *Satis*, inquit, *exploratum videtur illud (dubitare, & malè ſuſpicari) ex genere ſuo ſolum eſſe peccatum veniale; quatenus dubium, & ſuſpicio, quaſi ex naturâ ſuâ, eſt ademptio parva boni alieni, ſiti in bonâ æſtimatione alterius.* Et infrà. *Non deſunt, qui dicant, numquam eſſe mortale in ejuſmodi dubitatione, aut ſuſpicione. . . . . . Auguſtinus ejuſmodi ſuſpiciones ad venialia peccata pertinere dixit Tract.* 90. *in Joannem. Hæc ſententia non eſt improbabilis.* Suſtinet tamen ipſe ſuſpicionem poſſe eſſe mortalem, licet opinionem non includeret.

353. Rotundius eſt locutus Joannes Beets Lovan. Doctor in Decal. Præcept. 5. Expoſit. 1. cap 2. litt. S. Diſtinguit tres gradus judicii ex ſignis levibus: *Primus eſt*, inquit, *quando aliquis ex levibus ſignis incipit dubitare de bonitate fratris: & hoc eſt peccatum veniale; quia procedit ex humanâ infirmitate, ſine quâ hæc vita non ducitur: & hoc non vocatur propriè judicium, ſed ſuſpicio.* Non accepit *dubitationem*, & *ſuſpicionem*, quatenus excludit *opinionem*, ut patet ex ſequentibus. „ Secundus, inquit, gradus eſt, quando ex talibus „ ſignis levibus firmiter tenet in animo, quod frater ſit malus; & hoc propriè dicitur judicium, quia judicium importat firmam ſententiam: & „ hoc eſt peccatum mortale, ſi malum ſit de genere peccati mortalis . . . . . . „ Nam etſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, judicia „ tamen, & definitivas ſententias continere debemus &c. „ Hæc ille ad imitationem D. Thomæ.

Plus etiam Joannes Wiggerus Tract. 6. de Juſt. cap. 1. dub. 3. num. 19. Dico tertiò: *Iudicium temerarium cum plenâ animadverſione, ſi firmum, & quaſi moraliter certum formetur in re gravi contra proximum, ordinariè eſt peccatum mortiferum contra juſtitiam.* Vide quanto plus aſſerat hic Doctor, quam Tamburinus cum dicit; *Iudicium temerarium* FIRMUM, *& quaſi moraliter certum in re gravi &c.* ORDINARIE; adeoque non ſemper eſſe peccatum mortiferum. Tamburinus de ſolâ ſuſpicione affirmavit.

Pergit Wiggerus num. 21. Dico quartò: *Si quis non judicet firmiter, ſed tantum dubitet, aut ſuſpicetur ex indiciis inſufficientibus, non erit ordinariè niſi peccatum veniale*, Et infrà: *Dicitur autem quis ſuſpicari, dum aſſentitur quidem, ſed debiliter, & dubitanter.* Caſum agnoſcit in quo id ſit mortale, quando ſuſpicio conjunctam habet malevolentiam, pertinaciam &c. De caſu iſto non venit in mentem Tamburino.

Habebat ergo Sinnichius Doctores Collegas, quos reformaret in hâc materiâ.

CAPUT IX.

De Reſtrictione mentali.

354. MEmor ſit Lector ex iis, quæ ſparſim alibi diximus, ad praxim ipſam nihil admodum referre, ſeu dicas, licere uti reſtrictione purè mentali, ubi cauſa utendi juſta adeſt, ſeu dicas, non licere; modò fatearis, licere uti ſermone reſtricto ex ſolis circumſtantiis perſonæ loquentis, & audientis, ubi cauſa utendi juſta adeſt. Utrobique intervenit reſtrictio verborum mentalis, utrobique etiam reſtrictio verborum ex circumſtantiis. Illi dicunt, ſermonem excuſari à mendacio ob reſtrictionem mentalem: hi dicunt excuſari ob circumſtantias reſtringentes. Illi negant licere uti reſtrictione ſine cauſâ, & alioqui peccandum contra virtutem veritatis dolo illicito: hi negant, licere uti reſtrictione ſine cauſâ, & alioqui peccandum contra veracitatem, & quidem mendacio: ubi perjurium agnoſcunt hi, illi agnoſcunt irreligioſitatem, vide dicta num. 165. ubicumque illi agnoſcunt cauſam juſtam utendi reſtrictione purè mentali, ibi agnoſcunt hi circumſtantias reſtringentes. De his plura licebit diſſerere in 2. parte Stateræ.

§. I.

An defuerint Sinnichio Lovanienſes Doctores, quos appellaret Magnos reſtrictionum mentalium patronos *pari jure, ac Leonardum Leſſium.*

355. LOngâ tractatione Sinnichius contra uſum reſtrictionum mentalium ſic agit, ac ſi commercium omne humanum ſuſtuliſſent ii Theologi, qui illum approbarunt. Vel malignatus eſt, vel non intellexit illorum doctrinam; ut vel ex dictis modò conſtat. Accipiat hic Lector Lovanienſes Doctores everſi inter homines commercii reos judicio Sinnichii: ut intelligat, potuiſſe illum occupari reformandis domeſticis, atque intereà parcere externis.

Magnus Reſtrictionum mentalium Patronus Sinnichio eſt Leſſius. Aio, de iſto patrocinio nihil Leſſio concedere Adrianum Lovanienſem Doctorem primi nominis. Adrianus Quodlib. 11. longè poſt medium ad quodlam 2. argumentum litt. CC. pag. 245. col. 2. edit. Pariſ. Anni 1531. ſic docuit. „ Ad ſecundum dico poſt Henricum de Gandano quodlib. 2.

Google

„ q.33. juramentum de veritate dicendâ ſuper interrogandis, ſe non extendit ad penitus occulta; cum non poſſit juramentum eſſe iniquitatis „ vinculum...... Et cum petit Argumentum; *Vel dicet ſe nihil ſcire de „ illo facto penitus occulto, vel tacebit, aut planè veritatem dicet? ſi primum mentitur*: Dico quod non mentitur: quia ſolum intelligitur diſtributio „ fieri pro his, quæ licet aliis pandere: quemadmodum & Sacerdos licitè dicit, ſe hoc crimen non audiſſe ex eo; quamquam adderet etiam, „ quod non in confeſſione Sacramentali, SI LOQUENS SE RESTRINGERE „ VELIT ad ea, quæ licitè referuntur. Et per hoc evitatur difficultas argu- „ menti; *ſi diceret, ſe audiſſe ab eo in confeſſione, verum diceret: ergo contradictorii aſſertio eſt falſa*: non enim contradicunt; quando in unâ reſtrictius „ loquitur, quam in alterâ. Juxta hoc vide, quæ ad longum dicit Pſal. „ 21. diſt. 4. q. 3. art. 3. cum Sacerdos producitur in teſtem, vel ſponte lo- „ quitur: præſertim cum dicit Sacerdos, ſe nullo modo ſciendi ſcire: ſic „ loquens, quantumlibet generalia ſint verba, INTENDIT SE RESTRINGERE: „ & audiens ſimiliter debet intelligere: non eſt mendacium.

356. Dices poſtrema verba; *Et audiens ſimiliter debet intelligere*, oſtendunt Adrianum hic agnoſcere circumſtantias conſignificantes.

R. ſuppoſitâ veritate ſententiæ de licito uſu reſtrictionis mentalis, quando juſta adeſt cauſa utendi, hoc ipſo reverà *audiens ſimiliter debet intelligere.* Poteſtne de hoc dubium fuiſſe illis viris, qui Adrianum ſunt ſecuti? ſi hoc eſt agnoſcere circumſtantias conſignificantes, has agnoverunt omnes illi. Aliud fuiſſet, ſi Adrianus doctrinam ſuam limitaſſet ad eos caſus, in quibus *audiens ſimiliter eſſet intellecturus*: de caſibus illis nulla eſt controverſia: ſatis ipſi erat ad licitum uſum reſtrictionis, quod *audiens ſimiliter* DEBERET *intelligere*.

Conſentiens ſibi fuit Adrianus in 4. de Confeſſione non procul à fine pag. 119. col. 2. editionis Lovanienſ. ſic docens: „ Ad ſecundum principale dico, quod, non obſtante juramento, tutè debet dicere, quod nihil „ ſcit de veritate Articuli...... In jure occulto, quia non tenetur ſemetipſum prodere adjuratus, poteſt SECUNDUM OMNES DOCTORES reſpon- „ dere quod nihil de facto illo novit; vel certè, quod non fecit quia in- „ telligitur ſub limitatione prædictâ. Confirmat deinde rem exemplis Scripturæ: tum verò objectionem à duabus contradictoriis ſolvit eo fere modo, quem audivimus ex Quodlib. 11.

Ita adamavit hanc doctrinam Adrianus, ut rurſus in 4. de Correpț. fraternâ non procul à fine pag. 154. col. 2. ad verbum exhibuerit prolixum locum, quem hîc deſcripſimus ex Quodlib. 11. Poterat ergo Doctor Sinnichius miſſo Leſſio, aliiſque externis, ſatagere, ne commercium humanum everteret doctrina Adriani, ipſamque ſynceritatem Religionis, in

quâ & Leſſius, & alii vulgò crediti reſtrictionum patroni deteſtantur reſtrictionem, & ſimulationem omnem; non itidem Adrianus, ut infra videbimus.

357. Audiamus Joannem Molanum Theol. pract.tract.2. cap.7.concl. 1. ſic docentem: „ Quâcumque arte verborum juret, Deus, qui con„ ſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, qui juratur, intelligit. „ Admittit tamen hæc D.Iſidori, & anteriorum Patrum regula aliquot „ exceptiones. Primum quando eſt violenta, & injuſta petitio; ut ſi Ju„ dex petat à reo juramentum ſuper crimen occultum, aut ſi maritus co„ gat jurare uxorem, quod non commiſerit occultè adulterium. Deinde „ licet aliquando contra propinquam interrogantis intentionem jurare „ æquivocè: ut ſi puteris ex civitate peſtiferâ venire, & ſcias, ibi peſtem „ non eſſe: ſed contra finem jurare non licet. Ac poſtremum, quando „ aliquis importunè, ac familiariter interrogat, quod ad eum non per„ tinet, ut ſi dicat, jura mihi, an is de me malè locutus ſit.

De quâ æquivocatione loquatur Molanus in his caſibus, patet ex iis, quæ docet ibidem cap. 29. concluſ.4. de Reo malè interrogato à Judice, qui eſt unus ex memoratis modò caſibus. *Quod ſi*, inquit, *Iudex præter ordinem juris eum examinare audeat, citra mendacium reſpondere poteſt; Non feci.* Similiter cap. 38. concl.3. *Non tamen*, inquit, *mentiri dicendus eſt Sacerdos, qui, quod ex confeſſione novit, negat ſe noſſe.* Quomodo vapulaſſet à Simnichio, ſi quis illorum, quos oderat, dixiſſet, exceptionem admittere hanc Iſidori Regulam; *Quâcumque arte verborum quiſque juret, Deus, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut is, qui juratur, intelligit.*

Conſtat ſibi Molanus lib. 4. de fide hæreticis ſervandâ cap. 8. docens, *Captivum prædonis non teneri de lytro ſuo jurare ſecundum intentionem petentis; ideoque æquivocè ei reſpondere poſſe, & aliud intendere, quam intendat ille, cui juratur: quomodo Azpilcueta poſt alios docet, reſponderi poſſe judici incompetenti &c.* Ecce illam æquivocationem probat, quam licere dixit Navarrus Azpilcueta: certum eſt autem, hunc licitam dixiſſe æquivocationem per reſtrictionem mentalem, ut vidimus n.134. & ſeqq.

358. Joannes Malderus, quod ad rem ipſam, & praxim attinere poſſit, docet eadem prorſus de licito uſu reſtrictionis, quæ Navarrus, qui mentalibus reſtrictionibus patrocinatus eſt impensè, ut ſuprà vidimus. In iiſdem caſibus omnibus docet, licere dicere; *non feci, non ſcio*, ſubintelligendo; *ut dicere liceat*, in quibus ille id dicit licere: Imo 2. 2. tract. 10. de Juramento cap. 6. dub. 7. cum non ſatis probaſſet quamdam rationem Navarri, mox ipſe; *Dici tamen*, inquit, *poteſt in odium exigentis juramentum injuſtè, ſenſum illum benigniorem*, ETIAM MENTE SOLA SUPPLETUM, *vulgò facilius acceptari, quaſi ipſis verbis tali caſu ſatis ſignificatum, ſicuti ſimilia in favorem*

rem confeſſionis Sacerdoti conceduntur. Ecce ſenſus *mente ſolâ ſuppletus*, cum juramentum injuſte exigitur, ſic vulgo acceptatur, ac ſi verbis eſſet ſignificatus: patet ergo in re ipsâ Navarrum, & ſimiles Auctores nihil dixiſſe hîc licere, quod non & ſentiat licere Malderus; etſi ratione aliquantulum diversâ utatur. Fatetur ibidem, *recipiendam eſſe ſententiam Navarri, quando verba cum tali reſtrictione*, quali jurans utitur mentaliter, *ab exigente juramentum intelligi deberent.* Nihil hic eſt, quod diſplicere poſſit Navarro.

359. Aliquantò ſubtilius rem excuſſit Malderus in libello de reſtrictionibus: ſed manifeſtum eſt, nihil in re, atque ad praxim reſtrictionum pertinens, diverſi docuiſſe ab iis, quæ Navarrus docuit, ſimileſque Auctores. Manifeſtum id eſt vel ex iis, quæ habet cap. 10. ſect. 1. ad Regulam 6. Poſuerat hanc regulam: *Peccatum eſt in communi ſermone, ſive rogeris, ſive ultrò loquaris, alio ſenſu velle intelligi, quam quo loqueris, niſi duo concurrant.* Ecce duobus concurrentibus non erit peccatum *alio ſenſu velle intelligi, quam quo loqueris*, adeoque velle intelligi quodam ſenſu, quo non loqueris, ſeu quem non habet tua locutio. Videamus quænam ſint illa duo, quæ debent concurrere. *Primum eſt*, inquit, *quod aliter non poteris celare illam veritatem, qua revelata damnum inferet.* Certum eſt idem requiri à Navarro, Leſſio, cæteriſque. *Secundum, quod iſtam veritatem jus habeas tali modo tegendi.* Hoc quoque certum eſt ab illis requiri. Sed quænam ſunt illa, quæ jus iſtud tribuunt? *Puta*, inquit, *quia vel Dei honori, vel tibi, vel proximo tuo ejus revelatio obeſſet, taleque incommodum inferret, ut meritò à ſimplicitate ſermonis, à Domino commendatâ, non nihil deflectendum videatur, non mentiendo, aut falſum enuntiando, ſed tantummodo verum tegendo.* Certum eſt, hæc ipſiſſima requiri à Navarro, Leſſio, cæteriſque, ut non ſit peccatum *alio ſenſu velle intelligi, quam quo loqueris*; niſi quod verear, ne haud ſatis ipſis placuerit hæc locutio, quâ dicit Malderus, aliquando non eſſe peccatum *alio ſenſu velle intelligi, quam quo loqueris.*

360. Doctrinam Navarri, Leſſii, & ſimilium Auctorum bene illuſtravit ibidem Malderus: quia reverà illi Auctores, etiamſi in aſſertione non peccarent, quâ affirmabant, in certis caſibus licere uti reſtrictione mentali, tamen non bonâ ratione probabant aſſertionem; quod nimirum reſtrictio ſolâ mente adjecta his vocibus, *non feci, non ſcio*, ſubintelligendo, *ut liceat revelare*, ſermonem eximeret labe mendacii, & aliunde adeſſet juſta cauſa celandi veritatem. Prima pars rationis nihil valet, ut bene oſtendit Malderus dicto cap. 10. ſect. 2. in principio. Ipſe verò multò melius probat illorum Aſſertionem, inveſtigando in illis caſibus circumſtantias conſignificantes: nam & has requirit ibidem, ut non ſit mendacium, & interea, ut jam vidimus, cenſet univerſaliter, non eſſe pec-

catum *alio ſenſu velle intelligi, quàm quo loqueris, quando aliter non poteris celare illam veritatem, quæ revelata damnum inferet*; adeoque jus habes illam ſic tegendi.

Quare Malderus requirens circumſtantias conſignificantes in generali aſſertione de licito uſu reſtrictionum mentalium in certis circumſtantiis, non diſſentit ab illis Auctoribus; ſed in modo probandi Aſſertionem. Requirit ipſe juſtam cauſam, & incommodum ſecuturum, niſi celetur veritas: requirunt illi quoque. Cenſet ille ex iſtâ juſtâ causâ, & incommodo ſecuturo ſubnaſci circumſtantiam, quæ conſignificet reſtrictionem: hoc illi non viderunt.

361. Melius ſe explicabit ipſe Malderus libro de Reſtrict. cap. 10 ſect. 2. §. *Noto* 3. ſic diſſerens: „Noto tertio, eodem modo, quo de amphibologico ſermone ſumus locuti, etiam judicare nos poſſe de reſtrictione mentali, quando ea aliquo modo verbis exterioribus propter circumſtantias ſignificatur. Quod facilius fit, quando interrogati reſpondemus: poſſumus enim ſenſum interrogantis eo modo accipere, quando exorbitans eſt, quo exorbitans non ſit, & quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat: v. g. ſi inquirat de aliquo, quod ſecretum eſſe debet, potes ei reſpondere, quaſi neſcias: quia debebat non ulterius inquiri, quam quatenus revelari poteſt: v.g. cum ſis legatus Regis, interrogatus ab alio Principe, ad quem miſſus es, an Rex cogitet inferre bellum tali Provinciæ, reſpondebis rectè, te neſcire, etiamſi ſcias; quia interrogans debebat exigere ſcientiam hujus ſecreti cum eâ reſtrictione; ſi dicere id tibi liceat &c. Ex his manifeſtum eſt ſagaci Lectori, Malderum in Aſſertione ipsâ de licito uſu reſtrictionum non differre à Navarro, Leſſio, aliiſque: quod hi affirmant licere, iſtud idem ille aſſerit licere: in iiſdem caſibus, in quibus illi, admittit licere dicere; *neſcio &c.* ſubintelligendo; *ut revelare liceat*: differt ab illis ratione, & modo probandi aſſertionem.

362. Imò plus aliquid Malderus inſinuat licere in hâc materiâ, quàm Auctores illi: docet enim cap. 11. de Reſtrict. in principio, melius quidem eſſe, nos abſtinere à reſtrictione mentali, quando ſilendo excuſari poſſumus, vel non tanta, aut nulla timentur incommoda, ſi apertè dicatur veritas, non tamen ad hoc nos obligari. „V. g. inquit, eſt aliquis vir gravis: rogatur ab eo, num viderit tale quid peccantem hunc, aut illum: qui interrogat non id tamquam Judex, neque tamen ex merâ curioſitate inquirit, fieri poteſt, ut liceat CIRCUMVOLUTA MENTE negare, ſe id vidiſſe, intelligendo aliquid, quod aliquo modo etiam exterius ſignificatum conſiderari poſſit &c. Si tamen incommoda quæ peccatori, aut alteri ex eâ revelatione timeantur, nulla ſint, potius

„talis

„ talis poterit, quam præter morem ſuum, reſtrictione mentali utatur,
„ ſimpliciter fateri, quod viderit: imò hoc magis virtus veritatis ſuadet,
„ niſi charitas læderetur, aut niſi ſilentio ſolo defungi apud amicum poſ-
„ ſet. In hâc itaque materiâ prudens dicet; *Multa mihi licent, ſed non omnia*
„ *expediunt.* Hæc Malderus. Ego non puto, hoc totum licere, quod ille hic affirmat licere: neque putavit, ut opinor, Navarrus, aut Leſſius.

Pluribus non eſt opus, ut intelligat Lector, non defuiſſe Sinnichio domeſticos Doctores, quos nihilo pejori jure, quam Leſſium, appellaret *Magnos reſtrictionum mentalium Patronos.*

§ II.

An ex Regno Sinenſi accerſenda fuerit Sinnichio materia accuſationis de fictâ adoratione Idoli.

363. Vidimus num. 176. quam fœdè proſciderit Sinnichius famam Sinenſium Miſſionariorum, uſus auctoritate, & relatione Thomæ Hurtadi. Vidimus etiam quantâ id calumniâ, & læſione charitatis. Ego nemini faciam injuriam, ſi hoc loco deſcribam ſimpliciter locum Adriani Lovan. Doctoris, ut eum conferens Lector cum iis, quæ diſſerui loco citato, judicet, quàm æquus Cenſor Sinnichius, & quam bono zelo videatur fuiſſe invectus in certum genus auctorum potiſſimum: atque hinc ſtatuat, quantum ponderis tribuendum ſit ejus criminationibus, qui certum habebat laceſſere Auctores illos; Domeſticis verò ſuis ſic pepercit, ac ſi nævi nihil haberent, quod potuiſſet reprehendere eodem jure.

Adriani Lovanienſis Doctoris, & Cancellarii in 4. de Sacram. Bapt. quæſt. 1. pag. 5. col. 2. verba hæc ſunt.

„ Item ſerioſè ſimulando contingit, verum velle occultare per ſignum,
„ quo veriſimiliter credimus, alios decipiendos; quomodo David co-
„ ram Rege Achis ſimulavit, ſe furere: & ſi quis hoc modo ſimulet ido-
„ lolatriam, dum non requiratur confiteri, cujus ſectæ ſit, aut talis
„ apud alios habeatur; qui facto ſuo alios in errore confirmet, vel à ve-
„ ritate dejiciat, non videtur magis peccare idololatriam ſimulando, quam
„ ſi metum, ut Joſue, aut ſi furorem ſimularet, ut David. Et hoc videtur
„ conceſſiſſe Heliſeus Naman, & Hieronymus condemnare in Jehu: &
„ ſic licuit, maximè ex causâ, ſimulatè ſervare legalia: quomodo ſi quis
„ coram ſortilego levando nomina inſcriptorum, dicat; *ſi videbas furem cur-*
„ *rebas cum eo*; non animo invocandi dæmonem, ſed ut ſciſcitetur, an alius
„ talis ſit, & eum ab errore revocet, dicitur ſimulare ſuperſtitionem.

De doctrinâ illâ Adriani Joannes Wiggerus Lovanienſis Doctor 2. 2. q. 3. art. 2. num. 17. ſic loquitur : *Ex his conſtat, meritò ab omnibus paſſim Adriani doctrinam reprehendi, & rejici quam in 4. quaſt. 1. de Baptiſmo ad 5. argumentum tradit his verbis :* ITEM SERIOSE &c. Eandem Adriani doctrinam improbat Epiſcopus Malderus Lovan. Doctor 2. 2. q. 3. art. 2. membro 3. & fere cæteri Theologi non ſolum rejiciunt, ſed reprehendunt ſeverius : Doctor Sinnichius, Cenſorem agens Theologorum Moralium, non putavit eſſe à ſe reprehendendam, ſed accerſendam ex Sinarum Regno fabulam calumnioſiſſimam de ſimulatione Idololatriæ.

§. III.

Lovanienſium doctrina de Reo negante, ſimulante &c. æquè vel magis idonea cenſuris Sinnichii, quam doctrina Tamburini.

364. VIdimus num. 237. diſplicuiſſe Tamburinum, merè narrantem, quid videretur quibuſdam de probabilitate ſententiæ, quâ docetur, non obligari Reum *ad inferendum teſtimonium capitale contra ſe ipſum.*

Poterat Sinnichius diſſimulare meram, & veriſſimam narrationem Tamburini, & ſuos Collegas reprehendere, ſi res habebat operæ prætium. Malderus tract. 6. de Juſtit. cap. 3. dub. 1. Aſſert. 2. ſic docet : *Probabile eſt, non haberi interrogationem pro legitimâ hactenus, ut teneatur Reus veritatem contra ſe fateri, quando interrogatur in causâ capitali, in quâ alias non erat deprehenſus, aut convincendus : ſed ſpes eſt evadendi.* Poſt multa idem extendit Malderus ad eum caſum, quo *Accuſatori magna imminerant damna ex negatione.* Ac tandem : *Imò,* inquit, *propter ſummum jus tuenda vita &c. non improbabiliter illud extenderim ad eum caſum, quo accuſator coactus fuiſſet accuſare, & per talionis pœnam ipſemet eſſet occidendus.* Hæc profectò eſt circumſtantia valde notabilis.

Quia verò etiam diſplicuit Tamburinus, ut vidimus num. 241. quod narraverit, quoſdam ampliare illam doctrinam *ad quodcumque malum grave, puta exilium, triremes &c.* Audiamus Malderi ibidem Aſſertionem 3. *Etiam quando agitur de pœnâ triremium, mutilationis, confiſcationis bonorum omnium, aut gravi dedecore, probabile eſt ex eodem fundamento, Reum non teneri contra ſe fateri, quamvis legitimè videatur interrogari, quando alias ſperat evadere.*

Audiendus eſt etiam Sinnichii Collega Wiggerus tract. 6. de Juſtit. cap. 3. dub. 1. num. 4. *Non eſt,* inquit, *improbabilis eorum opinio, qui exiſtimant,*

Reum

Reum non obligari ad veritatem dicendam, ſive confitendam contra ſe in cauſâ capitali, quam diu ſpes eſt evadendi. Hanc aſſertionem probat multis, operoſèque ſolvit argumenta in contrarium, atque etiam palmare illud Sinnichii; *Cum Iudici competat jus indagandi veritatem ſemiplenè probatam, correſpondet in reo obligatio fatendi.* Præſtat idem Malderus.

365. Vidimus etiam num. 234. diſplicuiſſe Tamburinum, quod docuerit, Reum *non obligari ad mentem Iudicis reſpondere*, ſi *dubitet, an legitimè interrogetur.*

Poterat de hoc reprehendere ſuos Collegas. Malderus loco cit. Aſſertionem quintam hanc ponit. *Quando dubium eſt, utrum Reus legitimè interrogetur, non tenetur reſpondere, ſed poteſt ſe gerere, ſicut quando interrogaretur illegitimè.* Mox refert, & non improbat ſententiam Arragonii dicentis, Reum fatentem in caſu *prodigalitate peccaturum.*

Ponit eamdem Aſſertionem Joannes Wiggerus loco citato num. 2. concluſ. 2. Sylvius quoque Duacenus Doctor Sinnichio charus 2. 2. quæſt. 69. art. 2.

Quoniam denique, ut notavi num. 232. 233. graviſſime invectus eſt Sinnichius in eam ſententiam, quâ docuerat Tamburinus, *poſſe quempiam ad tormenta, damnaque gravia vitanda ſibi falſum crimen imponere; ſemper ſupponendo abeſſe perjurium, &c.* audiatur Theſis probata à Lovan. Doctore Gerardo van Werm die 14. Novemb. 1641. illa ſic habet: *Licitè proditur verum crimen ad evadenda tormenta valde gravia, etſi ideo quiſpiam extremo ſupplicio afficiendus, utrum delinquat lethaliter qui in caſu prædicto ſibi falsò crimen imponit, controvertitur:* NOS NEGATIVAM SUSTINEBIMUS. Hic, niſi fallor, potuiſſet Sinnichius prodigere amplificationem illam de impietate Suicidii, quam ad doctrinam Tamburini adhibere non dubitavit.

CAPUT X.

De Furto, & Uſurâ.

Doctrina Lovanienſium Doctorum, in quâ ſe occupare poterat Sinnichius.

366. VIdimus num. 186. Tamburino adſcriptum hunc Articulum: *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extremâ, ſed etiam in gravi neceſſitate*; idque hoc nomine, quod dixiſſet, *communem eſſe ſententiam in gravi neceſſitate aliena poſſe ſurripi.* Vocat Sinnichius loco ibidem citato *Benignos Laxones*, qui ab illo articulo videntur non abhorrere.

Fuit ergo ex *Benignis Laxonibus* Doctor ipſe Sinnichius die 3. Febr. 1648. probans hanc Theſim: „Quilibet in extremâ neceſſitate conſtitutus po-„teſt accipere rem alienam, quâ extremè indiget ad vitæ ſuſtentationem. „Imò probabile cenſemus, non ſolum in extremâ, ſed etiam in gravi „neceſſitate morbi, famis, nuditatis poſſe te clanculum ſurripere ab „opulentis, ſi aliter grave illud malum avertere nequeas.

Similem Theſim probaverat Chriſtianus Beuſecum die 7 Aug. 1638. & die 14. Febr. 1630. fuit ergo & hic judicio Sinnichii ex *benignis laxonibus.*

367. Neque melior eſt conditio Joannis Wiggeri tract. 3. de Juſtit. cap. 6. dub. 1. num. 7. ſic docentis: „Dico ſecundò. Non tantum extrema, „ſed etiam gravis neceſſitas alicujus, aut ſuorum, vel proximi, excuſat „eum à reſtitutione, quam diu illa durat; niſi creditor ſimiliter eſſet in „gravi neceſſitate. Ita communiter Doctores: & probari poteſt: quia „multi tenent, quod in gravi neceſſitate liceat etiam clanculum ſurripe-„re à ditioribus, quando fit ſine ſcandalo, ut Sylveſter, Angelus Na-„varrus, Petrus Navarra &c. Hæc Aſſertio Wiggeri & probatio aſſer-„tionis eſt tam ſimilis Aſſertioni, & probationi Tamburini, ut hic illum „omnino videatur eſſe imitatus.

Similiter Malderus Epiſcopus 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 6. „In gravi, in-„quit, neceſſitate, etiamſi ea non fuerit extrema, probabile eſt, licere „pauperi auferre illud, quo indiget, à divite, qui per hanc ablationem „non incidet in gravem ullam neceſſitatem, aut notabile ſtatus detri-„mentum.

Docet idem Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor 2. 2. q. 66. art. 7. Habemus ergo judicio Sinnichii adnumeratos *benignioribus Laxonibus* Sinnichium ipſum cum inſignibus Collegis, & Franciſco Sylvio Sinnichii amico Doctore.

368. Sinnichius Saulis Exreg. cap. 116. pag. 529. in Vind. cap. 29. pag. 491. cum adnotaſſet, uſuram non ſolum eſſe in pecuniâ, quod olim putarunt quidam reprehenſi à Hieronymo, ſed *in quolibet alio, ſi pluſquam dediſti, expectas accipere*, accingit ſe ad confutandos quoſdam, quos vocat *Novos noſtros Ethicos*, *Novos noſtros Laxones*, qui, *quemadmodum prædicti errones, in eo exorbitent, & mutuatores palpent, quod quaſdam mutuandi praxes, reverà uſurarias, negent eſſe tales.* Quinam verò illi ſunt *Novi noſtri Ethici*, *Novi noſtri laxones*, *Erronum imitatores*, *mutuatorum palpatores*? Illi ipſi qui tradiderunt hunc Articulum à Lovanienſi Scholâ reprobatum: *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum: ſed ſolum ſi exigatur, tamquam ex juſtitiâ debitum.* Sed quinam ſunt illi, qui tradiderunt Articulum? Sinnichius neminem ſpe-

cialiter

cialiter de hoc accuſat; ſed facile intelligit Lector, quos deſignatos voluerit. Ego igitur aliquouſque ſupplebo, quod ipſe neglexit.

369. Agmen ducat ipſe Doctor Sinnichius qui die 29. Januarii 1658. probavit hanc Theſim: *Vſurarium eſt ex juſtitiâ obligare mutuatarium, ut officium ſæculare, aut Beneficium Eccleſiaſticum ſibi, vel ſuis conferat. Secus dicendum, ſi ſolum* REQUIRAT, *ut prædicta ſibi ex benevolentiâ præſtentur.* Memor ſit Lector etiam judicio Sinnichii, uſuram non ſolum eſſe in pecuniâ; ſed *in quolibet alio, ſi plus quam dediſti, expectes accipere*: continetur ergo Theſis illa ſub articulo ut minimum, tamquam ſpecies ſub genere: relinquo igitur conſiderandum, quam procul diſtet Sinnichius ab iis, quos appellat *Novos noſtros Ethicos, Novos noſtros Laxones, mutuatorum Palpatoris &c.*

Idem conſiderari jubeo de Lovan. Doctore Joanne Beets in Decal. præcep. 7. Expoſ. 1. cap. 3. ubi inducit, & non improbat D. Thomam ſic reſpondentem: *Si munus ab obſequio, vel à linguâ* (pecuniâ æſtimabile) *non quaſi ex obligatione exhibeatur, ſed ex benevolentiâ, quæ ſub æſtimatione pecuniæ non cadit, hoc licet accipere,* ET EXIGERE, *& expectare.* Ego neque D Thomam, neque Joannem Beets reprehendo: ſed quæro, an, ſi ſtandum eſt judicio Sinnichii, ſatis diſtent à *Laxonibus, & mutuatorum palpatoribus.*

Joannes Molanus Lovanienſis Doctor Theol. pract. tract. 2. cap. 26. Uſuram mentalem definiverat, *quando mutuum datur, & inde lucrum accipitur, aut intenditur abſque expreſſâ inſinuatione*: notaverat quoque *mutuum differre; ſperare, aut deſiderare lucrum, & intendere lucrum.* Poſteà ſic docet. *Neque uſurarius eſt, qui alteri mutuat, hoc intendens tantum, ut non principaliter ex mutuo, ſed ex liberalitate ejus commodum reportet.*

370. Joannes Malderus tract. 5. de Juſtit. cap. 3. dub. 6. ſic docet:
„ Si mutues eâ lege, ut ſtatim tibi conferat mutuatarius beneficium Ec-
„ cleſiaſticum &c. eris ſimoniacus; non tamen uſurarius .... Si tamen
„ dicas, te mutuum dare, non ut pretium beneficii Eccleſiaſtici, ſed
„ ut hâc ratione provoces amicitiam collatoris, aut ut gratiam præſtes,
„ quam nolis præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo bene-
„ ficium, probabile eſt, nec uſuram, nec ſimoniam fore. Praxim verò diſ-
ſuadet ob periculum, & ſpeciem mali.

Hæc fere approbat Joannes Wiggerus tract 5. de Juſtitiâ cap. 6. dub. 6. Wiggerus ibidem dub. 7. ad quæſtionem hanc: *Vtrum ſit uſura, ſi quis mutuet eâ lege, ut alter res ſibi neceſſarias in ipſius officinâ emat, ut ad ejus veniat molendinum &c.* ſic reſpondet: *Si petat ſibi iſta viciſſim præſtari, ut officia amicitia, quatenus gratitudo id poſtulat, & ſine alterius gravamine fieri poteſt, non erit uſura.*

Et infrà ad quæſtionem hanc: *Vtrùm mutuator poſſit ſtatuere hunc terminum reſtituendi mutuum; quando mutuatarius deſinet frequentare ipſius officinam, vel molendinum &c. Reſpondet affirmative.*

Prœive-

Digitized by Google

Præiverat Adrianus in 4. de Reſtit. de uſuris 5. *Dico igitur ad quæſitum* 1. pag. 48. col. 3. ſic docens: „ Si recipiens mutuum per hoc, quod molendinum mutuantis ſolum accedit, in nullo gravatur; neque mutuanti „ plus juſto aliquid accreſcit, ob illum finem mutuare, neque eſt uſurarium, neque peccatum; quidquid in contractu mutui etiam adjiceretur; ut quandocumque molendinum alterius accederet, obligetur „ mutuum ſuſceptum reſtituere. Cenſet non obſcure Adrianus etiam ſtrictæ obligationi hic eſſe locum.

371. Die 4. Maii 1639. Chriſtianus Beuſecum Lovan. Doctor probavit hanc Theſim: „ Mutuare poteris eâ lege, ut mutuatarius remu„ tuet, ſi hoc illi non ſit magis incommodum, quam tibi: ut conferat ti„ bi officium, vel beneficium gratis conferri ſolitum, vel tuam officinam „ frequentet, in molendino molat, vel quid ſimile præſtet, ſalvo quod „ ſolâ gratitudinis lege eum ad hoc obliges. Similem plane Theſim defendit idem Doctor 25. Sept. 1631. ſimilemque Theſim Doctor Lovanienſis Schinckelius die 18. Septemb. 1642.

His aliquid notabile ſuperaddit Theſis probata à Gerardo van Werm, Lovan. Doctore die 13. Decemb. 1651: „ In labem incidit mutuator, „ qui mutuatarium lege juſtitiæ obligat, ut ei pœnam debitam, famæ, „ & honoris reſtitutionem remittat, ut neceſſaria in ipſius officinâ emat: „ Non verò ſi eum obliget ſolum obligatione amicitiæ.

Hæc itidem die 15. Octob. 1663. „ Contractus, quo Titius mutuans „ Caio mutuatario mille florenos, & ipſe viciſſim dat Titio ſuam domum, „ quâ uti, & frui poſſit, quam diu ipſe retinet ſuas pecunias mutuò da„ tas, ſub hoc pacto, ut quoties ipſe velit pecuniam reddere, vel Titius „ reddere domum, contractus diſſolvatur, & unuſquiſque reddat, quod ac„ cepit, communiter ab uſurâ excuſari poteſt.

De his aliiſque non eſt meum judicare: ſed Lector conſideratis iis, quæ præmiſi, ſtatuat, quàm procul, judicio Sinnichii, Doctores hi Lovanienſes cenſendi ſint diſtare à *Novis Ethicis, Laxonibus, Mutuatorum palpatoribus*, quos ipſe vocat.

CAPUT

CAPVT XI.

De Turpi Lucro.

Doctrina Sinnichii & Lovanienſium Doctorum non reprehenſa à Sinnichio.

372. VIdimus num.214. inſultantem Sinnichium Tamburino, quod docuiſſet, *Judicem non peccare contra juſtitiam recipiendo pretium* pro ſententiâ injuſtâ jam à ſe latâ: adeoque ex lege juſtitiæ non teneri ad reſtitutionem.

Certum eſt nullam eſſe ſolidam rationem, quâ probetur, acceptionem, & retentionem pretii accepti pro ſententiâ injuſtâ, repugnare potius naturali legi juſtitiæ, quam acceptionem, & retentionem lucri meretricii: quod enim ſententia injuſta ſit opus repugnans juſtitiæ, fornicatio non itidem, hoc ſolum probat, Judicem teneri ad reparanda damna, quæ intulit litiganti, contra quem tulit ſententiam: non autem probat, ipſum obligari alteri litiganti, pro quo tulit ſententiam. Hoc poſito videamus nulline fuerint Lovanienſes Doctores, quos eodem, vel ſimili jure potuerit reprehendere Sinnichius, quo Tamburinum.

373. Non eſt eundum longè. Ipſe Sinnichius, & quidem docens in Saule Exrege debebat reprehendi à Sinnichio. Namque Saulis Exreg. cap.52. pag.157. & 158. docet diſertiſſimè cum Covarruviâ, *Dationem pecuniæ meretrici promiſſæ, cum ea ſit poſt actum venereum, malam non eſſe, ſed actum juſtitiæ*: docet, *copulâ impetratâ, præſtandum eſſe; quod fuerat promiſſum* ſi datio illa eſt actus juſtitiæ, ſi præſtandum eſt quod fuerat promiſſum, non peccat meretrix contra juſtitiam, recipiendo, & retinendo, quod datum eſt. Nihil habebat Cenſor, quod valde improperaret Tamburino.

At, inquies, opus meretricium non punitur legibus humanis: unde permulti approbantes lucrum meretricium, damnant lucrum ex ſententiâ injuſtâ. Nihil hoc ad rem facit: non quærimus, quid liceat ex legibus humanis, ſed quid ex naturali lege juſtitiæ: hoc unum quæſivit Tamburinus, ut manifeſtum eſt ex dictis n.216.

Si ſibi volebat parcere Sinnichius, habebat alios Lovanienſes Doctores, quos reprehenderet ſeu jure, ſeu injuriâ.

374. Joannes Beets Lovan. Doctor in Decal. Præcepti 5. Expoſit. 1. cap.9. litt. C. ſic docuit cum D.Thoma. „ *Tertio* modo eſt aliquid illicitè „ acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſitio ſit licita (legendum illicita)

 „ ſe

„ ſed quia illud, ex quo acquiritur, eſt illicitum: in his enim transfertur dominium, nec competit repetitio: ſicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium, & hoc propriè vocatur turpe lucrum: quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; ſed in eo, quod accipit, non injuſtè agit, nec contra legem.

Godſcalcus Roſemondus in Confeſſionali Tit. *Receptum ex adulterio &c.* pag. 122. col. 2. ſic pronuntiat: *Adultera, vel fornicaria recipiens ratione operis libidinoſi munera ab eo, qui habet facultatem donandi, non tenetur ea reſtituere.*

Eadem non obſcurè eſt ſententia Joannis Molani Lovan. Doctoris Theol. pract. tract. 2. cap. 23. num. 17. *Quod,* inquit, *ad malas actiones attinet, peccans contra charitatem non tenetur reſtituere, niſi ſimul lædat juſtitiam. Exemplum læſæ juſtitiæ eſt in lubricâ muliere, quando à filio familias accipit ſummam, quam ſcit eum non habere, aut ſi ſe nobilem, vel virginem mentiatur, ut adoleſcentem ſeducat.* Erat nimirum; cur ad hos caſus confugeret, ſi putaſſet univerſaliter lucrum meretricium eſſe injuſtum.

Multò clarius Adrianus in 4. tract. de Reſtitut. pag. 64. col. 1. & 2. idem docet de turpi quæſtu fœminæ cujuſlibet. Nititur verò hoc fundamento: *Quia nihil tenet de alieno, invito Domino:* quæ ratio latius patet: quare ſic ibidem docet: *Idem puto de iis, qui ſceleribus ſuis ſavorem aliorum, & munera impetrarunt.*

Joannes Wiggerus 2.2. quæſt. 32. art. 7. n. 59. cum affirmaſſet idem ex D. Thomâ de meretricibus, *Eadem,* inquit, *eſt ratio de illis, quæ quis accipit, ut aliud turpe facinus perpetret, v. g. ut alium occidat.* Videatur quoque Malderus ad eumdem Articulum D. Thomæ.

Audiatur quoque Duacenus Doctor Franciſcus Sylvius magnæ auctoritatis apud Sinnichium: ille vero 2. 2. quæſt. 32. art. 7. ad 1. ſic docet: *Potius dicendum videtur, quod ante ſententiam judicis nulla ſit obligatio reſtituendi id, quod quis accepit, ut alium occideret, ut* INJUSTAM SENTENTIAM PRONUNTIARET, *ut falſum teſtimonium diceret, & generaliter, ut faceret actum malum; etiamſi juſtitiæ repugnantem; niſi forte in aliquo particulari crimine per ſpeciales leges aliter diſponatur.* Hæc ſunt ipſiſſima, quæ à Tamburino tradita tam graviter reprehendit Cenſor.

375. Conſentanea approbarunt Lovanienſes Doctores in Theſibus palam defenſis. Libertus Fromondus die 9. Febr. 1640. probavit hanc: *Nec jure naturæ, nec poſitivo communi probabiliter vetitum eſt retinere pretium datum pro opere turpi. Imò peccato jam patrato eſt juſtitiæ actus, pretium pacto conſtitutum ſolvere.*

Menſe Septembri 1640. Schinckelius hanc defendit: *Munus omne acceptum pro opere malo patrando, ante operis impletionem reſtitui debet: minimè tamen ſi accipiatur opere patrato: imo tunc ſolvere actus juſtitiæ eſt.* Hanc itidem

die

Digitized by Google

die 2. Octob. 1642. *Si quid promiſiſti pro opere turpi, opere patrato redde promiſſum, aut furti labem non evades.*

Die 22. Novemb. 1663. Jacobus Pontanus Lovan. Doctor hanc probavit: *Poteſt plerumque malefactor ea, quæ ipſi pro opere turpi patrato data ſunt, retinere; uti etiam & ea, quæ ante patratum opus non in pretium, ſed liberaliter ad alliciendum ejus animum ab aliis data fuerunt. Si pro opere turpi aliquid alteri promiſiſti, teneris opere patrato totum id ei ſolvere, etſi ficte ſolum promiſeris; niſi lex tale pactum fecerit irritum.*

Die 6. Martii 1664. Gerardus van Werm Lovan. Doctor hanc defendit. *Acceptum ob maleficium perpetrandum, opere perfecto, non eſt reſtituendum; verbi gratia ob perjurium, adulterium, aut homicidium.*

Die 30. Octob. 1649. Michael Paludanus hanc: *Munus acceptum propter opus malum patrandum (opere non patrato) reſtituendum eſt; minimè, ſi patratum fuerit.*

Die 30. Martii 1634. Guilielmus Mercerus hanc: *Receptum pro opere malo impleto teneri poteſt.*

Die 18. Julii 1619. Chriſtianus Beuſecum hanc: *Quando pretium accipitur pro peccato injuſtitiæ, reſarciendum quidem eſt damnum, ſi quod injurioſe inferatur tertio; non tamen pretium acceptum pro tali opere, ſtando in jure naturæ, & poſitivo communi; ſicut nec reddendum acceptum pro operibus juſtitiæ, quæ debentur cum reſpectu ad illud.*

376. Conſideret Lector, quam non indiguerit Sinnichius externorum doctrinâ de turpi lucro, quam cenſuraret, qui domi habebat tam copioſam: ſtupendum eſt horum omnium fuiſſe ignarum: fuit autem ignarus ut oſtendit hæc ad ſententiam Tamburini exclamatio: *Ecce repertus è Probabilitatum Patronis, qui tametſi injuſtæ ſententiæ prolationem improbet, pecuniæ tamen pro eâ receptionem juſtificat &c.* Vide dicta n. 214.

CAPUT XII.

De Homicidio.

§. I.

Lovanienſes Doctores Sinnichio contrarii.

377. SInnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 463. col. 1. in Vind. cap. 23. pag. 324. præmiſsâ generali regulâ verbis Auguſtini; *His exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter oc-*

Digitized by Google

di jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur, regulam declarat exemplis quibuſdam ab Auguſtino ſumptis: ex quibus hoc unum diſco, non peccare eos contra quintum præceptum, qui vel occidunt Deo auctore, aut jubente, vel, cum perſonam publici judicis ſuſtineant, *juſtiſſimæ rationis imperium ſequentes plectunt ſceleratos.*

Denique ſic ſe gerit iſto loco Sinnichius, ut extra illos caſus nullum videatur agnoſcere, in quo occidere liceat: rem enim tractans ex profeſſo loco citato, caſum alium nullum profert, in quo liceat occidere; ſed ad Novos Ethicos converſus poſtulat, ut laxitates ſuas in hâc materiâ probent vel *miraculo*, vel *firmâ ratione.*

Cenſet ergo, ni fallor, privato homini non licere occidere; etſi hoc neceſſarium ſit ad defendendum ſe ſuaque. Sed huic opinioni comperio adverſari Doctores Lovanienſes quotquot reperi quæſtionem tractantes; & quidem pleroſque valde largiter.

378. Jacobus Bajius Inſtitut. Relig. Chriſt. lib. 3. cap. 70. docet, ad tuendam vitam licere occidere invaſorem (quam dicit eſſe ſententiam Auguſtini & D. Thomæ) *neque teneri invaſum conſulere ſaluti invaſoris, ſi periculum damnationis æternæ ſubſit, amittendo vitam corporalem ſuam.* Docet mox licere occidere invaſorem, etiam pro defenſione rerum temporalium: & Auguſtino opponit S. Scripturam, *manifeſtè permittentem furem nocturnum occidi.* Quod attinet ad defenſionem honoris, *Sentiunt*, inquit, *Doctores eo caſu licitum eſſe hujuſmodi nobili viro, in pugnâ perſeverare; quamvis alterius mors ſecutura ſit, nec obſtringi ad fugam.* Neque ipſe doctrinam improbat.

Joannes Beets in Decal. præcep. 5. Expoſ. 3. cap. 2. non dubitat, quin liceat interdum occidere privatâ auctoritate, ſervato moderamine, rectâque intentione: cumque ſibi objeciſſet Hugonis auctoritatem, *quod mortaliter peccet tam Clericus, quam Laicus, qui ob defenſionem ſui*, VEL RERUM SUARUM *aliquem propriâ auctoritate occidit.* Reſpondet: *Sed gloſſa dicit, quod hæc opinio eſt nimis dura.* Mox verò de Clerico varias refert ſententias: ſed poſtremo loco hanc: *Hoſtienſis dicit; verius credo, quod in nullo imputetur ei, ſcilicet quando eſt neceſſitas inevitabilis, & addit, quod etiam Curia Romana hodie hanc opinionem tenet.*

Joannes Molanus Theol. pract. tract. 2. cap. 14. num. 2. *Se tamen*, inquit, *vitamque ſuam, & Remp. atque Eccleſiam Chriſti tueri, atque ab eâ injuriam propulſare, cuivis jure naturæ conceſſum eſt. Neque hoc defenſionis officium commaculat mors invadentis* n. 7. Indicat, idem licere etiam ei, qui bene ſibi conſcius invaſorem novit eſſe in peccato.

Guilielmus Eſtius in 3. diſt. 37. §. 21. recitatis iis, quæ ab Auguſtino, aliiſque dicta videntur adverſari; *Sed contrariam*, inquit, *opinionem probabi-*

liorem efficit lex naturæ, ratio, & auctoritas. Et infrà. *Iuxta hanc igitur* PROBABILEM *ſententiam* LICITUM EST, *ſe,* SUAQUE *defendere, utendo ad hoc inſtrumentis etiam talibus, ex quibus mors invaſoris ſequatur.* Nota per tranſennam; *juxta hanc probabilem ſententiam licitum eſt.* Sinnichius loco cit. contra *novos Ethicos* (in quibus oportet quoque Eſtium ab illo numerari) requirit vel *miraculum* vel *firmam rationem*, ut à generali præcepto, Non occides, fiat exceptio: *Et quoniam,* inquit, *de præcepti moralis, ſive naturalis obligatione hic agitur, nullus temeritati locus eſt, in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt; ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.* Non ſic Guil. Eſtius: *Iuxta hanc,* inquit, *probabilem ſententiam licitum eſt ſe, ſuaque defendere &c.*

379. Joannes Malderus Antverpienſis Epiſcopus de Juſtit. & jure tract. 3. cap. 1. dub. 13. concl. 7. *Non ſolum Laicis,* inquit, *ſed etiam & Clericis, & Religioſis licet pro defenſione rerum, quando neceſſitas ita poſtularet, occidere invaſores.* Mox dub. 14. dicit, caſum, quo liceat pro honore tuendo occidere, rarò occurrere, aſſignat tamen caſus aliquot, quos cum dixiſſet *non procedere in Clerico, aut Religioſo, quibus fugere non eſt indecorum,* ſic ſubdit: *Si tamen ipſi ſeſe defenderint, aliàs ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. dubium eſt an peccent contra juſtitiam, an ſolum contra charitatem. Verius eſt, non peccare contra juſtitiam.* Inter caſus prædictos etiam hoc docuerat, licere interdum repercutere eum, qui percuſſit, & jam ceſſat, ſi coram ſubſiſtat, quaſi inſultans.

Malderus idem de virtut. quæſt 41. docuit, *licitum eſſe duellum, quando aliter mortem,* AUT MUTILATIONEM *privatus quiſque injuſte invaſus evadere non poteſt.* Et infrà: *Vnus eſt caſus, quo problematicè poſſit diſputari, an duellum ſit licitum, quando nimirum accuſator innocentis illud offert ipſi innocenti, & Iudex cogit, alioqui innocentem capitis condemnaturus:* Magis propendet in ſententiam negantem; *Quamvis,* inquit, *utraque ſententia ſit probabilis.* Cæterum *hinc itaque,* inquit, *pendebit reſolutio, an liceat eum, qui me falsò accuſatum vadit, aut contra me falſum teſtimonium dicit &c. manu prævenire:* hoc dicit *non videri ſatis tutum, quia fortè &c.* cum tamen ſenſerit ex prioribus eſſe reſolvendum, neceſſe eſt, ut putarit, *problematicè poſſe diſputari atque utramque ſententiam eſſe probabilem:* ſed probabilitatem ſententiæ affirmantis, ſi qua ſubfuit, omnem ſuſtulit Alexandri VII. decretum.

Joannes Wiggerus 2. 2. tract. 2. cap. 2. dub. 10. probat operosè eorum ſententiam, qui dicunt licere furem occidere etiam fugientem. Dub. 12. de occiſione ad defendendum honorem habet varia, quorum veritatem Sinnichius voluiſſet miraculo comprobari, aut ratione tam firmâ, ut probabilitatem excederet.

380. His ſatis conſentanea habet Franciſcus Sylvius Duacenus Doctor

Digitized by Google

à Sinnichio magni æſtimatus : Sylvius 2.2. q.64. art.7. quæſito 6. inter quatuor caſus propoſuerat hunc poſtremo loco ; *Si quis falſis criminationibus apud judicem agat in mortem alterius, neque alia ſit ſpes effugii, quam per mortem talis accuſatoris, aut falſorum teſtium : Controverſia eſt, an his, & ſimilibus caſibus liceat prævenire, & jure defenſionis aggreſſores tales occidere.* Cumque dixiſſet, tradidiſſe Bañez, id licere, ipſe ſuo nomine ſic reſpondet: *Verum hæc neque prædicanda ſunt, ne homines vulgares licentiam defenſionis nimium extendant, neque conſulenda, cum ab aliis meritò dubitetur, præſertim de primo, tertio, & quarto; cumque perrarum ſit, non patere aliud effugium &c.* Conſideret Lector has rationes : forte judicabit reprehenſione dignum eſſe Sylvium propter iſtum languorem.

Minus ibidem dubitat de ſecundo caſu, an uxori liceat occidere maritum, *ſi in eodem cubiculo concluſa deprehendat pugionem ſub cervicali, certòque ſciat, quod per eum ſit à marito interficienda :* quamquam & dicit, non prædicandum, licere, *ne homines vulgares &c.*

Sylvius ibidem quæſito 8. Pro tuendis facultatibus dicit, eſſe licitam occiſionem, *non ſolum, quando fur actu, & per vim rapit; ſed etiam quando fugit bona jam ſurrepta ſecum auferens.* Mox docet, etiam *Clericis, & Religioſis licitum eſſe, moderamine ſervato, bona ſua tueri etiam uſque ad occiſionem invaſoris.* Alia docet in hâc materiâ, ad quæ probanda cenſuit Sinnichius, ut puto, opus eſſe miraculo, aut ratione firmiori, quam ferat modus probabilitatis.

381. Et tamen Doctor ipſe Sinnichius die 22. Septemb. 1660. duobus ante annis, quam Saulem ſuum ederet, hanc Theſim probavit : *Occidere etiam licet pro defenſione pudicitiæ, & facultatum : rariſſimè, aut forte numquam pro defenſione honoris.* De occiſione pro defenſione facultatum fortaſſe habuit miraculum, aut convincentem rationem contra S. Auguſtinum : cum Theſis ſit tam abſoluta : Crediderim, non habuiſſe de occiſione pro defenſione honoris : quare nequidem debebat probari Theſis dicens, eam eſſe licitam *rariſſimè aut fortè numquam.*

Niſi fortè miraculum, aut convincentem rationem habuit, ejus Collega Joan. Mercerus qui die 26. Octob. 1638. propugnavit hanc : *Pudicitiæ invaſorem, furem nocturnum tua auferentem, ſi poſſis, corripies, ſin minus occidere licitum erit. An ſimiliter pro defenſione honoris? Non ita paſſim, ſed raris dumtaxat caſibus.*

Die 31. Octob. 1650. Libertus Fromondus approbavit hanc : *Furem nocturnum licitè interficies &c. Idem extende ad diurnum, ſi telo ſeſe defendat ; imò ad fugientem cum re notabilis momenti.*

Die 26. Martii 1664. Jacobus Pontanus hanc defendit : *Poteſt quis res ſuas majoris momenti, quales non ſunt unus, nec duo aurei, per ſe loquendo defen-*

dere cum occiſione furis, qui cum illis aufugit, quando non ſuppetit modus aliter eas recuperandi.

Die 23. Julii 1648. Sinnichii Collega Doctor hanc defendit: *Licitum eſt occidere injuſtum invaſorem cum moderamine &c. invaſor cenſetur etiam is, qui abſolutè decrevit alterum occidere ſive per ſe, ſive per alium: imò etiam is, qui per calumniam apud Iudicem efficaciter machinatur mortem alterius in ejus tamen occiſione adhibenda eſt cautio; videlicet, ut certò conſtet non ſupereſſe aliud remedium.* Hanc doctrinam cenſeo meritò proſcriptam ab Alexandro VII.

Atque ex his omnibus intelligit Lector Doctorem Sinnichium dum impetuoſius invehitur in laxitates fere à ſe cuſas, fictaſque, præ ſe tuliſſe quamdam ſeveritatem, quam pati nolit Theologia Lovanienſis Academiæ.

§. II.

De Suicidio.

Nihilne docuerint Lovanienſes Doctores, quod reprehendi poſſet à Sinnichio.

382. Vidimus num. 207. reprehenſum à Sinnichio Tamburinum, quod docuerit, *Iuſtè damnatum, ut fame pereat, poſſe oblatum cibum reſpuere.* Vidimus item num. 208. reprehenſum, quod docuerit, Reum juſtè damnatum *licite venenum propinante miniſtro aperto ore ſumere, & deglutire*, cui doctrinæ ſubnectit Cenſor generalem Lactantii cenſuram de ſuicidio; *Execrabilis prorſus, ac fugienda doctrina.*

Debebat circumſpicere Sinnichius conjunctos ſibi Doctores Collegas, quibus ubique ſtuduit parcere; ſed reipsâ non ſatis pepercit. Decuiſſet verò illum parcere Antverpienſi Epiſcopo Maldero, Lovanienſi Doctori, qui tract. 3. de Juſt c. 19 dub. 19. ſic docuit: *Sextò Colligitur, licere ei, qui juſtè fuerit damnatus ad mortem per inediam, abſtinere à cibo occultè ſibi oblato, ut docet Major, Sotus, Valentia, Toletus, Petrus Navarra.*

Doctrinam illam Joannes Wiggerus tract. 2. de juſt. c. 2. dub. 16. n. 103. dicit, *videri à pleriſque teneri*, & ipſe non improbat.

383. Die 10. Martii 1657. Gerardus van Werm probavit hanc Theſim: *Poſſunt tamen damnati, ut fame pereant à cibo clanculum oblato abſtinere.*

Die 10. Aprilis 1614. Chriſtianus Beuſecum Lovan. Doctor hanc probavit: *Reus ſententiam mortis juſtam ferre tenetur; non eidem poſitivè cooperari, poteſt abſtinere à fugâ ſibi poſſibili, panem oblatum recuſare, ſi damnatus ſit ad mortem ex inediâ.*

Die 3. Auguſti 1655. Gerardus van Werm hanc defendit : *Damnatus ad hauſtum veneni, illud per ſeipſum ſumens peccabit ; non ita, ſi parato Carnifici infundere os ſolum aperiat. An verò damnatus, ut fame abſumatur, oblatos ſibi cibos poſſit reſpuere, elige.*

Hi ergo omnes Lovanienſes Doctores tenuerunt, vel approbarunt *Execrabilem prorſus, ac fugiendam doctrinam* de ſuicidio, ſi quid ad rem facit generalis cenſura Lactantii, quâ utitur Sinnichius, expoſitis opinionibus Tamburini in hâc materiâ.

Non tam ſeverus fuit venerabilis Sinnichio Franciſcus Sylvius 2.2. quæſt. 64. art. 5. ad. 5. *Neque enim*, inquit, *ille reus, qui vel ex aperto carcere non fugit, vel oblatum panem non comedit, ſeipſum interficit ; ſed tantum non conſervat ſuam vitam.* Atque his quidem debebat parcere Sinnichius ſic docentibus.

384. Diſplicuit Sinnichio Tamburinus tamquam auctor doctrinæ de licito ſuicidio : quia docuit, *Reum juſte damnatum, ut fame pereat, poſſe oblatum cibum reſpuere, & licite venenum, propinante miniſtro, aperto ore ſumere, & deglutire.* Hæc ille de reo *juſte damnato.* Sed quid ſi ſit injuſtè damnatus ?

Reſpondeat, non Tamburinus, ſed Lovanienſis Doctor Joannes Molanus Theol. pract. tract. 2. cap. 11. concl. 3. *Porro*, inquit, *excuſantur quoque nonnulli à peccato, qui ſe mediatè occidunt. Primum* OB SENTENTIAM MORTIS: EX QUA CAUSA *Ignatius ſe leonibus obiicit, & Ioannes* VENENUM BIBIT. Certum eſt ſententiam mortis, ex quâ causâ dicit Joannem venenum bibiſſe, fuiſſe injuſtam. Videtur ergo putaſſe Joannes Molanus, Reo condemnato, ſeu juſtè, ſeu injuſtè, ad moriendum veneno, licere venenum bibere. Certum eſt, ſententiam injuſtam non magis facere licitam actionem illam, quam ſententiam, ſeu mandatum latronis. Ego non agam Cenſorem, ſed Lector conſideret, an nihil contineat hæc doctrina majori dignum reprehenſione, quam doctrina Tamburini.

§. III.

Inanis ſtrepitus Sinnichii ad doctrinam Tamburini de optante mortem alterius, converti poterat in Adrianum.

385. VIdimus num. 209. & ſequentibus exagitatum à Sinnichio Tamburinum, quod dixerit probabilem eorum ſententiam, qui ajunt, poſſe ſine peccato mortali deſiderari inefficaciter mortem, aliudve malum alteri, quatenus hoc tibi, alterive eſt cauſa boni, etſi non quatenus eſt malum alteri. Ubi notandæ ſunt limitationes ; *ſine peccato mortali,*

mortali, item *deſiderari ineſſicaciter &c.* Audivimus Sinnichium exclamantem ſæpius,non poſſe illa audiri ſine piarum aurium tinnitu.

Illius ſententiæ, quam Tamburinus dixit probabilem, fundamenta univerſalia jecit Adrianus Lovan. Doctor in 4. de Sacram. Euchariſt.pag. 28. col. 2. his verbis: „ Dico quod non prohibemur appetere malum „ proximi in ratione alicujus boni : & hoc vel boni juſti, quo modo li- „ cet appetere, ut mali, putà latrones, & fures, pro demerito crimi- „ num patiantur : quomodo Prophetæ in Scripturâ imprecantur mala „ peccatoribus; quaſi conformantes voluntatem ſuam divinæ juſtitiæ &c. „ Vel ſecundò ſub ratione boni utilis ; putà dum optamus, peccatorem „ pati ægritudinem, aut aliqua impedimenta, ut ipſe melior fiat, vel „ ab aliorum nocumento ceſſet. Sed prohibemur appetere malum proxi- „ mi ſecundum ſe, & abſolutè ſine relatione ad bonum finem, quem in- „ tendimus. Ecce doctrinam Adriani univerſalem, quam paucis verbis complector: *Licet appetere malum proximi, non quidem ſecundum ſe, & abſolutè, ſed cum relatione ad bonum finem* : hæc ergo cum iis conferat Lector, quæ ſolum dixit probabilia Tamburinus: notet etiam circumſpectionem, quam in referendâ ſententiâ expreſſit ille; ut deſiderare liceret *ineſſicaciter &c.*

386. Ad hunc locum reducenda eſt doctrina Adriani ibidem pag. 30. col.1. his verbis concepta. „ Nullo modo licet conſentire conſenſu, qui „ ſit cauſa actus in aliquid, quod de ſe eſſet mortale, ſi in vigiliâ fieret: „ ut homicidium pro tempore furiæ, vel ſomni perpetrandum ; aut in „ ſtuprationem virginis, vel pollutionem in ſomno committendam : ſed „ conſenſu nudæ complacentiæ licet in tale præteritum, aut futurum „ conſentire, propter bonum inde ſubſecutum, vel ſecuturum, ſed non „ abſolutè, & ſecundum ſe. Prima pars concluſionis patet : quia con- „ ſentire in mortem alterius conſenſu, qui ſit cauſa mortis, eſt illum oc- „ cidere &c. Secunda pars concluſionis, quoad utramque ejus particu- „ lam, videlicet, quod propter bonum licet in ea conſentire, ſed non „ ſecundum ſe, & abſolutè, patet primò de his, quæ reſpiciunt malum „ proximi, ex dictis circa primam ſuppoſitionem pro deciſione quæ- „ ſiti &c.

387. His affine eſt, quod ibidem habet pag. 29. col. 2. ubi cum docuiſſet, *liberam complacentiam in opere prohibito* peccatum eſſe, „ Alio, in- „ quit, modo poteſt conſentiri in delectationem talem ; non ut ſibi in „ opere prohibito complaceat; hoc eſt, non præſtituto fine liberæ com- „ placentiæ, ſeu volitionis in operè prohibito. Et hoc dupliciter; putà „ vel ſiſtendo abſolutè in delectatione, vel ſolum conſentiendo in eam, „ ut materiam meriti, cui velit reſiſtere, & reſiſtendo vincere; quomo-

Digitized by Google

do quis conſentit in dolorem martyrii. Primo modo, quia imminet verisimile periculum inductionis ad conſenſum; ſaltem complacentiæ in opus prohibitum, non video quod poſſit fieri ſine mortali peccato, &c. Sed ſi ſecundo modo fiat conſenſus in delectationem ſub ſpe divini ſuccurſus, ſeu adjutorii, & cum debito moderamine, ne nimium invaleſcat, ut poſſit, aut valeat deducere in conſenſum, non audeo aſſerere, quod ex ſe habeat rationem peccati; quamquam ab extrinſecis circumſtantiis regulariter occurrat peccatum.

Hîc Adrianus agnoſcit quemdam conſenſum in delectationem moroſam vulgò dictam, quem non audet aſſerere eſſe ex ſe peccatum: ne quidem priorem illum modum conſenſus aſſerit ex ſe eſſe peccatum, ſed ſolum ratione periculi conſenſus ulterioris. Quouſque debeant hæc diſplicere, non eſt meum definire; hoc ſcio debuiſſe diſplicere Sinnichio tam liberâ atenti cenſurâ in ſcriptis externorum.

CAPUT XIII.

De Bello, & Gabellis.

Lovanienſium Doctorum doctrina, cujus eſſe poterat Cenſor Sinnichius, omiſſo Tamburino.

388. VIdimus num. 243. diſplicuiſſe Sinnichio Tamburinum, quod docuerit, licitum eſſe bellum *in probabilitate ortâ ex jure*. Negavit, eſſe licitum, ſi adverſarius ſit poſſeſſor: negavit item ſufficere *probabilitatem fundatam in facto*, ut ſuprà explicui loco citato.

Poterat ergo Sinnichius, dimiſſo Tamburino, offendi in Lovan. Doctore Joanne Maldero, qui 2.2. quæſt.40. art.1. dub.4. nullam adhibens diſtinctionem docet, *Probabilem ſententiam efficere, ut utrique parti licitum, & juſtum ſit bellum.*

Poterat item cenſorium munus exercere in Joanne Wiggero Lovan. Doctore ibidem num.72. & 73. ubi docet, *Bellum poſſe ex utrâque parte aliquando dici juſtum formaliter*: quod probat, *quia vel ſententia de jure probabilis, vel aliqua ignorantia invincibilis efficere poteſt, quod utraque pars bonâ fide, & bonâ conſcientiâ, & ſine peccato bellum ſuſtineat.* Addit *ſic communiter tradere Doctores.*

Poterat quoque in Franciſco Sylvio Duaceno Doctore ſibi perchario, qui ibidem quæſt. 5. ſic docet: *Quamvis juſtitia à parte rei ſolum ſit apud unum . . . . . . is tamen, qui per ignorantiam probabilem exiſtimat rem ad ſe pertinere,*

pertinere, aut ſe non irrogaſſe injuriam, ideoque non debere ſatisfactionem, etiam juſtè pugnat, quando ignorantia eum à peccato excuſat.

Poterat denique in Joanne Molano Lovan. Doctore Theol. pract. tract. 2. cap. 13. concluſ. 1 num. 11. ubi docet, *Fieri poſſe, quod utrimque juſta belli occaſio ſubſit.* Certum eſt, hoc fieri non poſſe, niſi pars altera excuſetur aliquâ juris probabilitate, etſi non ſubſiſtentis.

Sed præ his peccavit Tamburinus, docens cum tot aliis, licitum eſſe bellum in *probabilitate ortâ ex jure.*

389. Vidimus num. 246. ex falſo prorſus ſuppoſito reprehenſum à Sinnichio Tamburinum, tamquam ex ejus doctrinâ ſequeretur, licitum eſſe Regibus probabili ratione munitis, adigere ſubditos *ad ſumptus belli conferendos.* Miro ambitu quæſita eſt iſta accuſatio, ut ibi vidimus.

Cur non potius reprehendit Cenſor Collegam ſuum Joannem Wiggerum? Hic tract. 7. de Juſtit. cap. 2. dub. 3. num. 8. inter quatuor obſervanda, ut tributum ſit juſtum, *Primum eſt*, inquit, *ut conſtet, cauſam eſſe ſufficientem, ac juſtam: aut, ſi de eâ re diverſæ ſint opiniones, ut ſaltem Princeps habeat probabiles rationes, ob quas poſſit prudenter reſolvere, hîc, & nunc ſe poſſe propter talem cauſam indicere tributum.*

Plus favit Principibus Lovan. Doctor Joannes Molanus Theol. pract. tract. 2. cap. 36. concl. 3. his verbis: *Omnis exactio, quæ non eſt manifeſtè iniqua, omnino eſt à ſubditis ſolvenda.*

390. Sed nos etiam vidimus num. 61. reprehenſum à Sinnichio Tamburinum, quod docuerit, in dubio, vel probabilitate de injuſtitiâ Gabellæ, non obligari ſubditos.

Hæc & ſuperior accuſatio poterat aptè cadere in Lovan. Doctorem Joannem Malderum tract. 5. de Juſtit. cap. 6. dub. 4. concl. 6. paucis verbis, & nitidè ſic definientem: *Si utrimque probabile ſit, tributi cauſam eſſe juſtam, & non eſſe juſtam, exigit Princeps juſtè, & negat populus juſtè; quaſi bello utrimque juſto ex ignorantiâ.* Licebat ergo etiam hîc Sinnichio omiſſis extraneis dare operam reformandis Collegis.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Simonia.

Laxius ſenſit Lovanienſis Schola in ipsâ cenſurâ Articuli Tannero, & Valentiæ tributi, quam Tannerus, & Valentia.

391. VIdimus num. 251. per ſummam injuriam adſcriptum Valentiæ hunc Articulum : *Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale : vel etiam quando per temporale fit ſolum compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contra : id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale : imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.* Oſtendi Valentiam docuiſſe directè contradicentia Articulo, quo ad eam partem, quæ præcipuè eſt obnoxia invidiæ. Oſtendi quoque n. 253. ne Tannero quidem Articulum rectè eſſe adſcriptum à Sinnichio.

Aio poſt hæc, multo potiori jure, quam Valentiam, aut Tannerum, Auctores Articuli illius dici potuiſſe Doctores Facultatis Theologicæ Lovanienſis qui judicium tulerunt de Articulis viginti ſex propoſitis ad cenſuram à Gandavenſi Epiſcopo anno 1657.

392. Affirmationem meam probo ex ipsâ cenſurâ, quam de Articulo memorato, qui eſt decimus quintus inter illos viginti ſex, tulerunt Doctores Facultatis. Cenſura ſic habet.

Variæ iſtæ formalitates UT PLURIMUM *pallia ſunt latentis ſimoniæ : & quamvis* FIERI SUBINDE POSSIT, *ut nulla propriè dicta ſimoniæ labes ſubſit, plerumque tamen ſubſunt ſordes ſimoniæ affines.*

Ecce judicio Facultatis Theologicæ Lovanienſis *Iſtæ formalitates* UT PLURIMUM *pallia ſunt latentis ſimoniæ.* Ergo, judicio ejuſdem, aliquando non ſunt pallia latentis ſimoniæ : Ergo judicio ejuſdem aliquando *dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale datur tamquam motivum &c.* Conſideremus reliqua.

Et quamvis FIERI SUBINDE POSSIT, *ut nulla propriè dicta Simoniæ labes ſubſit.* Intelligenda ſunt hæc de univerſo caſu, contento in Articulo : cur enim de hoc dubitabimus ? Ergo judicio facultatis fieri poteſt, ut non ſit vera ſimonia, *dare temporale pro ſpirituali, quando temporale datur tamquam motivum &c. Idque etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale : imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.*

In

In hoc verò laxius cenſet, potiuſque eſt rea Articuli Facultas, quam Valentia, qui ut vidimus num. 252. diſertis, & amplis verbis affirmat OMNINO *committi ſimoniam* in poſtremo caſu. Quod verò Facultas reſtrinxit ad ſimoniam *propriè dictam*, reſtrinxit quoque apertiſſimè Tannerus, ut vidimus num. 253. videamus poſtremam partem cenſuræ.

PLERUMQUE *tamen ſubſunt ſordes ſimoniæ affines.* Ergo judicio Facultatis aliquando ne quidem ſubſunt ſordes ſimoniæ affines. Huc uſque Tannerus non eſt progreſſus, ut manifeſtum eſt ex dictis num. 253. Patet ergo, quod ajebam, multò potiori jure Auctores Articuli dici potuiſſe à Sinnichio Doctores Facultatis Theologicæ Lovanienſis, quam Valentiam, aut Tannerum.

393. Poſt hæc Lector conſideret, quæ de Auctoribus Articuli pronuntiat Sinnichius Saulis Exreg. cap. 107. pag. 436. col. 2. in Vind. cap. 20. pag. 260. *De audentiorum*, inquit, *ſcriptorum numero haud dubiè fuerunt, qui Articulum mox relatum procuderunt: quo utique ſemel admiſſo conceptus ſimoniæ uſque adeò à rebus humanis exulabit, & in mundum Platonicum demigrabit, ut ſi Simon Magus, Giezi, & Balaam à mortuis jam reſurgant, haud magno labore ſe ipſos expurgent.* Simoni Mago, Giezi, & Balaamo patrocinatos cenſet Valentiam & Tannerum: de hoc viderit Facultas Theologica Lovanienſis.

Quoniam verò cenſet loco citato, nullâ reſtrictione Simoniam eſſe, ſi res temporalis detur ut motivum, quo inclinetur alter ad dandum ſpirituale; quoniam etiam, ut vidimus num. 320. cenſet, *enormius delinquere pravitatis Doctores, quam executores*; quoniam denique Doctores Facultatis Theologicæ judicarunt aliquando ſine ſimoniâ dari temporale pro ſpirituali tamquam motivum, conſequens fit, ut Collegas ſuos pejores Simoniacis habere debuerit Doctor Sinnichius.

394. Idem urgebo de Godſcalco Roſemondo, qui in Confeſſionali cap. 19. propoſ. 21. pag. 358. dicit *Servientem Epiſcopo principaliter intentione obtinendi beneficium, nullo tamen pacto interveniente, quamvis graviter peccet, non tamen incurrere talem ſimoniam, quæ obligat ad reſtitutionem, & reſignationem beneficii.*

Conſequens fit etiam, ut judicio Sinnichii pejor Simoniaco fuerit Joannes Beets Lovan. Doctor perantiquus, qui in 2. 2. Expoſitione 7. Præcepti Decal. cap. 9. litr. H. ſic docet: *Ex his eliciuntur multi caſus, in quibus licitè aliquid dari poteſt pro ſpiritualibus. Primus eſt, quando aliquid gratis datur, vel recipitur, & non ex corruptâ intentione emendi, vel vendendi rem ſpiritualem, tunc enim non eſt ſimonia.* Hanc formalitatem intentionis explodit Sinnichius cap. citato.

395. Conſequens fit ſimiliter, ut judicio Sinnichii pejor Simoniaco

 fuerit

fuerit Malderus Epiſcopus, Lovan. Doctor cum 2.2. tract.9. cap.3. dub.1. ſic docuit: *Simoniacus non erit Clericus, etiamſi* PRINCIPALITER PROPTER DISTRIBUTIONES *veniat, multò minus, ſi ſolum non erat venturus, niſi diſtributiones fuiſſet accepturus; modò non veniat, ut eas accipiat, tamquam pretium ſui officii; ſed ſolum in ſuſtentationem.* Nihil intereſſe contendit Doctor Sinnichius cap. citato pretiine, an meri motivi rationem res habeat, quive ſit intentionis modus, quo illa datur, aut accipitur.

Plus etiam Malderus inſinuat ibidem dub.6. ad 8. *Forte etiam*, inquit, *ex parte operis diſtinctio adhibenda erit: dicunt enim quidam, ire ad Eccleſiam, & perſonaliter ibi perſiſtere, eſſe pretio æſtimabile, non autem divinum officium exequi.*

Notanda etiam, quæ habet Malderus ibidem dub.3. *Donationes gratuitæ quædam ſunt licitæ, etiamſi ſint rei temporalis, acceptæ intuitu rei ſpiritualis; qualis eſt jure antiquo donatio gratuita conſequens poſt plenam rei ſpiritualis adeptionem omnino ſponte ſine præviâ ullâ petitione facta.*

Eſtne credibile placuiſſe Sinnichio doctrinam Malderi loco cit. quæ eſt Wiggeri 2.2. tract.7. cap.4. dub.7. num.36. & aliorum non paucorum docentium, licere etiam privatas pactiones de miniſterio Eccleſiaſtico, & ſuſtentatione Miniſtri, ſeu pauper ille fuerit, ſeu dives?

396. Non eſt credibile placuiſſe eidem Aſſertionem Wiggeri loco citato num.40. his conceptam verbis: *Licitum quoque eſt aliquid accipere pro ratione obligationis, quâ Miniſter aliquando ſe adſtringit ad miniſtrandum certo loco, & tempore.* Obligationem illam eſſe pretio æſtimabilem probat à ſimili: *Quemadmodum obligatio ad dandum mutuò, quotieſcumque alter exiget, eſt pretio æſtimabilis, etſi datio mutui pretio æſtimari non debeat.* Cenſorem non ago, ſed injuſtas Sinnichii cenſuras repello: ſi tamen licet interponere quidpiam mei judicii, ajo nihilo magis licere accipere quidpiam pro obligatione mutuandi ad certum tempus ſuſceptâ, quam pro obligatione non repetendi ſortem ad certum tempus. Detur ratio diſparitatis. Pro poſteriori obligatione qui dixerit licere accipere, is impinget in Articulum 42. ab Alexandro VII. damnatum. Memini etiam dictum à ſapientibus, in multis ſymbolizare uſuram, & ſimoniam. Puto etiam ſymbolizare in eo puncto *obligationis*, de quâ Wiggerus; niſi fortè reſpiciat non tam ad *obligationem*, quàm ad incommoda externa pretio digna redimi, quæ pariat obligatio; quod æquè locum habet in mutuo, ſeu obligatio ſuſcepta eſt mutuandi, ſeu non repetendi ſortem.

Citat pro ſe Wiggerus Malderum. Utrique præiverat Joannes Molanus Lovanienſis & ipſe Doctor Theol. pract. cap.42. num.18. *Licet*, inquit, *accipere pro obligatione adminiſtrandi: non enim hic venditur res ſpiritualis; ſed libertas*: POTEST ETIAM *Miniſter titulo ſuſtentationis aliquid accipere.* An ſtipen-

Digitized by Google

ſtipendium hoc permittat accipi diſtinctum ab illo pretio obligationis, haud ſatis mihi liquet, inſinuant tamen illæ voces, *poteſt etiam*.

Docuere, inquies, alii eadem. Nihil hoc ad me, uti neque an ſint cenſurâ digna. Hoc mihi conſtat, ſaltem fuiſſe idonea cavillationibus Sinnichii: conſtat enim in multo planioribus cavillatum eſſe: hoc verò ago, ut inquiram nihilne docuerint Lovanienſes Doctores, quod diſplicere potuerit iſti Cenſori.

CAPVT XV.

De Gulâ, & Luxuriâ.

Nihilo reſtrictiores Doctores Lovanienſes, quam illi, quos reprehendit Sinnichius.

397. VIdimus num. 257. & num. 261. graviter turbatum Sinnichium, quod affirmaſſet Eſcobarius, *Gulam ex genere ſuo* (alibi ſeſe explicat per vocem *regulariter*) *veniale peccatum eſſe, etiamſi abſque utilitate ſe quis cibo, & potu uſque ad vomitum ingurgitet, niſi gravia ſaluti incommoda oriantur*. Hæc Eſcobarius docuit de gulâ, ut ſejunctâ ab ebrietate: atque de illâ ipsâ ſic ſejunctâ ſex caſus agnoſcit, in quibus ſit peccatum mortale, ut patuit num.259. & num.262. Sinnichius verò hoc valde miratur, quod gulam Eſcobarius dixerit poſſe eſſe peccatum veniale, etiamſi uſque ad vomitum proceſſerit. Imò de Eſcobario ſic loquitur, quaſi dixerit univerſaliter, gulam uſque ad vomitum progreſſam peccatum veniale eſſe, in quo imponit Lectori, vide dicta n.261.

Univerſam illam Tragœdiam poterat excitare contra Lovanienſem Doctorem Joannem Wiggerum, quem ego comperio prorſus eadem docuiſſe in hâc materiâ, quæ Eſcobarium.

Joannes Wiggerus tract. de Temperantiâ cap. 2. dub. 2. num. 8. ſic docuit: *Dico ſecundò. Gula in ſe conſiderata, ut eſt inordinata appetitio, & ſumptio cibi, vel potus,* EST DUMTAXAT PECCATUM VENIALE. *ita tenet D. Thomas quæſt. cit. art. 2. & tenent communiter Doctores.* Nihil pejus docuit Eſcobarius, cum docuit *Gulam ex genere ſuo & regulariter eſſe peccatum veniale.*

Joannes Wiggerus ibidem num. 9. ſic proſequitur: *Dico ſecundò gula tamen eſt peccatum mortale, ſi quis in ejuſmodi delectatione finem conſtituat ultimum.* Aſſignat deinde varios modos, quibus hoc poteſt fieri. Aſſertionem eamdem cum omnibus ſuis modis, & quidem auctioribus, & pluribus, tradidit Eſcobarius, ut patebit ex iis, quæ retuli n.262. ſi conferantur cum iis, quæ habet Wiggerus.

398. Quare

Digitized by Google

398. Quare Eſcobarius agnoſcit, gulam eſſe peccatum mortale in omnibus caſibus, in quibus id agnoſcit Wiggerus. Puerile eſt igitur, eâ causâ præcipuè invehi in Eſcobarium, quod dixerit, gulam extra caſus illos eſſe *ex genere ſuo, & regulariter* peccatum veniale, etiamſi uſque ad vomitum proceſſerit; præcipuè cum per ſe pateat, non valere univerſalem Regulam, quâ quis ſtatuat, gulam eſſe peccatum mortale, ſi uſque ad vomitum proceſſerit: levis exceſſus ſufficit infirmis ſtomachis multorum hominum, ut illum effectum creet.

Aliam proinde regulam ſtatuit Godſcalcus Roſemondus Lovan. Doctor in Confeſſionali de gulâ cap. 4. pag. 39. ubi primum affirmat, *difficile eſſe ſemper cognoſcere, quando in exceſſu cibi, & potus conſiſtat mortale, vel veniale peccatum.* Tum verò hanc regulam præſcribit: „Si quis ita inordinatè appetit, & quærit delectationem in cibo, & potu, ut ibi conſtituat finem, & ventrem ſuum Deum faciat, ita quod avertatur ab ultimo fine, & adeò deditus eſt comeſſationibus, quod paratus eſt infringere jejunia Eccleſiæ, vel facere contra aliquod aliud præceptum Dei, vel Eccleſiæ, ut aſſequatur hujuſmodi delectationes, tunc peccat mortaliter. Si verò inordinatè appetit, quærit & ſumit, vel habet delectationem cibi, aut potus; non tamen quod propter hoc paratus ſit facere contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ, tunc erit veniale. Poſteà ad ebrietatem, quæ ſit peccatum mortale, requirit *privationem uſus rationis totaliter*: vel ſi ad æquales hauſtus bibatur, *notabile gravamen ſui, & aliorum, incurſum infirmitatum variarum, omnium virium læſionem &c.* Conferantur hæc ad doctrinam Eſcobarii.

399. Vidimus num. 265. peſſimè tractatum à Sinnichio Tamburinum, quod finem ſufficientem, ad excludendum peccatum veniale à copulâ conjugali, aſſignaverit *Carnis concupiſcentiam ſedandam*; per quod illum intellexiſſe *periculum incontinentiæ vitandum*, ibidem demonſtratum eſt.

Contra Sinnichius Saulis Exreg. cap. 111. in Vind. cap. 24. peccati damnat omnem uſum matrimonii alio fine etiam partiali ſuſceptum, quam procreandi prolem: huc ſpectare ait verba Auguſtini aſſerentis, *complexum carnalem propter ſolos gignendos filios eſſe adhibendum.* Quam verè, falsòve illa definiat, nihil ad hunc locum. Videamus quam immeritò Tamburinum potiſſimum reprehenderit, cum haberet Collegas, qui diſplicere poſſent.

Joannes Driedo Lovan. Doctor lib. 1. de gratiâ, & libero arbit. cap. 3. part. 1. Memb. 2. pag. 125. col. 2. ſic docuit: *Dicente Angelo ad Tobiam, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut ſuæ libidini vacent, habet poteſtatem ſuper eos Dæmonium. Dum autem eâdem libidine ſtimulante uti voluerint causâ vel propaginis,* VEL VITANDÆ FORNICATIONIS, *malo bene utuntur, quia opus licitum, quod non fit ſine voluptate, non faciunt propter voluptatem.* Plus nihil Tamburinus docuit,

Digitized by Google

cuit, ut conſtat ex dictis à n.265. cui & Driedo conſentit in eo, quod doceat, non continuò fieri *propter voluptatem*, quod fit *ad vitandum periculum incontinentiæ.*

Joannes Wiggerus quæſt.41. in Supplem. cap. 1. dub. 6. inter cauſas cohoneſtantes ſuſceptionem matrimonii, *Tertia*, inquit, *cauſa, quæ poſt primi parentis lapſum ad alias acceſſit, eſt, ut, qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur*: Cauſam hanc Sinnichius peccati damnat expreſſe citato cap. in fine.

400. Libertus Fromondus Lovan. Doctor in 1. Cor.7. v.6. *Durum*, ait, *videtur, quod ſteriles, aut provectæ ætatis numquam ſine peccato veniali poſſint petere debitum, ſed ſi & Auguſtinus attentè legatur, fortè non docet contrarium: quia ubicumque docet, tantum licitum eſſe petere ex intentione prolis generandæ, ſupponit peti causâ ſaturandæ libidinis, quod omnes docent eſſe veniale, nec videtur reflexiſſe ad illum caſum, quo quis petit ad vitandam propriam fornicationem, quando alio modo difficulter eam vincere poteſt.* Ne Tamburinus quidem docuit licere petere, *ad ſaturandam libidinem* ut malè interpretatur Sinnichius; docuit licere, *ad ſedandam concupiſcentiam*; per quod intellexit *vitandum periculum incontinentiæ*, ut oſtendi: negavit diſertè licere petere ob meram delectationem.

Joannes Beets Lovan. Doctor in Decal.præc.6.Expoſ.2.cap.1.ad quæſtionem, quo tempore liceat uti matrimonio, *De tempore*, inquit, *impragnationis dicit Petrus, quod aut ſine periculo abortus poteſt debitum à gravidâ exigi, vel reddi, aut non. Si poteſt, debet reddi, & ſine peccato mortali poteſt exigi: quia uſus matrimonii* LICITUS *non tantum eſt in officium*, SED ETIAM IN REMEDIUM.

His conſentaneam Theſim probavit Lovan. Doctor die 4. Maii 1569. ubi à peccato excuſatur is, *qui vitandæ fornicationis causâ, ad quam alias incitaretur, libidine non ſedatâ, conjugem cognoſcit.*

401. Tædet plura inveſtigare hujus generis: hæc erant ad manum. Debebat Sinnichius ſaltem in gratiam Collegarum coercere calamum, ne in Tamburinum exararet hæc, quæ vix poſſunt referri ſine pudore: *Cæterum ne videretur Tamburinus nimius libidinis patronus, renuit ſubſcribere Ioanni Sancio &c.* Hæc in Religioſum virum dici à Doctore Theologo, certè non conveniebat.

402. Vidimus num.269. reprehenſum à Sinnichio Tamburinum, quod docuerit non eſſe ſaltem peccatum mortale, eas actione ponere, quæ *apparent neceſſariæ, utiles, convenientes &c.* licet intelligatur earum occaſione ſecutura pollutio.

Poterat Cenſor legiſſe Adrianum Lovanienſem Doctorem id affirmantem in particulari caſu, etiam de eâ actione, quæ ex ſe eſt illicita, de quâ

præcipua eſt difficultas. Adrianus in 4. de Sacram. Euchariſtiæ pag. 30. col. 2. ſic docuit: „ Nemini licet dare operam ſtudiosè per nimium eſum, „ vel potum, ut in ſomno polluatur; etiamſi hoc ſolum intendat, & velit „ propter alleviationem naturæ, vel ſanitatem: imò eſt peccare contra na- „ turam, & mortale: quamquam EXCEDENDO IN POTU, ex quo expertus eſt „ ſequi pollutionem, & dubitat, quod fortè adhuc &c. propter hoc non „ debeat judicari mortalis peccati reus, aut contra naturam delinquere.

403. Sed jam horum ſatis eſt, ut cordatus Lector intelligat, non defuiſſe Doctori Sinnichio domeſticos Theologos, quorum doctrinam vel jure, vel injuriâ; ſaltem non minori jure cenſuraret, & exploderet, quam Doctrinam Theologorum externorum: non fuiſſe etiam neceſſarium, ut externis Theologis affingeret multiplices opiniones, quas rebatur Cenſuris ſuis opportunas.

Magis etiam hæc apparerent, ſi mihi luberet paulò majori otio hîc verſari: multò etiam magis, ſi luberet evagari extra eas materias, quas Cenſor ipſe mihi obtulit Jeſuitas inſectatus: intra has malui jam quidem me continere: fortaſſe erit aliàs, qui mihi afferat libentiam exſpatiandi. Nolim tamen mihi præberi occaſionem perſequendi laxitates in materiis Fidei: tangendæ eſſent Hiſtoriæ nimis ſcandaloſæ.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Curioſa narratio de origine, & fortunâ Articulorum reprobatorum à Theologicâ Facultate Lovanienſi, quos toties oſtentat Sinnichius.

404. TAntus contemptor Theologorum tam multorum, & tam gravium Navarri, Cajetani, Sylveſtri, Angeli, Soti, Salonii, Joannis Henriquez, Medinæ, Ledeſmæ, Bañez, Suarez, Valentiæ, Vaſquez, Molinæ (innumeros prætereo) atque etiam Doctorum Lovanienſium, quorum multiplicem doctrinam tam fœdè proſtituit Sinnichius mirum quantum tribuat ſibi, & ſuis Collegis Doctoribus in eo actu, quo Articulos quoſdam morales Lovanii reprobarunt. Illas cenſuras non plurium, quam octo hominum, ſi tamen octo fuerunt, oſtentat, tamquam ſi eſſent ſententiæ definitivæ, & infallibiles. Non rarò vix alio cenſet argumento opus eſſe ad refutandam doctrinam, quàm judicio illo Scholæ Theologicæ Lovanienſis. Lubet id, quod eſt hiſtoricum de illorum Articulorum reprobatione, paucis perſtringere; idque in gratiam illorum Theologorum, ad quorum invidiam Articuli ſunt reprobati.

CAPUT I.

De Primâ origine Cenſuræ Lovanienſis contra Articulos ſeptemdecim petendâ ex libello famoſo Impoſtoris Anonymi &c.

405. ARticuli cenſurati à Facultate Theologicâ Lovanienſi, quorum frequentem mentionem facit Sinnichius in ſuo Saule, alii ſunt numero ſeptemdecim, cenſurati 30. Martii & 26. Aprilis 1653. ad inſtantiam Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis Jacobi Boonen. Alii ſunt numero viginti ſex cenſurati 4. Maii 1657. ad inſtantiam, ut prætenditur, Illuſtriſſimi Epiſcopi Gandenſis Antonii Trieſt. Tam hi, quam illi Articuli, atque eorumdem Cenſuræ vulgò notæ ſunt: circumferuntur in Tractatu Illuſtriſſimi Fagnani de opinione probabili Bruxellis ſeorſum recuſi Anni 1667. qui paſſim verſatur in manibus.

Digitized by Google

Non perinde nota eſt omnibus prima origo, progreſſus, & varia fortuna iſtorum Articulorum cum ſuis Cenſuris, præcipue ſi loquamur de prioribus illis ſeptemdecim, cenſuratis Anno 1653. Iſti Articuli non ſemper fuerunt ſeptemdecim: fuerunt quondam triginta octo; imo quadraginta tres. Res tota eſt ſatis curioſa, & pluribus capitibus explicanda. Hoc Primo Capite proponam ob oculos primam Originem Cenſuræ contra illos Articulos ſeptemdecim.

406. Concinnandis, & reprobandis Articulis illis ſeptemdecim viam demonſtravit quidam Scriptor Anonymus in famoſo libello Gallico pauciſſimarum paginarum, cui poſuit Titulum *La Theologie Morale des Ieſuites.*

Verſari cœpit in manibus hic libellus Anno 1644. Vel paulo ante, ut conſtat ex decreto, quo fœtum tenebricoſum ad ſuas tenebras relegavit, diriſque omnibus devovit Senatus Burdigalenſis die 2. Sept 1644. Prodiit verò ſine nomine Auctoris, Typographi, loci, temporiſve quo eſt impreſſus: nec mirum; quippe, ut habet idem Decretum, *Scatens impoſturis, calumniis, fraudibus, impietatibus, plenus injuriis maximè atrocibus &c.* Impoſturarum farraginem facile ſit exhibere: ſed non perdamus tempus. Res acta eſt pridem à Nicolao Cauſſino, aliiſque. Infamis, damnatus, laceratuſque libellus paucis poſt annis invênit quoſdam in Belgio qui ſuſciperent colligendas ejus reliquias.

407. Anno ſcilicet 1648. ex iis propoſitionibus, quas ut Jeſuiticas traduxerat Impoſtor Anonymus, adjunctis aliis quibuſdam ex alio quodam ſcripto Auctoris itidem Anonymi, conflatæ ſunt in Belgio Propoſitiones triginta quatuor, & ſuis ſingulæ cenſuris notatæ Lovanii. Atque ut res haberet majorem ſpeciem, Epiſcopalis Auctoritas cenſuris quæſita fuit. Conſentientem habuerunt ſibi Cenſores Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Mechlinienſem Jacobum Boonen. Inde ſolicitatus fuit Reverendiſſimus Epiſcopus Antverpienſis Gaſpar Nemius S. Theologiæ Doctor Duacenus, & quondam Profeſſor. Rogatus is fuit, ut de propoſitionibus, earumque Cenſuris ſuum judicium proferret. Sed ille, etſi neſciret has eſſe reliquias infamis iſtius libelli, de quo modò, improbavit tamen inutilem, imò noxium conatum: quod, etſi quædam illarum opinionum abſurdæ eſſent, inter has tamen ipſas quædam magnos haberent Auctores, quædam malè referrentur, & falsò tribuerentur Jeſuitis: denique quod evulgandis illis plus metuendum eſſet detrimenti, quam fructus ſperandum. Ibi ergo tunc quidem hæſit conatus ille.

408. Quod affirmavi, Anno 1648. cenſuratas fuiſſe propoſitiones triginta quatuor, hoc mihi conſtat ex copiâ ipsâ Propoſitionum, & Cenſurarum, quam, ut infrà exponam, Illuſtr. Archiepiſcopus communicavit PP. Jeſuitis: in quâ poſt cenſuram Propoſitionis, ſeu Articuli 34 ſic legitur:

legitur : *Infrà habebatur. Præfatas aſſertiones Facultas S. Theologiæ Academiæ Lovanienſis ſolemniter congregata cenſuravit, cenſurâ ſingulis ſubjunctâ die quarto Iunii Anno Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo. Quod atteſtor, & ſignatum erat* JACOBUS PONTANUS S.T. *Doctor, & pro tempore Decanus.*

409. Quod affirmavi Propoſitiones illas, ſeu Articulos fuiſſe reliquias libelli famoſi Auctoris Anonymi, de quo ſuprà, ſimulque deſumptos eſſe ex alio quodam Scripto Auctoris itidem Anonymi, hoc mihi conſtat quoad primam partem ex propriâ inveſtigatione. Contuli enim diligenter Articulos illos cum iis, quos habet iſte famoſus libellus : comperi vero permultos prope ad verbum congruere cum illis: de quo ne Lectori ſuperſit ſcrupulus, infrà exhibebo varia ſpecimina.

410. Adjunxerunt tamen plures Articulos excerptos ex aliâ quâdam chartâ, quæ varios habebat caſus Typis impreſſos ſine titulo, ſine Auctoris nomine, aut Typographi. De hoc mihi conſtat partim ex collatione Articulorum cum illis caſibus (congruunt enim ad verbum) partim ex confeſſione ipſorum Cenſorum, qui, ut legitur in copiâ Articulorum, & Cenſurarum, communicatâ Jeſuitis ab Archiepiſcopo, ad Articulum 12. ſic annotarunt ; *Eſt primus caſus inter eos, quos Patres Societatis curarunt imprimi Lovanii Anno* 1624. Ad Articulum 13. ſic : *Eſt Tertius inter eoſdem.* Ad Articulum 14. *Eſt ſextus inter eoſdem.* Ad Articulum 27. *Eſt caſus* 19. *inter impreſſos per Patres Societatis.* Similiter annotatur ad alios Articulos, deſumptos ex illa chartâ.

Unde ſciverint Cenſores, illos Caſus eſſe editos Anno 1624. ego neſcio: in meo exemplari caſuum illorum non exprimitur annus; uti neque locus impreſſionis: ſed tamen de hoc non valde laboro.

Multo minus ſcio, unde didicerint, Patres Societatis curaſſe imprimi illos caſus. Scio ipſos, cum accepiſſent ab Illuſtr. Archiepiſcopo Exemplar Articulorum, & Cenſurarum, ſcripſiſſe ad eumdem de marginalibus illis notis in hæc verba : *Propoſitiones à duodecimâ &c. dicuntur in marginali notâ curata eſſe imprimi Lovanii per Patres Societatis.*

Hæc gravis calumnia eſt, quam aliter non attinet diluere, quam præciſe negando, verum eſſe, quod falsò impingitur. Quare incumbit probare iis, qui hoc aſſerunt, ita ſe rem habere, aut evadere non poſſunt, quin calumniæ reos ſe fateantur. Atque hæc reſponſio tunc ſuffecit. Factum verò eſt poſtea, quando nimia farrago Articulorum prius cenſuratorum contracta eſt ad Articulos ſeptemdecim (de quo agetur infrà) ut omnes Articuli, qui erant deſumpti ex illis Caſibus impreſſis, omiſſi, & licentiati fuerint, excepto uno, qui eſt nonus inter ſeptemdecim, & invenitur quoque in libello famoſo, *La Theologie Morale*, ſect. 3 num. 8. p. 13. Nullus alius Articulus, niſi me fallit mea collatio, admiſſus eſt ſimpliciter ad numerum ſeptemdecim, niſi fortè

 unus,

unus,alterve valde notabiliter mutati: Fere omnes ſeptemdecim obtulerat libellus famoſus impoſtoris Galli, de quo in principio hujus Capitis.

411. Quod denique affirmavi de ſolicitato Reverendiſſimo Epiſcopo Antverpienſi Gaſpare Nemio ad proferendum judicium de Articulis, & Cenſuris Articulorum &c. nititur eâ fide, quâ ſuper Cenſuris Articulorum ſcripta eſt epiſtola ad S. Congregationem ab iis, quorum honor agebatur: affirmantur enim in illâ epiſtolâ ea, quæ narravi de Epiſcopo Antverpienſi. Ego autem ſuppono illos rem tunc recentem diligenter examinaſſe; præcipuè cum potuiſſent convinci de errore.

CAPVT II.

De Articulis triginta octo cenſuratis à Facultate Theologicâ Lovanienſi, eorumque exemplari miſſo ad S. Congregationem, ſimulque altero exemplari communicato Ieſuitis, & utriuſque differentiâ.

412. ANno 1648. die 4. Junii cenſurati ſunt à Facultate Theol. Lovanienſi Articuli morales 34. ut vidimus Capite ſuperiori.

Conſtat illis Articulis, & Cenſuris acceſſiſſe Cenſuras duorum Articulorum Anno 1649. die 8. Octob. rurſumque Cenſuras duorum aliorum Articulorum Anno 1652. die 20. Martii: ita ut hactenus Articuli cenſurati ab illâ Facultate ſint omnino triginta octo. Hæc mihi conſtant ex copiâ Articulorum, & cenſurarum communicatâ Jeſuitis ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Mechlinienſi, ut mox exponam.

Poſtquam Anno 1648. fruſtra ſolicitatus eſſet Antverpienſis Epiſcopus, ut judicium ſuum promeret de Articulis 34. & Cenſuris Articulorum, ut expoſui præcedenti Capite, nullum magnopere effectum habuerunt illæ Cenſuræ, quod aſſequi potuerim, fuitque de illis ſilentium Annis aliquot; ſaltem ſtrepitus magnus non fuit.

413. Tandem verò Anno 1652. cum jam acceſſiſſent Cenſuræ quatuor Articulorum, eſſentque omnes Articuli cenſurati 38. ſecutus eſt ſtrepitus & in Belgio, & Romæ. Illo ſcilicet Anno perſuaſum eſt Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Mechlinienſi, ut Jeſuitas, ab iis, quos adhibuerat Examinatores, judicatos idoneos ad audiendas Confeſſiones, cogeret jurare, ſe iis triginta octo Articulis in praxi non uſuros, & alioqui ſine Approbatione Epiſcopali dimitteret. Hâc ergò occaſione Jeſuitis communicata eſt copia illorum Articulorum cum ſuis Cenſuris. Illi verò intelligentes,

ligentes, Articulos nihil ad ſe præcipue pertinere, cum ſcirent, illis non contineri ſuam doctrinam, meritò recuſarunt juramentum illud præſtare, ne, cum ab ipſis potiſſimum illud peteretur, fateri viderentur, ſe eſſe reos illorum Articulorum. Tum verò & Illuſtriſſimum Archiepiſcopum, & S. Congregationem debitè informantes effecerunt, ut res tota bonum haberet exitum; quæ hiſtoria longior eſt, neque ad rem noſtram multum facit.

414. Conſtat etiam Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Articulos eoſdem cum ſuis Cenſuris Romam miſiſſe ad S. Congregationem, ut ipſa quoque, ſi ita videretur, judicio ſuo eos reprobaret: Exemplaris Romam miſſi remiſſa eſt copia gemina in Belgium: altera ad Illuſtriſſimum Internuntium Apoſtolicum, altera ad Jeſuitas, quos ſatis conſtabat vocari in invidiam. Utramque illam copiam nihil invicem diſcrepantem ad manus noſtras venire contigit: venit quoque ad manus noſtras exemplar Articulorum cum ſuis Cenſuris, quod Jeſuitis communicatum dixi ab Illuſtriſſim. Archiepiſcopo.

Hìc me ſubiit curioſitas, ut inquirerem, nihilne fuiſſet diverſitatis in exemplari Articulorum cenſuratorum Romam miſſo, & exemplari alio, quod ab Archiepiſcopo Jeſuitæ acceperant. Ego invenio differentiam variam: non quidem in Articulis, & Cenſuris; ſed in titulo, ſubſcriptione, & Annotationibus marginalibus. Volo illam differentiam explicare Lectori, & conſiderandum proponere, quænam ejus cauſa videatur fuiſſe.

415. Prima differentia eſt in titulo. Exemplar datum Jeſuitis habebat hunc titulum: *Aſſertiones propoſitæ Facultati S. Theologiæ Academiæ Lovanienſis, & ab eâdem cenſuratæ, cenſurâ ſingulis ſubjunctâ.*

Exemplar miſſum Romam, hunc titulum habebat: *Aſſertiones propoſitæ Eruditis aliquot viris Diœceſis Mechlinienſis, & ab iiſdem cenſuratæ cenſurâ ſingulis ſubjunctâ.*

Conſidera, Lector, quare in exemplari oblato Sacræ Congregationi non exprimatur mentio *Facultatis ſacræ Theologiæ*, ſed tantum *Eruditorum aliquot virorum*? Quare etiam illi Eruditi viri non dicantur eſſe *Academiæ Lovanienſis*; ſed tantum *Diœceſis Mechlinienſis*? Certè majoris ponderis apud S. Congregationem videbuntur futuræ fuiſſe Cenſuræ *Facultatis S. Theologiæ Academiæ Lovanienſis* quam *Eruditorum aliquot virorum Diœceſis Mechlinienſis*. Si cauſa diverſitatis non occurrit, recordare, quæ hiſtoriæ, & diſputationes proximè præceſſerint illud tempus, quo Romam miſſi ſunt illi Articuli, & Cenſuræ; & fortaſſe aliquid lucis ſuborietur.

416. Secunda differentia eſt in ſubſcriptione. In exemplari dato Jeſuitis, poſt Articulum trigeſimum quartum ſic lego: *Infra habebatur: Præfatas aſſertiones Facultas S. Theologiæ Academiæ Lovanienſis ſolemniter congregata*

gata cenſurârit, cenſurâ ſingulis ſubjunctâ die 4. *Iunii* 1648. *quod atteſtor. Et ſignatum erat*, JACOBUS PONTANUS *S. Theologiæ Doctor ejuſdemque Facultatis pro tempore Decanus.* Poſt Articulum 38. ſeu poſtremum ſic lego: *Inferius habebatur. Ita facultatem Theologicam Lovanienſem cenſuiſſe ſuper quatuor ſuprà expreſſis Aſſertionibus atteſtor. Et ſignatum erat*, JACOBUS PONTANUS *S. Theologiæ Doctor ejuſdem Facultatis pro tempore Decanus.*

In exemplari miſſo Romam non invenio hujuſmodi ſubſcriptiones. Quare ſunt omiſſæ? Conſideret Lector, ut ſuprà.

417. Conſideret præterea, Facultatem Theologicam Lovanienſem fuiſſe reprehenſam juſſu Sixti V. quod cenſuraſſet quaſdam opiniones de gratiâ: & mandato Apoſtolico per Illuſtr. Dominum Octavium Epiſcopum Calatinum Nuntium Apoſtolicum) caſſatas Cenſuras 10. Julii 1588. Conſideret etiam Dominum Jacobum Pontanum juſſu Innocentii X. per Apoſtolicum Internuntium Antonium Bichium Abbatem S. Anaſtaſiæ die 10. Junii 1647. ſuſpenſum fuiſſe ab officio Apoſtolici librorum Cenſoris, propterea quod in qualitate Cenſoris Apoſtolici approbaſſet libellum, in quo continebantur Articuli damnati à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII.

418. Tertia differentia eſt in Annotationibus marginalibus. In Exemplari dato Jeſuitis ad marginem citatur Auctor variorum Articulorum Stephanus Baunius. In Exemplari Romam miſſo non invenio iſtas citationes.

Meritò fuerunt omiſſæ; quia deprehendiſſet S. Congregatio, injuriam eſſe factam Baunio: quod ipſum luculentè oſtenſum eſt pridem à Cauſſino, aliiſque, in iis lucubrationibus, quibus refutarunt libellum famoſum calumniatoris Galli, de quo jam ſæpe eſt mentio; cujus ſcilicet fidem ſecuti videntur Auctores illarum citationum marginalium: unde factum eſſe potuit, ut non fuerint ſoliciti de annotando loco libri, ex quo ſumpti eſſent Articuli: ſatis habuerunt ſic annotaſſe; *Ex Theologia Morali Patris Baunii Ieſuitæ.*

419. Rurſus in Exemplari dato Jeſuitis Articulis permultis adjungitur ad marginem hæc, aut ſimilis annotatio: *Eſt caſus inter impreſſos per Patres Societatis.* In Exemplari Romam miſſo non inveniuntur illæ annotationes. Deſpiciat Lector an poſſit cauſam eruere ex iis quæ narravi n. 410.

420. Denique in Exemplari dato Jeſuitis Auctor Articuli ſexti annotatur Caramuel, Auctor Articuli trigeſimi Septimi & octavi Amicus. Neutra harum duarum citationum invenitur in Exemplari miſſo Romam. Mirum eſt non inveniri: quia in Exemplari dato Jeſuitis illæ duæ citationes extant valde accuratæ, & diſtinctæ, annotatis Tomo, libro, Diſputatione, ſectione, numero, paginâ. Nuſquam alibi diſtinctè citatur locus, ſolum nomi-

nominatur alibi liber, vel Auctor, ubi ſit aliqua citatio: nam ſæpius nulla ſit. Quid igitur cauſæ eſt, cur ſaltem hæ duæ citationes non ſint expreſſæ in exemplari Romam miſſo? Non ſatis ſcio. Sed tamen non fuiſſet decens duobus ſolis Articulis adnotari diſtinctè Auctorem, & locum, unde eſſent deſumpti.

CAPUT III.

An judicium Qualificatorum Romanorum de Articulis fuerit conſentiens cum judicio Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

421. QUalificatores adhibiti à S. Congregatione varios Articulos reprobatos à Facultate Theologicâ cenſuerunt non eſſe dignos cenſurâ, aut modum cenſuræ Lovanienſis reprobarunt. Hoc mihi conſtat ex iis, quæ illo tempore ad Illuſt.Mangellum Abbatem S.Angeli, & Internuntium Apoſtolicum in Belgio fuerunt reſponſa, ex quibus propono delibata hæc ſpecimina.

Articulus 14. ex triginta octo hic erat: *Non eſt contra ſigillum, dicere, illum non abſolvi: poteſt id multis de cauſis fieri. Cavendum tamen ob periculum.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Hæc propoſitio ita generaliter expreſſa eſt falſa.*

Qualificatores verò Romani reſponderunt *bene pars prima dictæ Propoſitionis per ſecundam cenſuratur*: quia nimirum ipſa Propoſitionis pars ſecunda affirmat primam partem eſſe *periculoſam, & cavendam.*

422. Articulus 16. hic erat. *Non video, cur conjux alter non poſſit alterius votum continentiæ, in quod conſenſit, irritare.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Aſſertio falſa, quæ dicit, votum poſſe irritari poſt conſenſum.*

Qualificatores Romani magis conſideratè putaverunt Propoſitionem eſſe diſtinguendam, imo & ſubdiſtinguendam hoc modo: *Propoſitio intellecta de poſſe licitè, ſine juſtâ causâ eſt erronea.*

Articulus 23. hic erat: *An poſſit quis pro pecuniâ à ſe datâ mutuò fidejuſſor fieri pretio accepto: alii ajunt, alii negant, utrique probabiliter.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Titulus aperiens viam uſuris.*

Qualificatores Romani reſponderunt: *Propoſitio eſt immunis ab omni Cenſurâ Theologicâ.*

423. Articulus 18. hic erat: *Non eſt ſecundum Cajetanum peccatum ſe inebriare, ſi id ſanitati eſt neceſſarium, & nullum ſequatur periculum.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Aſſertio malè ſonans.*

Digitized by Google

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio non eſt qualificabilis : quia ly inebriare per ſequentia verba inſinuatur, quod ſumitur materialiter, & non formaliter.*

424. Articulus 20. hic erat : *Non poteſt Epiſcopus prohibere, quin Laicus quotidie communicet. Ex congregatione Concilii.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat : *Aſſertio falſa.*

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio eſt immunis ab omni cenſurá.*

425. Articulus 21. *In articulo mortis poſſe Laicum abſolvere ab excommunicatione quidam ajunt ; ſed alii negant. Ego Clericum quemvis puto poſſe ex tacitâ, ut quidam volunt, Eccleſia conceſſione ; poſſe verò ab omni prorſus excommunicatione, etiamſi ipſe ſit excommunicatus.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat : *Aſſertio temeraria.*

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio eſt immunis quoad omnes ſuas partes ab omni Cenſurâ Theologicâ.*

426. Articulus 38. quoad priorem partem hic erat : *Non poteſt creditor contra debitorem ſibi debita non ſolventem, etiamſi dicat ea nolle ſolvere, propria auctoritate extra judicium agere.*

Cenſura Facultatis Theologicæ in totum Articulum certo modo intellectum, quo judicabat eſſe intelligendum, hæc erat : *Doctrina non ſolum eſt falſa, ſed etiam toti Reipublicæ, & generi humano perniciosa, ac proinde omnibus modis ſupprimenda.*

Qualificatores Romani reſponderunt : *Propoſitio quantum ad primam partem eſt vera, neque aliquâ cenſurâ digna.*

427. Articulis triginta octo, de quibus hactenus, poſteà acceſſerunt quinque alii, qui & ipſi miſſi ſunt ad S. Congregationem. De hoc verò, uti & de aliis, quæ referam hoc loco, conſtat ex iis, quæ Roma accepit. Idem Illuſtr. Dominus Mangellus Internuntius Apoſtolicus.

Porrò ex illis quinque poſtremis ille erat, qui poſteà factus eſt poſtremus inter Articulos ſeptemdecim, qui vulgò circumferuntur, & de quibus infrà : erat enim hic : *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam quoque culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. IESV Chriſti.*

Quam cenſuram tulerit Facultas Theologica de hoc Articulo, quando inter illos quinque miſſus fuit Romam, non potui comperire. Cæterum relatus inter ſeptemdecim, de quibus infrà, ſubiit communem omnibus cenſuram, quæ eſt hæc : *Aſſertiones non toleranda in praxi, & auctoritate Superiorum meritò prohibenda.* Quid ni? Etenim Doctor Sinnichius Saulis Exr. pag. 584. col. 1. in Vind. pag. 625. ad Articulum illum ſic exultat. *Ecce quouſque prolapſi ſunt Novelli Probabilitatum Patroni, ut etiam Atheos fingant Abſolutionis capaces.*

428. Cir-

428. Circumſpectius reſponderunt Qualificatores Romani his verbis: *Propoſitio eſt damnabilis, niſi intelligatur, quod ante abſolutionem pœniteat de ſuâ culpabili negligentiâ.* Valde proinde hoc addiderunt illi, potuiſſetque addere idem Facultas Theologica, ſi Articulum illum deſumpſit ex famoſo libello *Theologie Morale*, ſect.4. num.25. pag 25. ubi illum Impoſtor Gallus attribuit Stephano Baunio Tract. 4. de Pœnit. q.12. Baunius autem iſto loco rationem Aſſertionis ſuæ hanc ponit: *Quia illos pœnitere poteſt ſua negligentia.* Addit verò, *Confeſſarium teneri ſaltem proponere ruſticis ſibi confitentibus, aut aliis noſtrorum Myſteriorum ignaris Articulos de Trinitate, & Incarnatione Chriſti, eoſque illis explicare, ut poteſt; tum ab iis ſciſcitari, ecquid iis à ſe pro tempore breviter expoſitis non credant, ecquid de præteritâ ſuâ negligentiâ in addiſcendis Chriſtianæ Religionis Myſteriis non doleant?* Potuiſſent ergo Articuli hujus Cenſores adhibere moderationem adhibitam à Qualificatoribus Romanis.

429. Porro ne quis ſuſpicetur, Romanos Qualificatores, de quibus hactenus, fuiſſe Jeſuitas, conſtat mihi, nullum ex illis Jeſuitam fuiſſe: conſtat verò ex iiſdem monumentis, unde habeo ſuperiora: fuerunt nimirum hi ipſi, quorum nomina, & officia deſcribo, ut ibi invenio.

Fr. Raymundus Capizuccus M. Sacri Palatii.
Fr. Vincent. Commiſſarius Generalis S. Officii.
Raphael Averſa Generalis Clericorum Minorum.
Fr. Modeſtus à Ferrariâ Ordinis Min. Conv. Conſultor.
Fr. Joan. Aug. à Nativitate Ordinis Carmel. Diſcalc.
Fr. Paulus Luchinus Generalis Ordinis S. Auguſtini.
Fr. Hieronymus Ari Ordinis Carmel.
P. Stephanus Spinula Congregationis Somaſchæ.
Fr. Henricus à Burgo Generalis Ordinis Servorum.
Fr. Michael Pius Paſſus Socius Commiſſarii S. Officii.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quare Sacra Congregatio non publicaverit cenſuras ſaltem aliorum Articulorum, quos non exemerant cenſurâ Qualificatores.

430. HUjus rei cauſam aperiet reſponſum Sacræ Congregationis datum 7. Julii 1655. ad Illuſtriſſimum D.Mangellum, Internuntium Apoſtolicum in Belgio. Illud reſponſum ſic habet: *In Congregatione S.Officii coram Eminentiſſimis Dominis, relatis ſupradictis propoſitionibus, & qualificationibus, Eminentiſſimi DD. dixerunt ſignificandum Domino Secretario Sacræ Congregationis Concilii, quod ſuſpenditur cenſura, donec videantur loca, ex quibus ſunt excerptæ propoſitiones, & mittatur folium Eminentiſſimis cenſuræ factæ à Qualificatoribus propoſitionum.*

Hæc cum iis rectè concordant, quibus narravi ſuprà, exemplar Articulorum, & Cenſurarum Lovanienſium Romam miſſum non habuiſſe ad marginem adnotata nomina Auctorum, quibus tribuebantur Articuli, uti habebat exemplar datum Jeſuitis, ſaltem quoad multos Articulos.

431. Meritò autem S.Congregatio poſtulavit *videre loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.* Quam enim utilitatem habeat damnare propoſitiones, quas non conſtat eſſe ullius hominis qui vivat, aut vixerit in mundo? Non ſolet S.Congregatio, aut S.Sedes prodigere ſuas cenſuras. Conſtat etiam, Jeſuitas, cum accepiſſent exemplar, in quo Articulis adſcripta erant nomina ſuorum Auctorum, debitè informaſſe S.Congregationem, & conqueſtos eſſe de variis impoſturis. Quare S. Congregatio jure meritiſſimo voluit, *ſuſpendi cenſuras, donec viderentur loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.*

432. Jam verò dubium eſſe non poteſt, quin Sacra Congregatio iis, qui cenſuras Romanas flagitabant, ſignificaverit, *ſuſpendi cenſuras, donec viderentur loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.* Suntne miſſa ad S.Congregationem iſta loca? Concludam S.Congregationem judicaſſe, non eſſe fideliter excerptas propoſitiones, cum non publicaverit illas cenſuras. Si non ſint miſſa ad S. Congregationem iſta loca, argumento id eſt manifeſto, non potuiſſe inveniri Auctores propoſitionum: quare enim alioqui non eſſent exhibiti S.Congregationi; cum hoc unum eſſet in morâ, quo minus publicaret illa Cenſuras Articulorum quorumdam ex iis, quos cenſuraverat facultas Lovanienſis?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Quomodo factum ut Articuli 38. imò 43. fuerint contracti ad ſeptemdecim, qui vulgò circumferuntur, & quibus eſt uſus Sinnichius in ſuo Saule?

433. Cum non eſſet ſpes fore, ut S. Congregatio judicio ſuo confirmaret judicium Facultatis Theologicæ de Articulis 38. (imo 43. ut conſtat ex dictis num. 427.) fertur ſapientiſſimus Archiepiſcopus Mechlinienſis D. Jacobus Boonen judicaſſe, majorem delectum Articulorum adhibendum eſſe. Præſtabit ipſum audire loquentem in epiſtolâ, quam dedit ad Eminent. Cardinales S. Concilii interpretes 17. Julii 1654. „ Quia verò ſuſpicari non potui, alio ipſos prætextu ad ſubterfu„giendum uti, quam quia fortè inter cenſuratos Articulos aliqui ſunt, „quos forſan exiſtimant benignâ interpretatione ſe poſſe in meliorem „partem trahere, & plauſibilibus argumentis ita ſtabilire, ut non videan„tur tam acrem cenſuram mereri, ne multas intricatas diſputationes „ſine ſpe utilitatis cogerer ingredi, eoſdem Articulos tranſmiſi Facultati „Theologiæ Academiæ Lovanienſis *maturius expendendos*, ut tantummo„do exceptis inde Aſſertionibus, quæ planè evidentis ſunt abſurditatis, di„gnâ eos cenſurâ perſtringeret, &, ſi quas alias paris abſurditatis vel ex li„bris, vel ex praxi Confeſſariorum comperiſſet, illis excerptis adjiceret, „prout factum eſt partim 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. dum Aſſer„tiones numero ſeptemdecim judicavit *in praxi non tolerandas, & auctoritate* „*Superiorum meritò prohibendas*.

434. Hic quædam ſunt adnotanda. Primò Quoniam non permoverat S. Congregationem auctoritas *aliquot Eruditorum virorum Diœceſeos Mechlinienſis*, tandem viſum fuit Concinnatoribus epiſtolæ, vocare in ſubſidium nomen Facultatis Theologicæ, ut omnia tentarentur. Secundò non ſatis maturè prius expenderat Articulos Facultas Theologica: Archiepiſcopus rurſus tranſmiſit *maturius expendendos*. Quamquam ſperare poterat Facultas Theologica, hâc re non offendendam S. Congregationem, quia Articuli 38. non erant oblati S. Congregationi tamquam cenſurati à Facultate Theologicâ Lovanienſi, ſed tamquam cenſurati ab aliquot Eruditis viris Diœceſis Mechlinienſis; cum tamen reverà eſſent cenſurati à Facultate. vide dicta n. 415.

Tertiò ex illis Articulis 38. quos prius cenſuraverat Facultas Theologica, ſolum ſunt aſſumpti 12. qui denique judicarentur *plane evidentis abſurditatis*, *& in praxi non tolerandi* &c. His Articulis 12. acceſſerunt illi quinque, de quibus num. 427. ut omnes eſſent numero ſeptemdecim. Hoc certum eſt conferenti Articulos 17. poſterius cenſuratos cum Articulis 38. prius cenſuratis, non niſi duodecim ex triginta octo eſſe relatos inter ſeptemdecim. Factum eſt igitur, ut ex Articulis 38. prius cenſuratis poſteriorem cenſuram evaſerint Articuli 26. omnino.

435. Hinc inferre licet, quod agnoverit Facultas Theologica, Articulos 26. fuiſſe à ſe cenſuratos, quos deinde *Maturius expenſos* judicavit non eſſe *plane evidentis abſurditatis*: alioqui enim, ut obediret mandato Archiepiſcopi, debuiſſet etiam poſteriori cenſurâ illos comprehendere.

Inferre licet rurſus, quod Articulos 26. quos cenſuraverat, re maturius expensâ, non judicaverit *in praxi non tolerandos*, *& auctoritate Superiorum meritò prohibendos*. Interea nixus auctoritate Facultatis Theologicæ bono zelo plenus Archiepiſcopus, Religioſis à ſe approbandis impoſuit, ut jurarent, *quod à dictorum Articulorum praxi ſibi caverent*, ut ipſe explicat in Epiſtolâ citatâ. Nixus eâdem auctoritate obtulit S. Congregationi Articulos eoſdem cenſurandos. Certè debuiſſet Facultas Theologica, antequam deſcenderet ad primam cenſuram, *maturius expendere* illos Articulos.

Quartò notandum eſt, quod eos fere Articulos Facultas Theologica excluſerit à ſeptemdecim, qui non inveniebantur in libello famoſo calumniatoris Galli, de quo jam ſæpius eſt mentio; omnes verò ſeptemdecim Articuli, ſi paucos excipias, in libello illo inveniuntur. exploremus ſaltem aliquouſque.

436. Primus Articulus ſic habet. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponat emendationem.* Habetur in libello famoſo ſect. 4. num. 35. pag. 29. niſi quod Auctor famoſus non habeat illa verbâ; *dummodo ore proferat ſe dolere.* Articulum Calumniator adſcribit Baunio Tract. 4. de Pœnit. adſcribit item Baunio Facultas Theologica in Exemplari 38. Articulorum Jeſuitis dato: ſed locum non citat. Videtur verò Baunium non legiſſe, niſi forte in libello famoſo. Mirum eſt tamen quòd addiderit illa verba; *dummodo ore proferat ſe dolere.* Baunius Tract. 4. de Pœnit. q. 15. diſertè requirit, ut ille pœnitens ſit *contritus*, *cum propoſito emendandi ſui in poſterum*: Et infrà: *dummodo dolore neceſſario inſtructus ad confeſsionem*, *vitæ melioris conſilium afferat, de quo Sacerdoti*, QUANTUM FAS EST HUMANITUS, *ex ſignis*, *aut ejus ore*, *voceque* CONSTET. Et quæſt. 22. *Si vere eum admiſſorum pœnitet* &c. requirit *item dolorem de peccatis, propoſitum firmum*, *& ſtabile.* Conſideret Lector

quomo-

Digitized by Google

quomodo his congruat illa clauſula articuli, *dummodo ore proferat ſe dolere*: Baunius non eſt, contentus vocibus ore prolatis, requirit in Confeſſario notitiam *veri doloris & firmi propoſiti quantum humanitus* aſſequi licet.

437. Secundus Articulus ſic habet: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imò directè, & ex propoſito quærit, aut ſe ingerit.*

Invenitur in libello famoſo ſect. 4. num. 28. 29. pag. 27. adſcribit illum Calumniator Baunio eodem Tract. 4. q. 14. Adſcribit etiam Baunio Facultas. Sed per injuriam, quæ pateſcet ei, qui adire dignabitur Baunium loco citato. Baunius ibi dicit REGULARITER ABSOLVENDUM NON ESSE: requirit verò *dolorem de præteritis, firmum propoſitum*, *juſtam cauſam non deſerendi occaſionem*, qualem putat *alienam ſalutem* &c. negat hoc eſſe *directè quærere*; multò magis negat, hoc eſſe *ex propoſito quærere*, aut *ſe ingerere*, negabuntque ii Auctores, qui Baunio conſentiunt, quos citavi à num. 276.

438. Hic adnotandum eſt inter Articulos 38. S. Congregationi oblatos, hunc fuiſſe ordine ſecundum: *Poteſt abſolvi femina, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat, ſi eum honeſte non poteſt inde ejicere, aut cauſam aliquam habeat eum retinendi.* Cenſuræ Facultatis Lovanienſis ferebat, cauſam debere eſſe *graviſſimam*. At verò Qualificatores reſponderunt *Aſſertionem reſtringendam eſſe ad cauſam gravem*. Patet ergò Qualificatorum judicio immunem eſſe à cenſurâ Baunii doctrinam, quam explicui: requiſivit ad minimum cauſam *gravem*, cum requiſivit *juſtam*: verius eſt requiſiviſſe cauſam *graviſſimam*, cum fateatur *regulariter abſolvendum non eſſe*: quia nimirum *regulariter* non occurrit cauſa *graviſſima*: cauſæ, quas ponit pro exemplis, ſalus proximi æterna, & converſio infidelium, ſunt reverâ graviſſimæ. Unde licet conficere, etiam Cenſorum Lovanienſium judicio, Baunii doctrinam eſſe immunem à Cenſurâ. Intereà illi non dubitarunt Articulum à ſe cenſuratum Baunio adſcribere. Adſcripſerat Impoſtor Gallus.

439. Tertius Articulus ſic habet: *Copula cum conſanguineâ conſentiente marito non eſt adulterium. Et Mollities, ſodomia, Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, adeoq; ſufficit in confeſſione dicere* &c. Prima pars extat in libello famoſo ſect. 3. num. 10. pag. 13. Calumniator Gallus eam adſcribit cuidam Jeſuitæ in genere. Quare Facultas Theologica nulli Auctori eam adſcribit. Poſteriorem partem de mollitie, ſodomia &c. Facultas Theologica invênit proprio marte: quare diſtinctè citat locum Auctoris, hoc eſt Caramuelis lib. 4. pag. 411.

440. Nimis longa fieret hæc tela. Dicamus paucis. Quartum Articulum Impoſtor Gallus delineavit ſect. 4. num. 19. p. 24. Quintum Articulum obtulit idem ſect. 3. num. 19. p. 16. Sextum Articulum Sect. 3. num. 7. p. 12. Septimum Articulum non obtulit Impoſtor Gallus, ſed Hiſpanus

Digitized by Google

nus Gregorius Eſclapez Articulo 69. Hujus impoſturas ſuppreſſit Inquiſitio Hiſpanica. Idem de octavo Articulo Lector intelligat. Nonum Articulum prompſit Impoſtor Gallus toties memoratus ſect. 3. num. 8. p. 13. Obtulit idem Articulum decimum quartum, decimum quintum, decimum ſextum, decimum ſeptimum. Sed jam horum me tœdet.

CAPUT VI.

De Articulis 26. ad inſtantiam, ut prætenditur, Illuſtriſſimi Gandenſis Epiſcopi Antonii Trieſt cenſuratis à Facultate Theologica Lovanienſi.

441. ETjam horum Articulorum cenſuras identidem oſtentat Sinnichius. Eſt ergo de his quoque docendus Lector.

Cum Sacra Congregatio detrectaret judicium ferre de illis Articulis, quos cenſuratos à Facultate Theologicà Lovanienſi miſerat Illuſtr. Archiepiſcopus Mechlinienſis; idque vel quia non mittebantur loca, ex quibus erant excerptæ propoſitiones, vel quia judicabantur non fideliter eſſe excerptæ, ut explicui à num. 430. Cumque hoc pacto S. Congregatio ſatis oſtenderet, non probari ſibi cenſuras illas, modumve cenſurandi, fruſtrati expectatione ſuâ Cenſores animum adjecerunt novis cenſuris, iiſque multò grandioribus, quam fuerant priores, ut mox patebit. Rem paulò altius repetamus.

442. Dicitur Illuſtr. Epiſcopus Gandavenſis Antonius Trieſt non multo ante mortem miſiſſe ad Facultatem Theologicam Lovanienſem cenſurandos Articulos 26. qui vulgò circumferuntur hoc nomine. Circumfertur etiam epiſtola Epiſcopi cenſuras petentis. Puto quod nihil detraherem exiſtimationi tantorum Præſulum, ſi hic miſcerem quaſdam animadverſiones in Epiſtolam iſtam, ſimulque in eam, quæ ab Illuſtr. Archiepiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen ad S. Congregationem data eſt: quia conſtat bono zelo impulſos Epiſcopos, non bonis, & ſynceris conſultoribus uſos eſſe ad ſcribenda non pauca. Hoc mihi oſtendere eſſet res facillima; ſed volo omnino cavere, ne vel ſpecie quâdam minoris reverentiæ erga ordinem tam ſacrum offendatur Lector.

443. Quod tamen omnino facit ad confirmationem narrationis, quam præmiſi de Articulis prius cenſuratis à Facultate Theologicà, pertinetque ad intelligentiam Hiſtoriæ de Articulis 26. de quibus jam eſt ſermo, non omittam delibare pauca ex epiſtola, quam dicitur Gandavenſis Epiſcopus

ad

Digitized by Google

ad Facultatem Theologicam Academiæ Lovanienſis dediſſe 9. April. 1657. In ipſo exordio loquens de Articulis prius cenſuratis, miſſisque ad ſacram Congregationem, „ Eminentiſſimi Patres, inquit, zelum atque pruden-
„ tiam, ut ACCEPIMUS, ſummopere laudarunt, & renuntiarunt, dictas
„ propoſitiones à ſe remiſſas ad S. Congregationem Generalis Inquiſitio-
„ nis examinandas, & qualificandas, ut eo peracto opportunè tanto malo
„ proſpiceretur. Remedium illud Chriſtianæ religioni, & Eccleſiaſticæ
„ diſciplinæ perneceſſarium hactenus expectatum eſt, nondum tamen ob-
„ tentum. Intereà experimur ſummo animi noſtri, & proborum omnium
„ dolore nimiam illam quorumdam recentiorum licentiam in excogitan-
„ dis vanis, & inutilibus quæſtionibus &c. Reliquâ fere Epiſtolâ exaggeratur iſta licentia recentiorum, uſque adeò, ut dicantur quidam docere, auctoritatem unius Doctoris probi, & docti reddere opinionem probabilem, & hanc unicuique licitum eſſe, *etiam reluctante conſcientiâ*, *ſequi.* Quinam illi ſint ego neſcio. Sed ad narrationem.

Patet ex his, priores Articulos Lovanii cenſuratos, miſſoſque ad S. Congregationem Concilii Tridentini, datos eſſe Qualificatoribus S. Congregationis Gen. Inquiſ. *examinandos*, *& qualificandos.* Sed non explicat Epiſtola, reipsâ *examinatos*, *& qualificatos fuiſſe*, neque quid cauſæ fuerit, cur *remedium Chriſtianæ religioni, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ perneceſſarium hactenus expectatum ſit, nondum tamen obtentum.*

444. Sed optimæ intentionis Epiſcopus providè interpoſuit clauſulam hanc, UT ACCEPIMUS. Plus non acceperat; quia plus illi non dixerant, qui fortaſſe potuiſſent. Si accepiſſet omnia, puto ſcripturum ſic fuiſſe:
„ Eminentiſſimi Patres dictas propoſitiones à ſe remiſſas ad S. Congrega-
„ tionem Generalis Inquiſitionis, examinandas, & qualificandas, renun-
„ tiarunt quoque, examinatas, & qualificatas fuiſſe. Renuntiarunt non
„ paucas eſſe exemptas omni cenſurâ. Renuntiarunt de cætero expectari
„ loca, ex quibus ſunt excerptæ propoſitiones, quæ non ſunt exemptæ
„ cenſurâ: Hæc loca ſi miſſa ſint, oportet non fideliter fuiſſe excerptas
„ propoſitiones: ſi non ſint miſſa oportet non potuiſſe inveniri loca, ex
„ quibus ſunt excerptæ propoſitiones. Quare cavete diligenter, ne horum
„ propoſitionum, quas mitto, ullam cenſuretis, niſi locum oſtenderitis, ex
„ quo ſit excerpta, & niſi diligenter conſideraveritis contextum integrum,
„ ex quo eſt excerpta: ego enim Propoſitiones eaſdem ad S. Sedem trans-
„ mittam: eſſet autem indecorum, & Facultati Theologicæ, & Epiſcopali
„ auctoritati, mittere ad S. Sedem propoſitiones à vobis cenſuratas me
„ rogante, neque exhibere loca, unde ſint excerptæ, aut exhibere quidem;
„ ſed non fideliter eſſe excerptas: quorum alterutrum prius factum eſt.
Sic, niſi fallor, ſcripſiſſet optimus Epiſcopus, ſi illi, à quibus ſe ait

Digitized by Google

accepiſſe, quæ refert, narraſſent ipſi omnia.

445. Uno fere menſe ab acceptâ commiſſione, hoc eſt 4. Maij 1657. Facultas Theologica ſtrenuè obſecuta eſt Epiſcopo: cenſuravit Articulos 26. valde elaboratis verbis, ut poſtea videbimus. Quam operam adhibuerit, ut inveſtigaret Auctores ſingulorum Articulorum, mihi non conſtat, Sinnichius in ſuo Saule conatus eſt aſſignare quorumdam Articulorum Auctores, ſed fere irrito conatu, ut conſtabit infrà: multorum Articulorum ne quidem tentavit Auctores aſſignare, horum ſaltem Jeſuitam Auctorem nullum eſſe ab illo inventum ſecurus eſſe poteſt Lector. Sed de his mox ex profeſſo.

Notandum eſt, quod in fine Epiſtolæ ad Facultatem Theologicam Gandenſis Epiſcopus ſignificet, ſe eas propoſitiones, quas Facultas judicaſſet *in praxi pernicioſas*, *ad S. Sedem tranſmiſſurum*, ſi hoc ipſi Facultati *operæ pretium, aut neceſſe videretur*. Conſtat verò id fuiſſe viſum operæ pretium Theologicæ Facultati: quia in eâ Epiſtolâ, quam cenſuris ſuis præfixit, ſignificat, *omnes ſe in eâ unanimiter eſſe ſententiâ, Præſulum Eccleſiæ eſſe à ſuis diœceſibus eliminare dogmata Articulis contenta: recurrendo etiam in iſtum finem ad S. Sedem, eique ſupplicando* &c.

446. Quare dubitari non poteſt, quin Illuſtr. Epiſcopus Articulos illos 26. miſerit ad S. Sedem. Hic mihi eſt obſcurum, an ad S. Sedem miſſis Articulis adjunxerint Auctores, & loca, unde eſſent excerpti. Si non adjunxerint, mirum eſt; cum id deſideratum eſſet in Articulis prius miſſis ad S. Congregationem. Si adjunxerint, credibile rurſus eſt, judicatum fuiſſe à S. Sede, non eſſe fideliter excerptos. Hoc certum eſt, nullum effectum habuiſſe miſſionem illam Articulorum ad S. Sedem.

Dubitari, inquam, non poteſt, quin ad S. Sedem miſſi ſint Articuli; niſi tamen mors importuna optimi Antiſtitis hanc cogitationem præverterit: quia non multo tempore à datis Lovanij cenſuris è vivis exceſſit ille; die ſcilicet 28. Maij 1657. cum Cenſuræ ſint datæ 4. Maij ejuſdem Anni. Imò teſtantur quidam, cenſuras non prodiiſſe in publicum, niſi jam mortuo Epiſcopo; quod ſi eſt verum, res eſt obnoxia ſiniſtris ſuſpicionibus.

CAPUT

CAPVT VII.

Quantò moderatius, & ſapientius procedat S. *Sedes in ferendis cenſuris Articulorum pertinentium ad mores, quam proceſſerit Facultas Theologica Lovanienſis.*

447. EXperientiâ conſtat, non rarò habuiſſe malum ſucceſſum cenſuras publicas Facultatum Academicarum contra doctrinam Auctorum Catholicorum ab Eccleſia toleratorum. Videtur ergo hoc non eſſe proprium munus ipſarum. Ego quidem malo audire judicantem S. Sedem. Certè hæc multò dexterius, maturius, moderatius, ſapientius exercet illud munus: ita ut ex ipsâ moderatione, & circumſpectione liceat colligere, hoc eſſe proprium munus ipſius. Libet exhibere quædam ſpecimina ſumpta ex Articulis cenſuratis à Facultate Theologicâ Lovanienſi, atque ex Articulis cenſuratis ab Alexandro VII.

448. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ Lovan. quintus hic eſt: *Licitum eſt occidere calumnioſum actorem, teſtes, & injuſtum Iudicem ad ſervandam vitam, honorem, vel res familiares.*

Articulus huic ſimilis ex 45. damnatis ab Alexandro VII. decimus octavus hic eſt: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.* Multo cautius his potiſſimum verbis conceptus, Articulus proponitur, ab Alexandro VII.

Audiamus cenſuram Facultatis Theologicæ: *Abominanda, execrandaque aſſertio, Aſſaſſinatibus, ſicariatibus, aliisque publicis Iuſtitiæ Miniſtris, quin & ipſis quoque principibus præſentiſſimum procreans periculum.*

Quid autem Summus Pontifex Alexander VII.? *Prædicta propoſitio, ut minimum tamquam ſcandaloſa, eſt damnanda, & prohibenda.* Tum verò pœnas conſtituit eam docentibus, practicantibus &c. Ego in hoc modo reprobandi propoſitionem percipio quamdam moderationem dignam Majeſtate Pontificiâ, quæ moderatio ipſa per ſe magis me movet, quam alia multa grandia verba.

449. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ undecimus hic eſt. *In causâ æquali poteſt Iudex aliquid ab unâ partium accipere, ut ſententiam in ejus favorem ferat.*

Articulus huic ſimilis ex 45. damnatis ab Alexandro VII. vigeſimus ſextus hic eſt: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones aquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio.*

Audiamus cenſuram Lovanienſem: *Aſſertio falſa eſt, Iuſtitiæ perverſiva, & inmanibus, ac quotidianis corruptelis viam ſternens.*

Quid Summus Pontifex Alexander VII.? *Propoſitio ut minimum tamquam ſcandaloſa eſt damnanda, & prohibenda.*

450. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ vigeſimus ſextus hic eſt. *Auctoritas unius Doctoris probi, & docti reddit opinionem probabilem.*

Articulus huic ſimiles ex 45. damnatis ab Alexandro VII. vigeſimus ſeptimus hic eſt. *Si liber eſt alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ, tamquam improbabilem.* Multo ſapientius his potiſſimum verbis conceptum articulum damnavit Alexander VII.

Sed Lovanienſem cenſuram audiamus: *Aſſertio pernicioſa eſt, & innumeras abſurditates invehens in omni materiâ doctrinæ moralis.*

Quid autem Summus Pontifex Alexander VII.? *Propoſitio ut minimum tanquam ſcandaloſa eſt damnanda, & prohibenda.* Hâc moderatione, & gravitate expreſſa cenſura efficacius influit in animos piorum fidelium. Si quem minus pium illa non moveret, ſequuntur pœnæ, quibus poſſit terreri. Sic expedit profecto, munus damnandi Articulos Chriſtianæ diſciplinæ pernicioſos, eſſe conjunctum cum poteſtate puniendi eorum patronos: expedit quoque in Cenſore hujuſmodi Articulorum eſſe Auctoritatem quandam doctrinæ, quæ ſit major quam humana, ne ii Theologi, quorum illi ſunt Articuli, jungant ſe, latamque cenſuram contrariâ cenſurâ nihilo minoris Auctoritatis elidant.

CAPUT VIII.

An vel Theologica Facultas Lovanienſis ſuis cenſuris Articulorum, vel Doctor Sinnichius ſuo Saule Exrege aliquid contulerint, ut Alexander VII. Damnaret 45. *Propoſitiones.*

451. Conſtat, paucos quoſdam Articulos reprobatos à Facultate Theologicâ Lovanienſi, multis poſt annis damnatos itidem fuiſſe inter illas propoſitiones 45. quas in Congregatione S. Inquiſitionis proſcripſit Alexander VII. 25. Septemb. 1665. & 18. Martii 1666. conſtat quoque ex iis quoſdam improbatos fuiſſe à Sinnichio in ſuo Saule.

Per

Digitized by Google

Per ſe patet; hoc non eſſe ſatis, ut vel Theologica Facultas, vel Sinnichius dicatur aliquid ſpecialiter contuliſſe ad Decretum illud Alexandri VII. Eodem, imò majori jure contendam, ſcriptis Franciſci Suarez, Thomæ Sanchez, & ſimilium ſcriptorum (etiam Thomæ Tamburini, ſi placet) ſpecialiter motum fuiſſe Pontificem, ut decretum illud conderet: vix enim mihi ſcriptorem oſtendas iſtius generis, qui non reprobaverit ex illis propoſitionibus multò plures, quam Theologica Facultas, vel Sinnichius: vix etiam, qui non multò efficacius ſingulas, & majori auctoritate, quam Sinnichius.

452. Et tamen cum primum prodiit Alexandri decretum præfatum, audire licuit jactationem quorumdam Sinnichio plaudentium, quaſi viam præluxiſſet Pontifici. Idem ſibi videtur perſuaſiſſe, qui præfationem ſcripſit ad Vindicias Decalogicas: cum enim feciſſet mentionem Alexandri VII. dolentis in ſuo decreto de compluribus opinionibus Diſciplinæ Chriſtianæ relaxativis, mox Sinnichium indigitans, ſubjungit hæc magnifica: OPUS FUIT FORTI, ET APOSTOLICÆ SEDI OBSECUNDANTE CONTRA TOT MONSTRA HERCULE, *qui gemina Theologiæ telis confoderet, & vinceret tales novantium libros ..... Unum pro millibus invenit ætas noſtra Sinnichium, in quo quid primum ſtupeas, neſcias.* Credat mihi ille Præfator; non Cenſoribus iſtis OPUS ERAT Apoſtolicæ Sedi. Eſt etiam oratio illa parum honorifica Apoſtolicæ Sedi. Verendum ſcilicet, ne ruitura fuiſſet Eccleſia; niſi, ut in fabulâ Hercules Athlanti, ſic Apoſtolicæ Sedi Sinnichius obſecundaſſet: *Opus fuit Apoſtolica Sedi abſecundante* hoc *Hercule.*

Sed nos Lectori explicemus, quâ occaſione motus Alexander VII. reprobaverit propoſitiones 45. Conducet etiam explicatio, ut intelligamus, non eſſe proprium munus privatorum Doctorum, aut Facultatum Theologicarum cenſurare doctrinas Scriptorum.

453. Facultas Theologica Pariſienſis graviter exceſſerat in cenſurandis propoſitionibus deſumptis ex quodam libro Amadæi Guimenij, itidemque in cenſurandis aliis propoſitionibus deſumptis ex libro quodam Jacobi Vernantii. Multum diſplicuit exceſſus ille Alexandro Papæ VII. Exceſſum explicat ipſe dolenter in bullâ, quæ incipit, *cum ad aures*, editâ 7. cal. Junij 1665. quâ cenſuras ipſas caſſas, & irritas declarat. Juvabit verba ipſa Pontificis exhibere: Cum, inquit. ad aures noſtras „pervenerit, duos prodiiſſe libros, quorum alteri titulus eſt; *Cenſura* „*Facultatis Theologicæ in librum* cui titulus *La deffenſe de N. S. P. le Pape* „*&c.* Alteri verò titulus eſt *Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſ in librum* „cui titulus eſt; *Amadæi Guimenij Lomarienſis opuſculum* &c. in quibus li„bris cenſurâ præſumptuoſâ notantur aliquæ Propoſitiones, eæque præ-

 ſertim,

gata cenſurârit , cenſurâ ſingulis ſubjunctâ die 4. *Iunii* 1648. *quod atteſtor. Et ſignatum erat* , JACOBUS PONTANUS *S. Theologiæ Doctor ejuſdemque Facultatis pro tempore Decanus.* Poſt Articulum 38. ſeu poſtremum ſic lego : *Inferius habebatur. Ita facultatem Theologicam Lovanienſem cenſuiſſe ſuper quatuor ſuprà expreſſis Aſſertionibus atteſtor. Et ſignatum erat,* JACOBUS PONTANUS *S. Theologiæ Doctor ejuſdem Facultatis pro tempore Decanus.*

In exemplari miſſo Romam non invenio hujuſmodi ſubſcriptiones. Quare ſunt omiſſæ ? Conſideret Lector, ut ſuprà.

417. Conſideret præterea, Facultatem Theologicam Lovanienſem fuiſſe reprehenſam juſſu Sixti V. quod cenſuraſſet quaſdam opiniones de gratiâ : & mandato Apoſtolico per Illuſtr. Dominum Octavium Epiſcopum Calatinum Nuntium Apoſtolicum, caſſatas Cenſuras 10. Julii 1588. Conſideret etiam Dominum Jacobum Pontanum juſſu Innocentii X. per Apoſtolicum Internuntium Antonium Bichium Abbatem S. Anaſtaſiæ die 10. Junii 1647. ſuſpenſum fuiſſe ab officio Apoſtolici librorum Cenſoris, propterea quod in qualitate Cenſoris Apoſtolici approbaſſet libellum, in quo continebantur Articuli damnati à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII.

418. Tertia differentia eſt in Annotationibus marginalibus. In Exemplari dato Jeſuitis ad marginem citatur Auctor variorum Articulorum Stephanus Baunius. In Exemplari Romam miſſo non invenio iſtas citationes.

Meritò fuerunt omiſſæ ; quia deprehendiſſet S. Congregatio, injuriam eſſe factam Baunio : quod ipſum luculentè oſtenſum eſt pridem à Cauſſino, aliiſque, in iis lucubrationibus, quibus refutarunt libellum famoſum calumniatoris Galli, de quo jam ſæpe eſt mentio ; cujus ſcilicet fidem ſecuti videntur Auctores illarum citationum marginalium : unde factum eſſe potuit, ut non fuerint ſoliciti de annotando loco libri, ex quo ſumpti eſſent Articuli : ſatis habuerunt ſic annotaſſe ; *Ex Theologia Morali Patris Baunii Ieſuitæ.*

419. Rurſus in Exemplari dato Jeſuitis Articulis permultis adjungitur ad marginem hæc, aut ſimilis annotatio : *Eſt caſus inter impreſſos per Patres Societatis.* In Exemplari Romam miſſo non inveniuntur illæ annotationes. Deſpiciat Lector an poſſit cauſam eruere ex iis quæ narravi n. 410.

420. Denique in Exemplari dato Jeſuitis Auctor Articuli ſexti annotatur Caramuel, Auctor Articuli trigeſimi Septimi & octavi Amicus. Neutra harum duarum citationum invenitur in Exemplari miſſo Romam. Mirum eſt non inveniri : quia in Exemplari dato Jeſuitis illæ duæ citationes extant valde accuratæ, & diſtinctæ, annotatis Tomo, libro, Diſputatione, ſectione, numero, paginâ. Nuſquam alibi diſtinctè citatur locus, ſolum nomi-

nominatur alibi liber, vel Auctor, ubi fit aliqua citatio: nam ſæpius nulla fit. Quid igitur cauſæ eſt, cur ſaltem hæ duæ citationes non ſint expreſſæ in exemplari Romam miſſo ? Non ſatis ſcio. Sed tamen non fuiſſet decens duobus ſolis Articulis adnotari diſtinctè Auctorem, & locum, unde eſſent deſumpti.

CAPUT III.

An judicium Qualificatorum Romanorum de Articulis fuerit conſentiens cum judicio Facultatis Theologicæ Lovanienſis.

421. QUalificatores adhibiti à S. Congregatione varios Articulos reprobatos à Facultate Theologicâ cenſuerunt non eſſe dignos cenſurâ, aut modum cenſuræ Lovanienſis reprobarunt. Hoc mihi conſtat ex iis, quæ illo tempore ad Illuſt. Mangellum Abbatem S. Angeli, & Internuntium Apoſtolicum in Belgio fuerunt reſponſa, ex quibus propono delibata hæc ſpecimina.

Articulus 14. ex triginta octo hic erat: *Non eſt contra ſigillum, dicere, illum non abſolvi: poteſt id multis de cauſis fieri. Cavendum tamen ob periculum.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Hæc propoſitio ita generaliter expreſſa eſt falſa.*

Qualificatores verò Romani reſponderunt *bene pars prima dictæ Propoſitionis per ſecundam cenſuratur*: quia nimirum ipſa Propoſitionis pars ſecunda affirmat primam partem eſſe *periculoſam, & cavendam.*

422. Articulus 16. hic erat. *Non video, cur conjux alter non poſſit alterius votum continentiæ, in quod conſenſit, irritare.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Aſſertio falſa, quæ dicit, votum poſſe irritari poſt conſenſum.*

Qualificatores Romani magis conſideratè putaverunt Propoſitionem eſſe diſtinguendam, imo & ſubdiſtinguendam hoc modo: *Propoſitio intellecta de poſſe licitè, ſine juſtâ cauſâ eſt extranea.*

Articulus 23. hic erat: *An poſſit quis pro pecuniâ à ſe datâ mutuò fidejuſſor fieri pretio accepto: alii ajunt, alii negant, utrique probabiliter.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Titulus aperiens viam uſuris.*

Qualificatores Romani reſponderunt: *Propoſitio eſt immunis ab omni Cenſurâ Theologicâ.*

423. Articulus 18. hic erat: *Non eſt ſecundum Cajetanum peccatum ſe inebriare, ſi id ſanitati eſt neceſſarium, & nullum ſequatur periculum.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat: *Aſſertio malè ſonans.*

Digitized by Google

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio non eſt qualificabilis : quia ly inebriare per ſequentia verba inſinuatur, quod ſumitur materialiter, & non formaliter.*

424. Articulus 20. hic erat : *Non poteſt Epiſcopus prohibere, quin Laicus quotidie communicet. Ex congregatione Concilii.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat : *Aſſertio falſa.*

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio eſt immunis ab omni cenſurâ.*

425. Articulus 21. *In articulo mortis poſſe Laicum abſolvere ab excommunicatione quidam ajunt ; ſed alii negant. Ego Clericum quemvis puto poſſe ex tacitâ, ut quidam volunt, Eccleſia conceſſione ; poſſe verò ab omni prorſus excommunicatione, etiamſi ipſe ſit excommunicatus.*

Cenſura Facultatis Theologicæ hæc erat : *Aſſertio temeraria.*

Qualificatores Romani ſic reſponderunt : *Propoſitio eſt immunis quoad omnes ſuas partes ab omni Cenſurâ Theologicâ.*

426. Articulus 38. quoad priorem partem hic erat : *Non poteſt creditor contra debitorem ſibi debita non ſolventem, etiamſi dicat ea nolle ſolvere, propria auctoritate extra judicium agere.*

Cenſura Facultatis Theologicæ in totum Articulum certo modo intellectum, quo judicabat eſſe intelligendum, hæc erat : *Doctrina non ſolum eſt falſa, ſed etiam toti Reipublicæ, & generi humano perniciosa, ac proinde omnibus modis ſupprimenda.*

Qualificatores Romani reſponderunt : *Propoſitio quantum ad primam partem eſt vera, neque aliquâ cenſurâ digna.*

427. Articulis triginta octo, de quibus hactenus, poſteà acceſſerunt quinque alii, qui & ipſi miſſi ſunt ad S. Congregationem. De hoc verò, uti & de aliis, quæ referam hoc loco, conſtat ex iis, quæ Roma accepit Idem Illuſtr. Dominus Mangellus Internuntius Apoſtolicus.

Porrò ex illis quinque poſtremis ille erat, qui poſteà factus eſt poſtremus inter Articulos ſeptemdecim, qui vulgò circumferuntur, & de quibus infrà : erat enim hic : *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam quoque culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. IESV Chriſti.*

Quam cenſuram tulerit Facultas Theologica de hoc Articulo, quando inter illos quinque miſſus fuit Romam, non potui comperire. Cæterum relatus inter ſeptemdecim, de quibus infrà, ſubiit communem omnibus cenſuram, quæ eſt hæc : *Aſſertiones non tolerandæ in praxi, & auctoritate Superiorum meritò prohibendæ.* Quid ni? Etenim Doctor Sinnichius Saulis Exr. pag. 584. col. 1. in Vind. pag. 625. ad Articulum illum ſic exultat. *Ecce quouſque prolapſi ſunt Novelli Probabilitatum Patroni, ut etiam Atheos fingant abſolutionis capaces.*

428. Cir-

Digitized by Google

428. Circumſpectius reſponderunt Qualificatores Romani his verbis: *Propoſitio eſt damnabilis, niſi intelligatur, quod ante abſolutionem pœniteat de ſuâ culpabili negligentiâ.* Valde proinde hoc addiderunt illi, potuiſſetque addere idem Facultas Theologica, ſi Articulum illum deſumpſit ex famoſo libello *Theologie Morale*, ſect. 4. num. 25. pag 25. ubi illum Impoſtor Gallus attribuit Stephano Baunio Tract. 4. de Pœnit. q. 12. Baunius autem iſto loco rationem Aſſertionis ſuæ hanc ponit: *Quia illos pœnitere poteſt ſua negligentia.* Addit verò, *Confeſſarium teneri ſaltem proponere ruſticis ſibi confitentibus, aut aliis noſtrorum Myſteriorum ignaris Articulos de Trinitate, & Incarnatione Chriſti, eoſque illis explicare, ut poteſt; tum ab iis ſciſcitari, ecquid iis à ſe pro tempore breviter expoſitis non credant, ecquid de præteritâ ſuâ negligentiâ in addiſcendis Chriſtianæ Religionis Myſteriis non doleant?* Potuiſſent ergo Articuli hujus Cenſores adhibere moderationem adhibitam à Qualificatoribus Romanis.

429. Porro ne quis ſuſpicetur, Romanos Qualificatores, de quibus hactenus, fuiſſe Jeſuitas, conſtat mihi, nullum ex illis Jeſuitam fuiſſe: conſtat verò ex iiſdem monumentis, unde habeo ſuperiora: fuerunt nimirum hi ipſi, quorum nomina, & officia deſcribo, ut ibi invenio.

Fr. Raymundus Capizuccus M. Sacri Palatii.
Fr. Vincent. Commiſſarius Generalis S. Officii.
Raphael Averſa Generalis Clericorum Minorum.
Fr. Modeſtus à Ferrariâ Ordinis Min. Conv. Conſultor.
Fr. Joan. Aug. à Nativitate Ordinis Carmel. Diſcalc.
Fr. Paulus Luchinus Generalis Ordinis S. Auguſtini.
Fr. Hieronymus Ari Ordinis Carmel.
P. Stephanus Spinula Congregationis Somaſchæ.
Fr. Henricus à Burgo Generalis Ordinis Servorum.
Fr. Michael Pius Paſſus Socius Commiſſarii S. Officii.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quare Sacra Congregatio non publicaverit cenſuras ſaltem aliorum Articulorum, quos non exemerant cenſurâ Qualificatores.

430. HUjus rei cauſam aperiet reſponſum Sacræ Congregationis datum 7. Julii 1655. ad Illuſtriſſimum D. Mangellum, Internuntium Apoſtolicum in Belgio. Illud reſponſum ſic habet: *In Congregatione S. Officii coram Eminentiſſimis Dominis, relatis ſupradictis propoſitionibus, & qualificationibus, Eminentiſſimi DD. dixerunt ſignificandum Domino Secretario Sacræ Congregationis Concilii, quod ſuſpenditur cenſura, donec videantur loca, ex quibus ſunt excerptæ propoſitiones, & mutatur folium Eminentiſſimis cenſuræ facta à Qualificatoribus propoſitionum.*

Hæc cum iis rectè concordant, quibus narravi ſuprà, exemplar Articulorum, & Cenſurarum Lovanienſium Romam miſſum non habuiſſe ad marginem adnotata nomina Auctorum, quibus tribuebantur Articuli, uti habebat exemplar datum Jeſuitis, ſaltem quoad multos Articulos.

431. Meritò autem S. Congregatio poſtulavit *videre loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.* Quam enim utilitatem habeat damnare propoſitiones, quas non conſtat eſſe ullius hominis qui vivat, aut vixerit in mundo? Non ſolet S. Congregatio, aut S. Sedes prodigere ſuas cenſuras. Conſtat etiam, Jeſuitas, cum accepiſſent exemplar, in quo Articulis adſcripta erant nomina ſuorum Auctorum, debitè informaſſe S. Congregationem, & conqueſtos eſſe de variis impoſturis. Quare S. Congregatio jure meritiſſimo voluit, *ſuſpendi cenſuras, donec viderentur loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.*

432. Jam verò dubium eſſe non poteſt, quin Sacra Congregatio iis, qui cenſuras Romanas flagitabant, ſignificaverit, *ſuſpendi cenſuras, donec viderentur loca, ex quibus eſſent excerptæ propoſitiones.* Suntne miſſa ad S. Congregationem iſta loca? Concludam S. Congregationem judicaſſe, non eſſe fideliter excerptas propoſitiones, cum non publicaverit illas cenſuras. Si non ſint miſſa ad S. Congregationem iſta loca, argumento id eſt manifeſto, non potuiſſe inveniri Auctores propoſitionum: quare enim alioqui non eſſent exhibiti S. Congregationi; cum hoc unum eſſet in morâ, quo minus publicaret illa Cenſuras Articulorum quorumdam ex iis, quos cenſuraverat facultas Lovanienſis?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Quomodo factum ut Articuli 38. imò 43. fuerint contracti ad ſeptemdecim, qui vulgò circumferuntur, & quibus eſt uſus Sinnichius in ſuo Saule?

433. Cum non eſſet ſpes fore, ut S. Congregatio judicio ſuo confirmaret judicium Facultatis Theologicæ de Articulis 38. (imo 43. ut conſtat ex dictis num. 427.) fertur ſapientiſſimus Archiepiſcopus Mechlinienſis D. Jacobus Boonen judicaſſe, majorem delectum Articulorum adhibendum eſſe. Præſtabit ipſum audire loquentem in epiſtolâ, quam dedit ad Eminent. Cardinales S. Concilii interpretes 17. Julii 1654. „ Quia verò ſuſpicari non potui, alio ipſos prætextu ad ſubterfu-„ giendum uti, quam quia fortè inter cenſuratos Articulos aliqui ſunt, „ quos forſan exiſtimant benignâ interpretatione ſe poſſe in meliorem „ partem trahere, & plauſibilibus argumentis ita ſtabilire, ut non videan-„ tur tam acrem cenſuram mereri, ne multas intricatas diſputationes „ ſine ſpe utilitatis cogerer ingredi, eoſdem Articulos tranſmiſi Facultati „ Theologiæ Academiæ Lovanienſis *maturius expendendos*, ut tantummo-„ do exceptis inde Aſſertionibus, quæ planè evidentis ſunt abſurditatis, di-„ gnâ eos cenſurâ perſtringeret, &, ſi quas alias paris abſurditatis vel ex li-„ bris, vel ex praxi Confeſſariorum comperiſſet, illis excerptis adjiceret, „ prout factum eſt partim 30. Martii, partim 26. Aprilis 1653. dum Aſſer-„ tiones numero ſeptemdecim judicavit *in praxi non tolerandas, & auctoritate* „ *Superiorum meritò prohibendas*.

434. Hic quædam ſunt adnotanda. Primò Quoniam non permoverat S. Congregationem auctoritas *aliquot Eruditorum virorum Diœceſeos Mechlinienſis*, tandem viſum fuit Concinnatoribus epiſtolæ, vocare in ſubſidium nomen Facultatis Theologicæ, ut omnia tentarentur. Secundò non ſatis maturè prius expenderat Articulos Facultas Theologica: Archiepiſcopus rurſus tranſmiſit *maturius expendendos*. Quamquam ſperare poterat Facultas Theologica, hâc re non offendendam S. Congregationem, quia Articuli 38. non erant oblati S. Congregationi tamquam cenſurati à Facultate Theologicâ Lovanienſi, ſed tamquam cenſurati ab aliquot Eruditis viris Diœceſis Mechlinienſis; cum tamen reverà eſſent cenſurati à Facultate. vide dicta n. 415.

Tertiò ex illis Articulis 38. quos prius cenſuraverat Facultas Theologica, ſolum ſunt aſſumpti 12. qui denique judicarentur *plane evidentis abſurditatis*, *& in praxi non tolerandi* &c. His Articulis 12. acceſſerunt illi quinque, de quibus num. 427. ut omnes eſſent numero ſeptemdecim. Hoc certum eſt conferenti Articulos 17. poſterius cenſuratos cum Articulis 38. prius cenſuratis, non niſi duodecim ex triginta octo eſſe relatos inter ſeptemdecim. Factum eſt igitur, ut ex Articulis 38. prius cenſuratis poſteriorem cenſuram evaſerint Articuli 26. omnino.

435. Hinc inferre licet, quod agnoverit Facultas Theologica, Articulos 26. fuiſſe à ſe cenſuratos, quos deinde *Maturius expenſos* judicavit non eſſe *plane evidentis abſurditatis*: alioqui enim, ut obediret mandato Archiepiſcopi, debuiſſet etiam poſteriori cenſurâ illos comprehendere.

Inferre licet rurſus, quod Articulos 26. quos cenſuraverat, re maturius expenſâ, non judicaverit *in praxi non tolerandos*, *& auctoritate Superiorum meritò prohibendos*. Interea nixus auctoritate Facultatis Theologicæ bono zelo plenus Archiepiſcopus, Religioſis à ſe approbandis impoſuit, ut jurarent, *quod à dictorum Articulorum praxi ſibi caverent*, ut ipſe explicat in Epiſtolâ citatâ. Nixus eâdem auctoritate obtulit S. Congregationi Articulos eoſdem cenſurandos. Certè debuiſſet Facultas Theologica, antequam deſcenderet ad primam cenſuram, *maturius expendere* illos Articulos.

Quartò notandum eſt, quod eos fere Articulos Facultas Theologica excluſerit à ſeptemdecim, qui non inveniebantur in libello famoſo calumniatoris Galli, de quo jam ſæpius eſt mentio; omnes verò ſeptemdecim Articuli, ſi paucos excipias, in libello illo inveniuntur. exploremus ſaltem aliquouſque.

436. Primus Articulus ſic habet. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponat emendationem.* Habetur in libello famoſo ſect.4. num.35. pag.29. niſi quod Auctor famoſus non habeat illa verbâ; *dummodo ore proferat ſe dolere.* Articulum Calumniator adſcribit Baunio Tract. 4. de Pœnit. adſcribit item Baunio Facultas Theologica in Exemplari 38. Articulorum Jeſuitis dato: ſed locum non citat. Videtur vero Baunium non legiſſe, niſi forte in libello famoſo. Mirum eſt tamen quod addiderit illa verba; *dummodo ore proferat ſe dolere.* Baunius Tract. 4. de Pœnit. q. 15. diſertè requirit, ut ille pœnitens ſit *contritus, cum propoſito emendandi ſui in poſterum*: Et infrà: *dummodo dolore neceſſario inſtructus ad confeſſionem, vitæ melioris conſilium afferat, de quo Sacerdoti,* QUANTUM FAS EST HUMANITUS, *ex ſignis, aut ejus ore, voceque* CONSTET. Et quæſt. 22. *Si vere eum admiſſorum pœnitet* &c. requirit ibidem *dolorem de peccatis, propoſitum firmum, & ſtabile.* Conſideret Lector

quomo-

Digitized by Google

quomodo his congruat illa clauſula articuli, *dummodo ore proferat ſe dolere:* Baunius non eſt, contentus vocibus ore prolatis, requirit in Confeſſario notitiam *veri doloris & firmi propoſiti quantum humanitus* aſſequi licet.

437. Secundus Articulus ſic habet: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imò directè, & ex propoſito quærit, aut ſe ingerit.*

Invenitur in libello famoſo ſect. 4. num. 28.29. pag. 27. adſcribit illum Calumniator Baunio eodem Tract.4. q. 14. Adſcribit etiam Baunio Facultas. Sed per injuriam, quæ pateſcet ei, qui adire dignabitur Baunium loco citato. Baunius ibi dicit REGULARITER ABSOLVENDUM NON ESSE: requirit verò *dolorem de præteritis, firmum propoſitum, juſtam cauſam non deſerendi occaſionem,* qualem putat *alienam ſalutem* &c. negat hoc eſſe *directè quærere*; multò magis negat, hoc eſſe *ex propoſito quærere*, aut *ſe ingerere*, negabuntque ii Auctores, qui Baunio conſentiunt, quos citavi à num. 276.

438. Hic adnotandum eſt inter Articulos 38. S. Congregationi oblatos, hunc fuiſſe ordine ſecundum: *Poteſt abſolvi femina, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat, ſi eum honeſte non poteſt inde ejicere, aut cauſam aliquam habeat eum retinendi.* Cenſura Facultatis Lovanienſis ferebat, cauſam debere eſſe *graviſſimam*. At verò Qualificatores reſponderunt *Aſſertionem reſtringendam eſſe ad cauſam gravem*. Patet ergò Qualificatorum judicio immunem eſſe à cenſurâ Baunii doctrinam, quam explicui: requiſivit ad minimum cauſam *gravem*, cum requiſivit *juſtam*: verius eſt requiſiviſſe cauſam *graviſſimam*, cum fateatur *regulariter abſolvendum non eſſe*: quia nimirum *regulariter* non occurrit cauſa *graviſſima*: cauſæ, quas ponit pro exemplis, ſalus proximi æterna, & converſio infidelium, ſunt reverâ graviſſimæ. Unde licet conficere, etiam Cenſorum Lovanienſium judicio, Baunii doctrinam eſſe immunem à Cenſurâ. Intereà illi non dubitarunt Articulum à ſe cenſuratum Baunio adſcribere. Adſcripſerat Impoſtor Gallus.

439. Tertius Articulus ſic habet: *Copula cum conſanguineâ conſentiente marito non eſt adulterium. Et Mollities, Sodomia, Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, adeoq; ſufficit in confeſſione dicere* &c. Prima pars extat in libello famoſo ſect. 3. num. 10. pag 13. Calumniator Gallus eam adſcribit cuidam Jeſuitæ in genere. Quare Facultas Theologica nulli Auctori eam adſcribit. Poſteriorem partem de mollitie, ſodomia &c. Facultas Theologica invênit proprio marte: quare diſtinctè citat locum Auctoris, hoc eſt Caramuelis lib.4. pag 411.

440. Nimis longa fieret hæc tela. Dicamus paucis. Quartum Articulum Impoſtor Gallus delineavit ſect. 4. num. 19. p. 24. Quintum Articulum obtulit idem ſect. 3. num. 19. p 16. Sextum Articulum Sect. 3. num. 7. p. 12. Septimum Articulum non obtulit Impoſtor Gallus, ſed Hiſpanus

Digitized by Google

nus Gregorius Eſclapez Articulo 69. Hujus impoſturas ſuppreſſit Inquiſitio Hiſpanica. Idem de octavo Articulo Lector intelligat. Nonum Articulum prompſit Impoſtor Gallus toties memoratus ſect. 3. num. 8. p. 13. Obtulit idem Articulum decimum quartum, decimum quintum, decimum ſextum, decimum ſeptimum. Sed jam horum me tœdet.

CAPUT VI.

De Articulis 26. ad inſtantiam, ut prætenditur, Illuſtriſſimi Gandenſis Epiſcopi Antonii Trieſt cenſuratis à Facultate Theologica Lovanienſi.

441. Etjam horum Articulorum cenſuras identidem oſtentat Sinnichius. Eſt ergo de his quoque docendus Lector.

Cum Sacra Congregatio detrectaret judicium ferre de illis Articulis, quos cenſuratos à Facultate Theologicâ Lovanienſi miſerat Illuſtr. Archiepiſcopus Mechlinienſis; idque vel quia non mittebantur loca, ex quibus erant excerptæ propoſitiones, vel quia judicabantur non fideliter eſſe excerptæ, ut explicui à num. 430. Cumque hoc pacto S. Congregatio ſatis oſtenderet, non probari ſibi cenſuras illas, modumve cenſurandi, fruſtrati expectatione ſuâ Cenſores animum adjecerunt novis cenſuris, iiſque multò grandioribus, quam fuerant priores, ut mox patebit. Rem paulò altius repetamus.

442. Dicitur Illuſtr. Epiſcopus Gandavenſis Antonius Trieſt non multo ante mortem miſiſſe ad Facultatem Theologicam Lovanienſem cenſurandos Articulos 26. qui vulgò circumferuntur hoc nomine. Circumfertur etiam epiſtola Epiſcopi cenſuras petentis. Puto quod nihil detraherem exiſtimationi tantorum Præſulum, ſi hîc miſcerem quaſdam animadverſiones in Epiſtolam iſtam, ſimulque in eam, quæ ab Illuſtr. Archiepiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen ad S. Congregationem data eſt: quia conſtat bono zelo impulſos Epiſcopos, non bonis, & ſynceris conſultoribus uſos eſſe ad ſcribenda non pauca. Hoc mihi oſtendere eſſet res facillima; ſed volo omnino cavere, ne vel ſpecie quâdam minoris reverentiæ erga ordinem tam ſacrum offendatur Lector.

443. Quod tamen omnino facit ad confirmationem narrationis, quam præmiſi de Articulis prius cenſuratis à Facultate Theologicâ, pertinetque ad intelligentiam Hiſtoriæ de Articulis 26. de quibus jam eſt ſermo, non omittam delibare pauca ex epiſtola, quam dicitur Gandavenſis Epiſcopus

Digitized by Google

ad Facultatem Theologicam Academiæ Lovanienſis dediſſe 9. April. 1657. In ipſo exordio loquens de Articulis prius cenſuratis, miſſiſque ad ſacram Congregationem, „ Eminentiſſimi Patres, inquit, zelum atque pruden-„ tiam, ut ACCEPIMUS, ſummopere laudarunt, & renuntiarunt, dictas „ propoſitiones à ſe remiſſas ad S. Congregationem Generalis Inquiſitio-„ nis examinandas, & qualificandas, ut eo peracto opportunè tanto malo „ proſpiceretur. Remedium illud Chriſtianæ religioni, & Eccleſiaſticæ „ diſciplinæ perneceſſarium hactenus expectatum eſt, nondum tamen ob-„ tentum. Intereà experimur ſummo animi noſtri, & proborum omnium „ dolore nimiam illam quorumdam recentiorum licentiam in excogitan-„ dis vanis, & inutilibus quæſtionibus &c. Reliquâ fere Epiſtolâ exaggeratur iſta licentia recentiorum, uſque adeò, ut dicantur quidam docere, auctoritatem unius Doctoris probi, & docti reddere opinionem probabilem, & hanc unicuique licitum eſſe, *etiam reluctante conſcientiâ*, *ſequi.* Quinam illi ſint ego neſcio. Sed ad narrationem.

Patet ex his, priores Articulos Lovanii cenſuratos, miſſoſque ad S. Congregationem Concilii Tridentini, datos eſſe Qualificatoribus S. Congregationis Gen. Inquiſ. *examinandos*, *& qualificandos.* Sed non explicat Epiſtola, reipsâ *examinatos*, *& qualificatos fuiſſe*, neque quid cauſæ fuerit, cur *remedium Chriſtianæ religioni, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ perneceſſarium hactenus expectatum ſit, nondum tamen obtentum.*

444. Sed optimæ intentionis Epiſcopus providè interpoſuit clauſulam hanc, UT ACCEPIMUS. Plus non acceperat; quia plus illi non dixerant, qui fortaſſe potuiſſent. Si accepiſſet omnia, puto ſcripturum ſic fuiſſe: „ Eminentiſſimi Patres dictas propoſitiones à ſe remiſſas ad S. Congrega-„ tionem Generalis Inquiſitionis, examinandas, & qualificandas, renun-„ tiarunt quoque, examinatas, & qualificatas fuiſſe. Renuntiarunt non „ paucas eſſe exemptas omni cenſurâ. Renuntiarunt de cætero expectari „ loca, ex quibus ſunt excerptæ propoſitiones, quæ non ſunt exemptæ „ cenſurâ: Hæc loca ſi miſſa ſint, oportet non fideliter fuiſſe excerptas „ propoſitiones: ſi non ſint miſſa, oportet non potuiſſe inveniri loca, ex „ quibus ſunt excerptæ propoſitiones. Quare cavete diligenter, ne horum „ propoſitionum, quas mitto, ullam cenſuretis, niſi locum oſtenderitis, ex „ quo ſit excerpta, & niſi diligenter conſideraveritis contextum integrum, „ ex quo eſt excerpta: ego enim Propoſitiones eaſdem ad S. Sedem trans-„ mittam: eſſet autem indecorum, & Facultati Theologicæ, & Epiſcopali „ auctoritati, mittere ad S. Sedem propoſitiones à vobis cenſuratas me „ rogante, neque exhibere loca, unde ſint excerptæ, aut exhibere quidem; „ ſed non fideliter eſſe excerptas: quorum alterutrum prius factum eſt. Sic, niſi fallor, ſcripſiſſet optimus Epiſcopus, ſi illi, à quibus ſe ait

Digitized by Google

acceptiſſe, quæ refert, narraſſent ipſi omnia.

445. Uno fere menſe ab acceptâ commiſſione, hoc eſt 4. Maij 1657. Facultas Theologica ſtrenuè obſecuta eſt Epiſcopo: cenſuravit Articulos 26. valde elaboratis verbis, ut poſtea videbimus. Quam operam adhibuerit, ut inveſtigaret Auctores ſingulorum Articulorum, mihi non conſtat, Sinnichius in ſuo Saule conatus eſt aſſignare quorumdam Articulorum Auctores, ſed fere irrito conatu, ut conſtabit infrà: multorum Articulorum ne quidem tentavit Auctores aſſignare, horum ſaltem Jeſuitam Auctorem nullum eſſe ab illo inventum ſecurus eſſe poteſt Lector. Sed de his mox ex profeſſo.

Notandum eſt, quod in fine Epiſtolæ ad Facultatem Theologicam Gandenſis Epiſcopus ſignificet, ſe eas propoſitiones, quas Facultas judicaſſet *in praxi pernicioſas*, *ad S. Sedem tranſmiſſurum*, ſi hoc ipſi Facultati *operæ pretium, aut neceſſe videretur*. Conſtat verò id fuiſſe viſum operæ pretium Theologicæ Facultati: quia in eâ Epiſtolâ, quam cenſuris ſuis præfixit, ſignificat, *omnes ſe in eâ unanimiter eſſe ſententiâ, Præſulum Eccleſiæ eſſe à ſuis diœceſibus eliminare dogmata Articulis contenta: recurrendo etiam in iſtum finem ad S. Sedem, eique ſupplicando* &c.

446. Quare dubitari non poteſt, quin Illuſtr. Epiſcopus Articulos illos 26. miſerit ad S. Sedem. Hic mihi eſt obſcurum, an ad S. Sedem miſſis Articulis adjunxerint Auctores, & loca, unde eſſent excerpti. Si non adjunxerint, mirum eſt; cum id deſideratum eſſet in Articulis prius miſſis ad S. Congregationem. Si adjunxerint, credibile rurſus eſt, judicatum fuiſſe à S. Sede, non eſſe fideliter excerptos. Hoc certum eſt, nullum effectum habuiſſe miſſionem illam Articulorum ad S. Sedem.

Dubitari, inquam, non poteſt, quin ad S. Sedem miſſi ſint Articuli; niſi tamen mors importuna optimi Antiſtitis hanc cogitationem præverterit: quia non multo tempore à datis Lovanij cenſuris è vivis exceſſit ille; die ſcilicet 28. Maij 1657. cum Cenſuræ ſint datæ 4. Maij ejuſdem Anni. Imò teſtantur quidam, cenſuras non prodiiſſe in publicum, niſi jam mortuo Epiſcopo; quod ſi eſt verum, res eſt obnoxia ſiniſtris ſuſpicionibus.

CAPUT

CAPUT VII.

Quantò moderatius, & ſapientius procedat S. *Sedes in ferendis cenſuris Articulorum pertinentium ad mores, quam proceſſerit Facultas Theologica Lovanienſis.*

447. EXperientiâ conſtat, non rarò habuiſſe malum ſucceſſum cenſuras publicas Facultatum Academicarum contra doctrinam Auctorum Catholicorum ab Eccleſia toleratorum. Videtur ergo hoc non eſſe proprium munus ipſarum. Ego quidem malo audire judicantem S. Sedem. Certè hæc multò dexterius, maturius, moderatius, ſapientius exercet illud munus: ita ut ex ipsâ moderatione, & circumſpectione liceat colligere, hoc eſſe proprium munus ipſius. Libet exhibere quædam ſpecimina ſumpta ex Articulis cenſuratis à Facultate Theologicâ Lovanienſi, atque ex Articulis cenſuratis ab Alexandro VII.

448. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ Lovan. quintus hic eſt: *Licitum eſt occidere calumnioſum actorem, teſtes, & injuſtum Iudicem ad ſervandam vitam, honorem, vel res familiares.*

Articulus huic ſimilis ex 45. damnatis ab Alexandro VII. decimus octavus hic eſt: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.* Multo cautius his potiſſimum verbis conceptus, Articulus proponitur, ab Alexandro VII.

Audiamus cenſuram Facultatis Theologicæ: *Abominanda, execrandaque aſſertio, Aſſaßinatibus, ſicariatibus, aliiſque publicis Iuſtitiæ Miniſtris, quin & ipſis quoque principibus præſentiſſimum procreans periculum.*

Quid autem Summus Pontifex Alexander VII.? *Prædicta propoſitio, ut minimum tamquam ſcandaloſa, eſt damnanda, & prohibenda.* Tum verò pœnas conſtituit eam docentibus, practicantibus &c. Ego in hoc modo reprobandi propoſitionem percipio quamdam moderationem dignam Majeſtate Pontificiâ, quæ moderatio ipſa per ſe magis me movet, quam alia multa grandia verba.

449. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ undecimus hic eſt. *In causâ æquali poteſt Iudex aliquid ab unâ partium accipere, ut ſententiam in ejus favorem ferat.*

Articulus huic ſimilis ex 45. damnatis ab Alexandro VII. vigeſimus ſextus hic eſt: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferendâ ſententiâ in favorem unius præ alio.*

Audiamus cenſuram Lovanienſem: *Aſſertio falſa eſt, Iuſtitiæ perverſiva, & inhumanibus, ac quotidianis corruptelis viam ſternens.*

Quid Summus Pontifex Alexander VII.? *Propoſitio ut minimum tamquam ſcandaloſa eſt damnanda, & prohibenda.*

450. Articulus inter 26. cenſuratos à Facultate Theologicâ vigeſimus ſextus hic eſt. *Auctoritas unius Doctoris probi, & docti reddit opinionem probabilem.*

Articulus huic ſimiles ex 45. damnatis ab Alexandro VII. vigeſimus ſeptimus hic eſt. *Si liber eſt alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ, tamquam improbabilem.* Multo ſapientius his potiſſimum verbis conceptum articulum damnavit Alexander VII.

Sed Lovanienſem cenſuram audiamus: *Aſſertio pernicioſa eſt, & innumeras abſurditates invehens in omni materiâ doctrinæ moralis.*

Quid autem Summus Pontifex Alexander VII.? *Propoſitio ut minimum tanquam ſcandaloſa eſt damnanda, & prohibenda.* Hâc moderatione, & gravitate expreſſa cenſura efficacius influit in animos piorum fidelium. Si quem minus pium illa non moveret, ſequuntur pœnæ, quibus poſſit terreri. Sic expedit profecto, munus damnandi Articulos Chriſtianæ diſciplinæ pernicioſos, eſſe conjunctum cum poteſtate puniendi eorum patronos: expedit quoque in Cenſore hujuſmodi Articulorum eſſe Auctoritatem quandam doctrinæ, quæ ſit major quam humana, ne ii Theologi, quorum illi ſunt Articuli, jungant ſe, latamque cenſuram contrariâ cenſurâ nihilo minoris Auctoritatis elidant.

CAPUT VIII.

An vel Theologica Facultas Lovanienſis ſuis cenſuris Articulorum, vel Doctor Sinnichius ſuo Saule Exrege aliquid contulerint, ut Alexander VII. Damnaret 45. Propoſitiones.

451. Conſtat, paucos quoſdam Articulos reprobatos à Facultate Theologicâ Lovanienſi, multis poſt annis damnatos itidem fuiſſe inter illas propoſitiones 45. quas in Congregatione S. Inquiſitionis proſcripſit Alexander VII. 25. Septemb. 1665. & 18. Martii 1666. conſtat quoque ex iis quoſdam improbatos fuiſſe à Sinnichio in ſuo Saule.

Per

Digitized by Google

Per ſe patet, hoc non eſſe ſatis, ut vel Theologica Facultas, vel Sinnichius dicatur aliquid ſpecialiter contuliſſe ad Decretum illud Alexandri VII. Eodem, imò majori jure contendam, ſcriptis Franciſci Suarez, Thomæ Sanchez, & ſimilium ſcriptorum (etiam Thomæ Tamburini, ſi placet) ſpecialiter motum fuiſſe Pontificem, ut decretum illud conderet: vix enim mihi ſcriptorem oſtendas iſtius generis, qui non reprobaverit ex illis propoſitionibus multò plures, quam Theologica Facultas, vel Sinnichius: vix etiam, qui non multò efficacius ſingulas, & majori auctoritate, quam Sinnichius.

452. Et tamen cum primum prodiit Alexandri decretum præfatum, audire licuit jactationem quorumdam Sinnichio plaudentium, quaſi viam præluxiſſet Pontifici. Idem ſibi videtur perſuaſiſſe, qui præfationem ſcripſit ad Vindicias Decalogicas: cum enim feciſſet mentionem Alexandri VII. dolentis in ſuo decreto de compluribus opinionibus Diſciplinæ Chriſtianæ relaxativis, mox Sinnichium indigitans, ſubjungit hæc magnifica: OPUS FUIT FORTI, ET APOSTOLICÆ SEDI OBSECUNDANTE CONTRA TOT MONSTRA HERCULE, *qui gemina Theologiæ telis confoderet, & vinceret tales novantium libros ..... Vnum pro millibus invenit ætas noſtra Sinnichium, in quo quid primum ſtupeas, neſcias.* Credat mihi ille Præfator; non Cenſoribus iſtis OPUS ERAT Apoſtolicæ Sedi. Eſt etiam oratio illa parum honorifica Apoſtolicæ Sedi. Verendum ſcilicet, ne ruitura fuiſſet Eccleſia; niſi, ut in fabulâ Hercules Athlanti, ſic Apoſtolicæ Sedi Sinnichius obſecundaſſet: *Opus fuit Apoſtolicæ Sedi abſecundante* hoc *Hercule.*

Sed nos Lectori explicemus, quâ occaſione motus Alexander VII. reprobaverit propoſitiones 45. Conducet etiam explicatio, ut intelligamus, non eſſe proprium munus privatorum Doctorum, aut Facultatum Theologicarum cenſurare doctrinas Scriptorum.

453. Facultas Theologica Pariſienſis graviter exceſſerat in cenſurandis propoſitionibus deſumptis ex quodam libro Amadæi Guimenij, itidemque in cenſurandis aliis propoſitionibus deſumptis ex libro quodam Jacobi Vernantii. Multum diſplicuit exceſſus ille Alexandro Papæ VII. Exceſſum explicat ipſe dolenter in bullâ, quæ incipit, *cum ad aures*, editâ 7. cal. Junij 1665. quâ cenſuras ipſas caſſas, & irritas declarat. Juvabit verba ipſa Pontificis exhibere: Cum, inquit. ad aures noſtras „pervenerit, duos prodiiſſe libros, quorum alteri titulus eſt; *Cenſura* „*Facultatis Theologicæ in librum* cui titulus *La deffenſe de* N. S. P. *le Pape* „*&c.* Alteri verò titulus eſt *Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſ in librum*, cui titulus eſt; *Amadæi Guimenij Lomarienſis opuſculum* &c. in quibus li„bris cenſurâ præſumptuoſâ notantur aliquæ Propoſitiones, eæque præ-

„ſertim, quæ ad Rom. Pontificis, & S. Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, „Epiſcoporum juriſdictionem, Parochorum Munus, Privilegia à S. Sede „conceſſa, Diſpenſationes Apoſtolicas, *Actionumque moralium regulam per-„tinent*, & aliæ; quæ & *graviſſimorum auctoritate Scriptorum*, & perpetuo „Catholicorum uſu nituntur ..... Nos pro Apoſtolico munere, quo, „licet immeriti, fungimur &c. motu proprio, & ex certâ ſcientiâ no-„ſtrâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præfatas cenſuras, uti „præſumptuoſas, temerarias, atque ſcandaloſas auctoritate Apoſtolicâ „damnamus. & pro damnatis haberi volumus, eaſquè nullius valoris, „& roboris fuiſſe, ſed caſſas, & irritas eſſe declaramus &c.

Sub finem Bullæ ſibi reſervat judicium Pontifex. *Cæterum*, inquit, *ulterius de præfatis cenſuris judicium, deque opinionibus in prædictis libris Iacobi Vernant, & Amadæi, Guimenij &c. nobis, ac S. Sedi Apoſtolicæ reſervamus.*

454. Ad hæc & ſuperiora verba Pontificis adnoto pauca. Primò Facultates Theologicas non eſſe infallibiles in ſuis judiciis, & poſſe proſilire ad *cenſuras præſumptuoſas*, *temerarias*, & *ſcandaloſas*. Secundo Pontificem, cum reprehendit Cenſuras propoſitionum *Ad actionum moralium regulam pertinentium*, videri alludere ad quaſdam propoſitiones ex iis, quas cenſuraverat Facultas Pariſienſis, pertinentes ad uſum opinionis probabilis. Tertio valde cavendum eſſe hujuſmodi Cenſoribus, ne notent eas propoſitiones, *quæ graviſſimorum auctoritate Scriptorum nituntur*: in quo notabiliter exceſſiſſe Doctorem Sinnichium, patuit ſuprà locis variis. Quartò Pontificem merito reſervaſſe ſibi judicium de propoſitionibus, quas habebant prædicti libri, & poſteà duobus decretis ſuprà memoratis reipsâ de illis judicaſſe.

455. Atque ex his pateſcit, quâ occaſione motus Pontifex reprobaverit 45. Propoſitiones. Volebat oſtendere Facultati Pariſienſi, totique Orbi Chriſtiano, eſſe ſui muneri, ferre hujuſmodi cenſuras, quod fecit majori delectu, & judicio, quam illa præſtiterat, excerpendo ex libro Guimenij propoſitiones 20. & amplius fere ad verbum: non tamen Propoſitiones Guimenij; ſed quas ille oſtenderat per injuriam impactas eſſe Ieſuitis à calumniatore Anonymo, & Gregorio Eſclapes, vel occaſione hujuſmodi calumniarum oſtenderat traditas eſſe ab aliis Theologis.

456. Pateſcit quoque, nihil ſibi laudis poſſe vindicare aut Facultatem Theologicam Lovanienſem, aut Doctorem Sinnichium præ cæteris Theologis paſſim, qui & multò plures ex propoſitionibus iilis improbarunt jam pridem, quam illi fecerunt, & efficacius refutarunt, quam Sinnichius: Paucas ex illis Facultas tetigit: non multas Sinnichius refutavit; & illæ ipſæ aliis fere verbis expreſſæ extant in Alexandri decreto:

ſed

Digitized by Google

ſed & alios Theologos ſibi æſtimatiores, quos conſulerent, habebant ad manum illi S. Theologiæ Magiſtri, quorum ſe conſilio uſum profitetur Alexander. Abeſt igitur longiſſimè à vero, Summo Pontifici Alexandro VII. *opus fuiſſe forti, & Apoſtolicâ Sedi obſecundante contra tot monſtra Hercule Sinnichio.*

CAPVT. IX.

Glorioſæ Hallucinationes Sinnichij contendentis Cenſuram Lovanienſis Scholæ aliquid contuliſſe ad ſuſpenſionem unius è Tomis Franciſci Amici.

457. SInnichius Saulis Exr. cap. 110. pag. 460. in Vind. cap. 23. pag. 317. & ſeq. dum gloriatur de cenſuris Lovanienſibus contra doctrinam Franciſci Amici non uno modo eſt hallucinatus.

Primò ſupponens, Amicum abſolutè docuiſſe, *licere Clerico, vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetat.* Gloriatur *iſtam Amici Doctrinam ab univerſâ Facultate Theologicâ Lovanienſi pridem fuiſſe reprobatam, eâque occaſione per Senatum Regium expungi in editione Antverpienſi juſſam.*

Hæc ſaltem eſt hallucinatio, quatenus illa dicitur abſolutè doctrina Amici, ut patuit num. 192. 193.

458. Quod attinet ad juſſionem illam Senatus Regij, longam de illa, narrationem Lovanio acceptam ſuis Notis intexuerat Wendrockius Janſeniſta celebris. Ejus adverſarius Stubrockius in Notam unicam Epiſt. 13. hæc repoſuit pag. 196.

„Subnectis deinde longam Hiſtoriam de cenſurâ Lovanienſium, & de „ſupremi Brabantiæ Concilij decreto .... Sed quorſum placuit eam „tam prolixè referre? nempe ut omnibus palam eſſet, quanta vos inter, „& Lovanienſes Ianſenianos jam pridem interceſſerit communicatio, & „ quanti facias quinque vel ſex Doctorum Ianſenianorum cenſuram ;... .... adverſus unum è Jeſuitis. At, dic candide, amabo, ecquid „cauſæ fuerit, quare nullam feceris mentionem Decreti Romani 6. Julij „Anno 1655. à Sacrâ Indicis, ut vocant, Congregatione editi, quo non „omnia, quæ Lovanienſes proſcripſerant, jubentur expungi? Quid fundamenti habuerit ille Stubrockius ad ſcribenda hæc omnia; ego non decerno: licuit tamen mihi illa exſcribere, ut Lector ſtatuat, quantum illis tribuendum videatur.

459. Subnecto his partem Epiſtolæ Bruxellis datæ 22. Julij 1672. à viro eximij candoris, atq; illarum Hiſtoriarũ peritiſſimo. Verba Epiſtolę hæc ſunt.

„Verum eſt impreſſioni ſecundæ Antverpienſi (ea, agente, „& frequenter huc excurrente P. Martino L' Hermite Profeſſore

,, feſſore Duaceno , cœpta erat) remoram fuiſſe injectam à
,, Concilio Brabantiæ. Memini, id me intellexiſſe ex P. Adriano Crom-
,, mio, qui iſti negotio accommodando deputatus erat, curavitque ea
,, omitti, quæ tunc Concilium Brabantiæ omitti volebat, eò quod non
,, videbatur conſultum, ut cum totis viribus ageretur de capitali negotio
,, Janſenii; nempe de publicatione bullæ Urbani VIII. ea, quæ in Pa-
,, tre Amico ab Adverſariis, accuſabantur, ſuſciperentur defendenda;
,, præſertim cum tunc Cenſorem librorum is ageret, qui veroſimiliter à
,, Fromondo, olim ſuo in Philoſophiâ Magiſtro, diverticuli quærendi
,, causâ, ad hanc actionem erat excitatus. Unde etiam veroſimile eſt, ſal-
,, tem cum à Wendrockio aſſeratur, & teſtimonio litterarum comprobe-
,, tur, negari ſine ſolido fundamento non debere, interveniſſe cenſuram
,, Facultatis Lovanienſis &c.

460. Hic ego volo ſuccurrere Sinnichio. Cum enim articulus doctrinam continens, quam affingit Amico, ſit unus ex ſeptemdecim cenſuratis à Facultate Lovanienſi anno 1653. atque occaſione cenſuræ ejusdem Facultatis factum dicat, ut Senatus Regius doctrinam expungi juberet in Antverpienſi editione operum Amici, verendum, ne quis exiſtimet, teſtimonio Sinnichii, cenſuram anni 1653. dediſſe accaſionem expunctioni factæ anno 1650.: iſto enim anno edita ſunt Antverpiæ opera Amici.

Sed recte monet poſtea *Epiſtola* jam citata, potuiſſe ſæpius eundem Articulum cenſurari: hoc enim non poterat nocere. Imò conſtat mihi ex eo Exemplari Articulorum 38. quod communicatum Jeſuitis ab Illuſtr. Archiepiſcopo ſuprà dixi, propoſitionem illam fuiſſe cenſuratam â Lovanienſi Scholâ Anno 1649. & locum accepiſſe inter Articulos 38. de quibus ſuprà. Sed Doctor Sinnichius de cenſuris 39. prioribus Anno 1653. non libenter faciebat mentionem; autumo quia ſciebat non fuiſſe factas cum debitâ deliberatione: unde & non paucas ex illis reformarunt Qualificatores Romani, ut vidimus à num. 421. Et Illuſtriſſimus Archiepiſcopus cum videret, eas Romæ non probari, Articulos remiſit ad Facultatem MATURIUS EXPENDENDOS, ut vidimus num. 433. Facultas verò cum expendiſſet illos maturius ex Articulis 38. à ſe prius cenſuratis eliminavit Articulos 26. omnino, eoſque cenſuit non videri ſibi *evidentis abſurditatis*, ut patuit num. 435.

461. Notandum eſt etiam, quod ne quidem illi duo Articuli, quos num. 412. cenſuratos dixi Anno 1649. (horum primus continebat doctrinam Amico adſcriptam, de quâ jam eſt mentio) cenſurati fuerint ſatis maturo conſilio: quia Anno 1653. *maturius expenſis* Articulis, neuter ſimpliciter eſt relatus inter Articulos ſeptemdecim: ſecundus enim ſimpliciter omiſſus eſt: prior notabiliter mutatus, cum enim Articulus trigeſi-

mus

Digitized by Google

mus ſeptimus inter triginta octo ſic haberet; *Non ſolum licitum eſt defendere, quæ actu poſſidemus &c.* Articulus decimus tertius inter ſeptemdecim ſic habet: *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus &c.* Hanc additionem *defenſione occiſivâ* non poſtulabat doctrina Amici, ut oſtendi num. 168.

Quare circumſpectè Sinnichius glorians, doctrinam Amici, quam vocat, *ab universâ Facultate Theologicâ Lovanienſi pridem fuiſſe reprobatam, eâque occaſione expungi in editione Antverpienſi juſſam*, noluit expreſſam facere mentionem Cenſuræ latæ Anno 1649. maluitque periculum ſubire, ne Lector illa ſic acciperet, quaſi dicta eſſet Cenſura Anni 1653. aliquid contuliſſe ad expunctionem factam anno 1650. cum enim frequentiſſimam faciat mentionem de Cenſuris anni 1653, nuſquam verò quod ſciam, de Cenſuris prioribus, cumque articulus, de quo loquitur ſit inter 17. cenſuratos anno 1653. valde erat natum fieri, ut incautus Lector illa ſic acciperet, ac ſi Cenſura anni 1653. aliquid diceretur contuliſſe ad expunctionem factam anno 1650.

462. Secundò gloriatur Sinnichius loco citato, librum Amici eſſe prohibitum à Cenſoribus Romanis, movente ad hoc cenſurâ, quam de ejus doctrinâ tulerat Facultas Theologica Lovanienſis. Demus ejus verba: „ Certè, inquit, articulus hic ſuprà ſub littera K. exhibitus pernicioſam, ac plane „ ſanguinariam continet doctrinam, atque idcirco articulus ipſe à Scholâ „ Theologicâ Lovanienſi die 26. Aprilis 1653. reprobatus eſt inter ſeptem„ decim, quos ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis cenſuit *non tole„ randos in praxi, & auctoritate Superiorum meritò prohibendos* Quapropter cum „ idem Archiepiſcopus cenſuram illam Scholæ Lovanienſis Romanis „ Cenſoribus anno proximo communicaverit, & Romana Cenſura de„ mum anno 1655, Tomum illum Amici interdixerit, minimè dubitan„ dum eſt, utrumque articulum Romanis diſplicuiſſe, & tam unius, quam „ alterius intuitu, librum Amici ab iiſdem interdictum fuiſſe. Utrumque ſcilicet articulum cenſuraverat Facultas Lovanienſis.

Notet Lector glorioſam conſequentiam. Romani Cenſores anno priori, quam interdicerent librum, viderant utrumque articulum cenſuratum à Scholâ Theologicâ Lovanienſi: ergo *minimè dubitandum eſt* utriuſque cenſuræ intuitu librum Amici ab iiſdem fuiſſe interdictum.

Iſta conſequentia non eſt firma, ut per ſe patet & magis patebit ex dictis ſupra ubi oſtendi ex Articulis 38. quos etiam prius, quam illos ſeptemdecim, miſerat Archiepiſcopus, non paucos à Qualificatoribus Romanis declaratos eſſe immunes cenſurâ, tametſi cenſuratos à Scholâ Theologicâ Lovanienſi.

463. Sed neq; antecedens argumentationis Sinnichianæ ſubſiſtit. Nimis ſi-

 bi

bi complacens Sinnichius in cenſuris ſuæ Scholæ Theologicæ erravit miſerè affirmans librum Amici interdictum eſſe Anno 1655. hoc eſt Anno poſt, quam Lovanienſem cenſuram Articulorum 17. Romam miſiſſet Archiepiſcopus. Interdictus eſt liber multò prius, quam vel miſiſſet cenſuram Archiepiſcopus, vel eſſet lata cenſura à Scholâ Theologicâ Lovanienſi. Miſſa Romam eſt cenſura Anno 1654. lata eſt cenſura Anno 1653. ut fatetur Sinnichius: Interdictus verò eſt liber Amici Anno 1651. die 18. Junii, & non Anno 1655. ut temere affirmat. De hâc re extat decretum ipſum S. Congregationis, omnibus obvium inter decreta adnexa Indici librorum prohibitorum juſſu Alexandri VII. edito. Ruit ergo fundamentum vanæ gloriationis. Cenſura lata à Scholâ Theol. Lovan. Anno 1653. miſſa Romam Anno 1654. nihil potuit conferre ad interdicendum librum Anno 1651. Hæc ſunt clara. Eodem ſcilicet Anno interdictus eſt liber Franciſci Amici (donec corrigeretur) quo abſolutè ſunt proſcripta quædam edicta Archiepiſcopalia, quibus condendis, qui Auctores fuerint, Deus judicabit.

464. Commiſeratione digna eſt occaſio quâ inductus eſt in iſtum errorem. Audiamus ipſum loco citato: *Refert quidem*, inquit, *Caramuel in ſuâ Theologiâ Fundam. num. 1575. & 1577. editionis Lugdunenſis Anni 1657. Tomum iſtum Franciſci Amici fuiſſe Romæ Anno 1655. interdictum: ſed aliam tamen iſtius interdictionis cauſam memorat &c.*

Caramuel iſto num. 1575. quem citat Sinnichius, nihil habet, quo affirmet, vel affirmare videatur per umbram, librum Amici fuiſſe interdictum Anno 1655. At Caramuel num. 1577. quem etiam citat Sinnichius, habet aliquid, quo id non affirmavit quidem, ſed affirmare viſus eſt Sinnichio: legerat enim, retulitque in ſuum Saulem hæc verba Caramuelis: *Poſſet iſtam opinionem aliquis ſub duobus temporibus conſiderare, & dicere Anno illam 1650 à tot Theologis fuiſſe defenſam, ut dici debuerit probabilis: at eandem* HOC ANNO *1655. cum rejecta ſit à Romanis Cenſoribus, & propter illam fuerit Amici liber (alias doctiſſimus, & ſolidiſſimus) ab Eccleſiâ interdictus, eſſe omnino improbabilem.* Hæc verba Caramuelis ſufficiebant Sinnichio, ut ſine dubitatione affirmaret librum Amici eſſe interdictum Anno 1655. & fundamentum hoc poneret ſuæ gloriationi de cenſurâ ſuæ Scholæ, quâ moti eſſent Cenſores Romani ad Reprobandum librum Amici. Mirum eſt: quia verba Caramuelis nihil minus poſtulabant. Dicit opinionem *hoc anno eſſe improbabilem*: interponit rationem; *cum rejecta ſit à Romanis Cenſoribus &c.* Non dicit, *hoc anno* rejectam eſſe: dicit *hoc anno 1655.* quo iſta ſcribebat, opinionem eſſe improbabilem. Neque refert, quod epiſtola, in quâ hoc ſcribit Caramuel, ſit data Anno 1656. hoc inprimis Sinnichium nihil juvat: deinde epiſtola continet longum tractatum Theologicum, eſtque verius liber, quam epiſtola: in principio epiſtolæ dicit,

Digitized by Google

cit Caramuel *Hoc Anno 1655 &c.* unde conſequens eſt Tractatum illum cœptum eſſe ſcribi à Caramuele Anno 1655. abſolutum eſſe Anno 1656. in quo nihil eſt miri.

465. Oſtendi nullam eſſe conſequentiam formatam à Sinnichio; *Cenſores Romani viderant articulos Amici cenſuratos à Scholâ Theol. Lovan. ergo librum Amici reprobarunt propter illos Articulos.* Oſtendi etiam Antecedens eſſe falſum. Jam oſtendo falſum eſſe conſequens, ut ut ſit de Antecedente, & conſequentiâ.

Affirmat Sinnichius librum Amici reprobatum eſſe à Cenſoribus Romanis non ſolum ob hunc Articulum; *Licet Clerico, vel Religioſo gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere &c.* (quem Articulum Amicus non docuit abſolute, ut oſtendi) ſed etiam ob hunc: *Non ſolum licitum eſt defendere, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus &c.* Probat Sinnichius; quia etiam hujus articuli Cenſuram Lovanienſem viderant Romani Cenſores: hoc oſtendi non ſubſiſtere; nunc poſitive demonſtro conſequens ipſum eſſe falſum.

466. Anno 1651. liber Amici prohibitus eſt, *donec corrigeretur*: hactenus non conſtat, quid corrigi voluerit S. Congregatio, neque adeò ob quam doctrinam interdictus ſit liber. Conſtabit hoc, ut puto, ſi inſpiciamus decretũ S. Congr. quo corrigi mandat librũ Amici. Decretum ergo hoc inſpiciamus.

Anno 1655. die 6. Julii prodiit à S. Congregatione Indicis decretum
,, hujus tenoris: Eminent. ac Rever. DD. correctioni quinti Tomi Curſus
,, Theol. P. Franc. Amici Soc. Jesu ultimam manum imponere volentes, au-
,, ditis Relatoribus, juſſerunt expungi ultimam partem Sect. 7. Diſp. 36. ubi
,, agitur de damno injuſtè illato in bona corporis, ejuſque compenſatione,
,, id eſt, aut auferri in novis impreſſionibus aut obliterari in impreſſis, totum
,, illud, quod continetur intra lineas, illam; *cæterum etſi verum ſit, nullum dede-*
,, *cus eſſe*, atque illam; *maturo judicio relicto penes prudentem lectorem.* Sicque
,, correctum, atque emendatum iidem Eminentiſſimi ac Rever. DD. Serva-
,, tis alias ſervandis, iterum imprimi ac evulgari permiſerunt &c.

Ecce non jubetur fieri correctio niſi unius loci in fine Sect. 7. Diſp. 36. Atqui Articulus, ſive locus, quo docuit Amicus, non ſolùm *licitum eſſe defendere, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus &c.* Non habetur in fine illius Sect. 7. ac ne quidem in Section. 7. Sed in Sectione 8. n. 131.

467. Hinc infero Primò, librum Amici non fuiſſe prohibitum propter illum Artic. ut putavit Sinnichius: fuit enim prohibitus propter quædam, quæ volebat corrigi, aut tolli S. Congr. atqui Art. illum non voluit corrigi, aut tolli: quia poſtea plenam adhibens correctionem, & expurgationem, illum non correxit, neque ſuſtulit.

Infero ſecundò. Nimis exorbitaſſe Sinnichium, cum dixit, etiam ob illum Artic. eſſe prohibitum librum Amici Anno 1655. quia Anno 1655.

ille Articulus eſt permiſſus, ſeu liber cum illo Articulo eſt permiſſus imprimi, & evulgari Hæc ſufficiant de glorioſis hallucinationibus.

468. Supereſt quiddam notatu dignum. Dixerat Caramuel, doctrinam illam de occidendo calumniatore, etiam ante cenſuram Romanam fuiſſe improbabilem, *ſi ſumatur in tantâ verborum latitudine, quantâ ab aliquibus circumferebatur*. Offenderunt hæc Sinnichium; *Quaſi verò*, inquit, *latiùs ſumpta fuiſſet à Cenſoribus, quam in Amici libro expreſſa ſonet. Etenim cum propter eam, ipſo fatente, Amici liber ab Eccleſiâ interdictus ſit, planum eſt, eam cenſurâ dignam reputari debere, non merè prout ab aliquibus circumferebatur, ſed prout in libro, propter eam ab Eccleſiâ interdicto, jacet, ac ſonat.*

Hæc oratio eſt bene morata, ſic decet nos accipere decreta S. Congregationis, & Sedis Apoſtolicæ: optima eſt conſequentia hæc; *Liber ab Eccleſiâ eſt interdictus propter propoſitionem, ergo propoſitio eſt cenſurâ digna, prout in libro jacet, ac ſonat.* Atque adeò libenter admitto propoſitionem tam abnormem de occidendo calumniatore &c. etiam meræ diſputationis causâ concluſam, & illatam, cenſurâ dignam fuiſſe in Amici libro, & juſtam cauſam præbuiſſe cenſoribus Romanis ad prohibendum librum.

Sed optarem, Doctorem Sinnichium ubique fuiſſe tam obſervantem Romanorum decretorum, iſtamque conſequentiam habuiſſe pro legitimâ, non ſolùm agendo de decretis S. Congregationis; ſed etiam agendo de Conſtitutionibus, & definitionibus Pontificiis in materiâ fidei: Licebit extendere hunc locum, quando dabitur occaſio evolvendi Caput Primum Sectionis Secundæ, quod abſolvi per præteritionem.

CAPUT X.

Diſquiritur, quam multos Sinnichius invenerit Ieſuitas Auctores alicujus Articuli ex iis, quos reprobavit Facultas Theologica Lovanienſis.

469. SUprà vidimus quantum ſe torſerit Sinnichius, ut aliquos ex dictis Articulis affricaret Jeſuitis. Dubitari non poteſt, quin hoc egerit diligenter, ut Jeſuitas inveniret Articulorum Auctores; ſed præcipuè Tamburinum: cujus librum ſcit Inſulis fuiſſe excuſum, ut obviaretur cenſuris Articulorum, & propterea delectum à ſe eſſe ad confutationem, præ cæteris *laxantibus*, Tamburinum. Libet percurrere primum Articulos 17. cenſuratos à Facultate Anno 1653. deinde Articulos 26. cenſuratos Anno 1657. Tum verò credam fere Indici Sanctis Exregis, & Vindiciarum Decalogicarum, qui valde minutè

aſſignat

Digitized by Google

aſſignat res contentas libro ut ſciam de quibus Articulis accuſet Sinnichius: quod ipſum inquiram quoque aliis viis ut potero, diligenter.

470. Ex Articulis 17. reprobatis Anno 1653. ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis, ſoli ſunt novem, de quibus mentionem fieri comperiam in Sauſe aut Vindiciis: hi verò ſunt Articulus 2.3.5.7.8.9.13.16.17.

Articulum 2. Sinnichius conatur ſaltem ex parte affricare Tamburino: ſed infeliciter, & nullo ſucceſſu id conatur, ut oſtenſum eſt num. 269. & ſeq.

Articuli 3. mentionem facit Saulis Exregis cap. 112. pag. 489. in Vind. cap. 25. pag. 393. ſed neque Tamburinum, neque alium Jeſuitam invenit, quem auderet ſaltem accuſare de Articulo.

Articuli 5 mentionem facit Saulis Exr. cap. 104. pag. 414. col. 1. in Vind. cap. 17. pag. 206. neminem ſimiliter invenit Jeſuitam, quem accuſaret de Articulo.

Articuli 6. mentionem expreſſam ubi faciat Cenſor, non eſt mihi promptum dicere; ſed reipſâ ſecundam partem Articuli, quâ affirmatur, *Aliquando licere adverſarium infamare, imponendo illi falſa crimina*, conatur affingere Tamburino; ſed per calumniam craſſam, & charitati Chriſtianæ contrariam, ut intelligitur ex dictis num. 229.

Articulum 7. adſcribit Franciſco Amico: ſed per injuriam, ut oſtenſum eſt num. 192. & ſeq.

Articuli 8. invidiam afflare conatur Tamburino; ſed quantâ id injuriâ vidimus num. 46.

Articuli 9. mentionem facit Saulis Exr. cap. 110. pag. 467. col. 1. in Vindic. cap. 23. pag. 339, Sed neminem invenit Jeſuitam, cui illum auderet obtrudere.

471. Articulum 13. Franciſco Amico adſcribit Saulis Exr. cap. 110. pag. 460. col. 2. in Vindic. cap. 23. pag. 318. Sed cum Articulus procedat de *defenſione occiſivâ*, Amicus verò de defenſione ſic loquatur, ut nihil exprimat de *occiſione*, Sinnichius verò taceat de hâc differentiâ, injurius Amico Cenſor fuit. Vide dicta num. 198. Si etiam concederem, Articulum eſſe traditum ab Amico, non multum concederem; quando, doctrina illa Amici non offendit S. Congregationem, quæ tomum Amici, prius ſuſpenſum aliâ de causâ, permiſit in lucem edi cum doctrinâ illâ, ut conſtat ex decreto ipſo Congregationis: vide dicta num. 457. & ſequentibus

Articulum 16. adſcribit Stephano Baunio, idque immeritò, ut oſtenſum eſt num. 179. & ſeq.

Articuli 17. mentionem facit Saulis Exr. cap. 123. pag. 584. col. 1. in Vind. cap. 36. pag. 625. ſed nullum invenit Jeſuitam, aliumve Auctorem

rem; quem de illo accuſaret ſatis habens exclamaſſe; *Ecce quouſque prolapſi ſunt novelli probabilitatum patroni.* Supra docui num. 428 quis impoſtor fabricaverit Articulum, & quam inconſultò proceſſerint Cenſores prodigentes iſtam cenſuram.

Hi ſunt Articuli ex ſeptemdecim, de quibus aliquid mentionis invenio in Saule Exrege, ſeu Vindiciis Decal. ſatis intelligitur ex totâ hiſtoriâ hujus ſectionis cenſuratos eſſe Articulos ad invidiam præcipuè Jeſuitarum: conſideret Lector, quanto id jure. Nihil etiam non egit Sinnichius, ut Jeſuitas faceret Articulorum Auctores: patet quam fruſtra laborarit.

472. Pergamus ad Articulos 26. cenſuratos à Lovan. Scholâ Theologica Anno 1657.

Articuli primi mentionem facit Sinnichius Saulis Exr. cap. 113. pag. 498. col. 1. in Vind. cap. 26. pag. 415, nullum invenit Jeſuitam, cui Articulum auderet tribuere.

Articuli 2. invidiam aliquam conatur affricare Tamburino; ſed per injuriam, ut patuit num. 274. & ſeq.

Articulum 5. attribuit Franciſco Amico, ſed immeritò ut oſtenſum eſt num. 190.

Articuli ſexti mentionem facit Saulis Exr. cap. 110. pag. 468. col. 2. in Vind. cap. 23. pag. 343. neminem Jeſuitam invenit cui Articulum tribueret.

Articuli 7. mentionem facit Saulis Exr. cap. 109. pag. 451. col. 1. in Vind. cap. 22. pag. 294. Neminem Jeſuitam invenit Auctorem.

Articulum 8. attribuit Tamburino; ſed immeritò, ut oſtenſum eſt n. 186.

Articulum 9. tribuit Baunio; ſed præcipitanter, ut oſtenſum eſt n. 182.

Articulum 10. tribuit Eſcobario; ſed immeritò, ut patuit num. 184.

Articulum 11. tribuit Eſcobario, atque apud hunc Fagundio; ſed immeritò, ut oſtenſum eſt num. 219. & ſeq.

Articulum 12. tribuit Baunio, idque immeritò, ut oſtenſum eſt nu. 183.

Articuli 13. mentionem facit Saulis Exr. cap. 116. pag. 530. in Vind. cap. 29. pag. 492. Nullum Jeſuitam invenit, quem nominaret Auctorem.

473. Articuli 14. mentionem facit ibidem: dubites an Auctorem Articuli nominet Leſſium l. 2. de Iuſtit. cap. 21. dub. 16. an verò ſolum adiri jubeat, ut intelligat Lector, quid ſit contractus *Mohatra*: ſi Leſſium nominavit Auctorem Articuli, præceps fuit: Leſſius ibi ſolum docuit, quod Navarrus, Petrus Navarra, quos citat aliique permulti, contractum illum non eſſe injuſtum: non docuit ſimpliciter eſſe licitum, quod affirmat Articulus: imò circumſpectè monet num. 131. ex variis capitibus, quæ enumerat, eſſe non raro illicitum contractum illum.

Articulum 15. tribuit Valentiæ, & Tannero. Sed Valentiæ inſigniter eſt injurius, qui in terminis contradixerit Articulo, quâ parte eſt præcipue

pue invidioſus, ut oſtendi num. 251. Tannero quoque injuriam fecit, ut oſtendi num. 253. & ſequentibus.

Articuli 17. mentionem facit Saulis Exr. cap. 106. pag. 427. col. 2. in Vind. cap. 19. pag. 239. Jeſuitam non invenit, quem nominaret Auctorem.

Articuli 19 mentionem facit Saulis Exr. cap 104. pag. 414. col. 1. in Vind. cap. 17. pag. 206. Jeſuitam non invenit Auctorem.

Articuli 20. invidiam conatur afflare Eſcobario; ſed per injuriam, ut oſtenſum eſt num. 113. 114. Oſtenſum eſt quoque num. 107. 108. turpiſſimè ab illo in materiâ Articuli traductum eſſe Gabrielem Vaſquez. Oſtenſum denique num. 112. fruſtrà vellicatum eſſe Tamburinum in materiâ eâdem.

Articulum 21. tribuit Eſcobario, ſed per injuriam, ut oſtenſum eſt num. 257. & 258.

474 Articulum 22 eidem Eſcobario tribuit, & apud hunc Filliucio: ſed immeritò, ut intelligitur ex dictis num. 97. & ſeq. Affirmat quoque Articulo favere Tamburinum: ſed vel Articulo Tamburinus non favet ſimpliciter, vel inconſiderati fuerunt Cenſores, qui voluerint eum obligari ad jejunium, qui jejunare non poteſt ſine *notabili, & gravi detrimento valetudinis*, ut intelligitur ex dictis num. 99. 100.

Articulum 23. affirmat eſſe Eſcobarii: favere eidem dicit Tamburinum. Ego dico vel injuriam à Sinnichio fieri Eſcobario, & Tamburino, vel inconſideratos fuiſſe Lovanienſes Cenſores, qui cenſurâ dignam putarint doctrinam negantium eum hominem peccare formaliter non jejunando, qui jejunare non poteſt; etſi eam impotentiam contraxerit ex intemperantiâ præteritâ; præcipue ſi non prævideritſecuturam impotentiam ad jejunandum. videat Lector ea, quæ in hanc rem dedi num. 89. & ſequentibus.

Articulum 24. tribuit Tamburino; ſed immeritò, quod oſtenſum eſt non unâ ratione num. 64. & ſequentibus.

Articulum 25 tribuit Leſſio, & Tamburino: ſed immeritò ut intelligitur ex dictis num. 41. & ſequentibus.

Articulum 26. velitne attributum Tamburino Saulis Exr. cap. 94. pag. 357. col. 2. in Vind. cap. 7. pag. 70. non ſatis mihi conſtat: voluiſſet certè attribuere: oſtendit enim ſe offenſum illis limitationibus, quas Aſſertioni ſuæ adhibuit Tamburinus, & propter quas Tamburino Articulus attribui non poteſt. Vide dicta num. 24. 25.

475. Hi ſunt Articuli ex viginti ſex reprobatis à Lovanienſi Scholâ Theologicâ, quorum aliquam mentionem invenio in Saule Exr. aut Vindiciis. Si qui me fugerunt vel ex his 26. vel ex prioribus 17. quos Sinnichius alicui Jeſuitæ attribuerit, libenter de eâ re monebor: ſpero, non

ægrè

ægrè me oſtenſurum, ibi quoque Cenſorem aut calumniâ, aut præcipitantiâ lapſum eſſe.

Cæterum ex his, quæ hîc adnotavi, puto utcumque patere, quam vanus fuerit conatus Sinnichii, cum hoc egit ut invidiam Articulorum in Jeſuitas converteret. Audeo affirmare nullum eſſe penitus ex omnibus, quem ſatis oſtenderit Sinnichius, eſſe traditum ab aliquo Jeſuita. Sunt tamen enimverò ex omnibus tres, quatuorve Articuli, quos non eſſe traditos ab aliquo Jeſuitâ, nollem operosè contendere; niſi me miſereret Lovanienſium Cenſorum; Quos conſtabit cenſurâ ſuâ exorbitaſſe enormiter, ſi Articulos illos voluerint acceptos in eo ſenſu, quo illos tradiderunt Jeſuitæ, imo Theologi paſſim omnes etiam Lovanienſes Doctores. Quinam illi ſint Articuli, ex dictis facilè deprehendetur.

476. Patet quoque inaniſſima ratio Sinnichii, quâ dicit Tamburinum ſe præcipuè confutandum delegiſſe, quia ejus liber Inſulis ſit excuſus ad obviandum cenſuræ Facultatis Theologicæ Lovanienſis. Dico incunctanter nullum eſſe Articulum ex omnibus, quem liquido conſtet traditum à Tamburino eſſe ſimpliciter, & abſolutè. De pleriſque, imò omnibus fere, manifeſtum eſt, non eſſe ab illo traditos. Duos, treſve ex omnibus, de quibus aliquid dubitationis eſſe poſſit; non eſſe traditos à Tamburino magis intereſt Cenſorum Lovanienſium, quam Tamburini; ne præcipitantiæ in ferendis cenſuris meritò arguantur à cordatis viris, ſi in eo ſenſu notaverint Articulos, in quo eos videri poteſt tradidiſſe Tamburinus: res ipſa ex dictis hic, & ſuprà eſt perſpicua.

Hic ego finem imponebam huic opuſculo cum ecce incido in quaſdam Theſes Theologicas de Conſcientiâ defenſas Lovanii die 27. Novembris 1669. à P. Philippo de Vos, & P. Philippo Regaus Præſide R. P. Antonio à Burgundiâ Societatis Jesu. Dum luſtro otioſus illas Theſes, invenio ibi varia, quæ poſſunt Lectori præbere guſtum, & ſpecimen quoddam Secundæ partis Stateræ. Viſum mihi eſt non fraudare Lectorem iſto ſpecimine. Theſes ad hoc idoneas deſcribam ad verbum; non nihil auctis Titulis ad majorem claritatem, & diſtinctionem.

SPECI-

SPECIMEN

Secundæ Partis Stateræ, ſumptum ex Theſibus Theologicis de Conſcientiâ Lovanii defenſis die 27. Novembris 1669. à P. Philippo de Vos, & P. Philippo Regaus, Præſide R. P. Antonio à Burgundia Societatis JESU.

I. *Definitio opinionis probabilis.*

OPinio probabilis nobis eſt aſſenſus non certus, vel ex terminorum penetratione ortus, vel nixus motivo gravi, ex quali vir conſideratus, & prudens in rebus magni momenti concludere ſolet. Hinc ſi quis uni aſſentitur parti, vel non præhabito examine, ſi, & quod res poſtulabat, vel dum pro oppoſitâ videt eſſe manifeſta Scripturæ loca, Conciliorū, aut Pontificum definitiones, aut rationes majores, imò æquales, hunc aſſenſum inter probabiles, non numeramus.

II. *Etiam in Materiâ juris naturæ licere ſequi opinionem probabilem, quæ dictet actionem eſſe licitam, eſt communiſſima, & vera Theologorum doctrina.*

QUi huic fere Probabiliſtarum, ut vocant, doctrinæ contrarii ſunt Improbabiliſtæ, nec ipſi multi ſunt, nec inter ſe concordes; quidam, ſed pauci admodum, tutiora ſaltem in materiâ juris naturæ, ſequenda volunt ſub peccato; quibus ſunt qui adverſar os opponant pluſquam ducentos tam antiquos, quàm modernos: horum hic catalogum attexere non vacat: obvii ſunt Maldorus, Wiggers, & recentiores alii. Ex antiquioribus Sylveſtrum habes, ut mittam cæteros, S. Antoninum, Joannem Nider, qui cum eodem Antonino, nullius qui adverſetur facta mentione, pro ſe citant, *plures antiquos Theologos, & Canoniſtas devotione, & litteraturâ multum famoſos*, quos inter laudant Ulricum; nullâ juris naturæ, aut alterius diſtinctione factâ, affirmantem: *quod, ſi quis de alquo agendo dubio magis peritos conſuluerit, de quo nullam habet auctoritatem expreſſam, utrùm ita ſit, vel non, dummodò formet ſibi bonam conſcientiam, etiamſi re aliter ſe habeat, quàm id, quod ſentit, & quod ſibi conſultū fuerit; excuſatur; quia facit, quod potuit, & Deus non plus requirit.*

Unde colligas, quantoperè aberrent, qui doctrinam hanc, non ab aliis, quàm à Societatis Jeſu auctoribus traditam primum, ac propugnatam eſſe velint; quamque & differat ab ea, quæ hic nuper fuit propugnata.

Iiſdem Improbabiliſtis adverſatur D. Thomas, Auguſtinus, aliique Patres: Pontifices, ipſaque ſcriptura: unde cum Suare, aliisque docet Thomiſta Gonet, certum eſſe, quod ſequi liceat minùs tutam, ſed probabiliorem;

liorem; & ſanè hoc tam certum eſt, inſor[illegible], nec naturam, nec Deum tuliſſe legem ſtultam, quàm Deum antiquis temporibus Eccleſiam ſuam non deſeruiſſe, quàm ſtudium Theologiæ periculoſiſſimum non eſſe, quàm licere ſequi Auguſtini aliorumque Patrum ſententiam, præſertim quâ dicerent, licitum eſſe etiam in materiâ juris naturæ minùs tuta ſequi &c.

Deinde vel licet ſemper ſequi ſententiam probabiliorem minus tutam, vel omnino peccarunt graviter tot Doctores, dum docuerunt id licere: hoc enim docere tutius non eſt, niſi vera ſit ſententia; ergo fateri debent hi Improbabiliſtæ, eos ita docendo contra jus naturæ peccaſſe graviter, & quidem formaliter, cùm doceant nullam ignorantiam juris naturæ à peccato excuſare.

Quod ſi inſuper, ut videtur nuper quidam aſſeveraſſe, quicumque peccatum grave ex ignorantiâ juris naturæ ſæpiùs commiſſum, cujus conſcientiam non habuiſſet, non confitetur, ſacrilegam faciat confeſſionem (quæ doctrina Tridentino repugnare videtur) dicere debebunt, omnes illos auctores veroſimiliùs feciſſe continuò confeſſiones ſacrilegas, imò & in peccato mortuos, & damnatos, niſi in articulo mortis poſt ultimam Confeſſionem Charitatis juſtificantis actum elicuerint, vel ſine Confeſſione diſtincta peccatorum abſoluti fuerint.

III. *Modeſtè reſpondetur Sinnichio tot Theologis immodeſtè obiicienti imitationem palponiſmi Iudaici.*

ITa videri poteſt arguere auctor Saulis exregis, qui titulum Capitis 95. lib. 1. ſic orditur: *Neoterici laxitatum patroni imitantur priſcos Iudaici populi palpones: de quibus ad eundem populum Dominus exclamat, popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt* &c. Quam in rem adfert §. 355. Patrum quorundam teſtimonia: tum §. 362. eoſdem auctores, ni fallor, inſipientes appellat, illud Hieronymi uſurpans, *quod dicantur verba ſapientium pungere, non palpare.* Infert deinde, *Hieronymus ſapientem non reputat quemquam, cujus ſermo non pungit, ſed oblectationem audientibus facit.* Adiungit & laxonum, palponum, cæcorum, aliaque epitheta, quibus auctores illos exornat.

Nos autem modeſtiæ & charitatis memores ad ejuſmodi male pungentes ſermones, hoc unum reponimus; non probantur, nec probabuntur, niſi eâdem probatione confici velis & Patres, & Doctores omnes, quin imò ipſum adverſarium imitari Judaici populi palpones, quoſque peccare perſpexerint, laudare, & palpare, iis, qui ex culpa corripi debebant, adulari, iiſque pulvillum ſubiicere &c, quoties ex fundamento, quod ſolidum putant, licitum quid eſſe docent: docent autem ſæpiſſime; atque inter alia ipſe adverſarius ad rem hanc noſtram ſatis appoſitè. §. 260. *neque enim, inferioris conditionis cenſeri debent ſummi Pontifices, quam cæteri homines,*

quibus

quibus ſubinde licitum eſt in praxi pr[illegible]re ſecundum probabilem ſententiam, et etiam opinioni adverſam, quam ſpeculative reputant veriorem. hic ſane *ſermo non pungit, ſed oblectationem audientibus facit.* Inferamne? ergo ejus auctor ſapiens non eſt? abſit vel hoc cogitare de viro eximio: quid igitur ad mentem quam Hieronymo tribuit adverſarius? ipſe viderit, ut ſe alioſque omnes inſipientiæ notâ liberet; mihi quidem in promptu ſolutio eſt.

IV. *Eliduntur Cenſuræ Sinnichii adverſus communiſſimam doctrinam.*

IDem auctor §. 362. dicit illam *duram, ſi non temeritati proximam* §. 353. veretur *ne nimis prope accedat ad errorem libertinorum, atque ei revehendo aditum pandat.* Apage tales cenſuras. ſi temeritati proxima eſt ſententia, quam ducenti, ut quidam aiunt, vel certè longe plures, quam qui contrariam, docent; quot temeritati proximas tradit Saul exrex?

Quod de nimio ad libertinos acceſſu dicitur, refutatione non indiget: expendantur ea ſolum, quæ de eorum errore tradit adverſarius cap. 93. & jam ſat à libertinis diſcreti videbimur. Sane ſi nos nimium illis accedimus, nec procul ab iis aberit adverſarius. Hoc certum; ipſe magis, quam nos ad libertinorum, accedit ad Academicorum odioſum Auguſtino errorem, dum §. 364. negat licitum umquam eſſe opinari.

Quid quod ejus hæc cenſura multum accedat ad illam, quam Sorbona poſtmodum anno 1665. in hanc propoſitionem, *quam ſi propoſitio ſit falſa, poteſt quilibet tutâ Conſcientia illam ſequi propter auctoritatem docentis*, aliàque huc pertinentia tulit in hunc modum: *doctrina harum propoſitionum falſa eſt, & temeraria, innumeris novitatibus & corruptelis viam aperiens, & conſcientiæ regulas evertens.* Quæ tamen Cenſura cum aliis ſimilibus ab Alexandro VII. bullâ *cum ad aures* editâ eodem anno 7. Kalendas Junii, & debitè promulgata Romæ 26. ejuſdem, damnatur, *ut præſumptuoſa, temeraria, atque ſcandaloſa*, & ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ ſedi Apoſtolicæ reſervatæ mandatur, ne quis illam approbet, ſequatur, atque defendat: libriq; eas cenſuras quomodolibet continentes prohibentur.

V. *Solvuntur inductæ à Sinnichio argumentationes ex Scriptura Sacra.*

AT reponet fortaſſis, Chriſto teſte, arcta eſt cæli via: eſto, quid inde? ſententia de licito opinionis probabilis uſu eam dilatat, ergo rejicienda eſt; an non & ſententia de illicito uſu cujuſcumque, vel probabiliſſimæ opinionis in materia juris naturæ, eandem, quod haud minus malum eſt, viam coarctat? aut ſi & ego ſic arguam? ſententia docens licitum eſſe ſummis Pontificibus, uti & cæteris hominibus, interdum in praxi procedere juxta probabilem ſententiam [illegible] etiam contrariam, quam judicant

veriorem, viam cæli dilatat: ergo & [illegible]cienda eſt. Quid reſpondebit? id certè quod & mihi ſerviat neceſſe [illegible].

Verum nec cæli viam latiorem reddit ſententia noſtra, quam conſtituerit Deus: docemur quidem fide viam cæli arctam eſſe; ſed an ità, ut non capiat utentes opinione probabili practica? Hoc opus, hic labor eſt. Nego id ego ratione optima & auctoritate ſummâ; affirmat ipſe; ſed non probat, niſi fortè ſic. *non dixit Chriſtus, ego ſum probabilitas; ſed, ego ſum veritas.* Ergo non licet in materiâ juris naturæ uti opinione probabili; adeoque qui id licitum aſſerit, dilatat cæli viam.

Miror conſequentiam magis, quam capiam. Næ & ego ex eodem antecedente ſic inferam. Ergo non licet hominibus interdum ſequi opinionem probabilem ei adverſam, quam æſtiment veriorem: ergo nec in materiâ juris humani, aut facti, uti licet, opinione probabiliſſimâ, ſed minus tutâ: Ergo ne quidem ſemper licet adhærere opinioni tutiori in materiâ juris naturæ. Contingit enim & has non raro à veritate, adeoque teſte Adverſario, à Chriſto aberrare, qui non dixit, ego ſum probabilitas in materiâ aliquâ juris humani, aut facti: neque ego ſum tutitas (ut ſic loquar) ſed ego ſum veritas.

VI. *Reſpondetur Sinnichio abutenti auctoritate Lactantij, Auguſtini, Nazianzeni.*

Patres in ſubſidium advocat Adverſarius §. 357. à Lactantio incipit, quem lib. 3. cap. 13. ſic loquentem inducit. *Ne trahamur auctoritate cujuſquam; ſed veritati potius faveamus, & accedamus; nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.* Ergo, inquit, nec fas eſt uti opinione probabiliſſima; quia ſi falſa, ut poteſt, ad mortem ducit.

Quid ni & ego? ergo nec fas eſt ſummis Pontificibus, uti & cæteris hominibus, adhærere opinioni alienæ probabili, ſuæ contrariæ: ergo nec licitum ſemper eſt ſequi opinionem tutiorem: ergo & ſequenda in materiâ juris naturæ interdum ſententia minus tuta.

Verum nec aliquid horum vult Lactantius; cujus ut mentem perſpiciamus, ſubjicio, quæ apud ipſum citato capite lego. *Apparet falſam, & inanem eſſe Philoſophiam, quia non inſervit ad juſtitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciant igitur errare ſe, qui Philoſophiam putant eſſe ſapientiam, non trahantur auctoritate cujuſquam, ſed veritati potius faveant, accedant: nullus hic* &c. ex quibus ſenſus hic eſt manifeſtus: certiſſimè eos errare, qui Philoſophiam putant ſapientiam; ne trahantur igitur cujuſquam è Philoſophis, quos exploſerat, auctoritate in hanc de Philoſophiâ ſententiam, ſed veritati manifeſtæ faveant, [illegible] victi cedant, nec ſtultè obſiſtant: nullus

nullus hic temeritati (quâ putent, [illegible]ſophiam eſſe ſapientiam) locus eſt; in æternum ſtultitiæ pœna ſubeun[illegible] auctoritati inanis perſonæ, aut ejus fallenti in hoc opinioni ſtultè, & te[illegible]rè adhæſerint. An hic, quæſo, Lactantius dicit, nullus ullibi in materiâ juris naturæ probabilitati locus, in æternum probabilis judicii pœna ſubeunda eſt? id ſane ne dixeris, niſi oſtenderis idem eſſe Lactantio hic, & ullibi in materiâ juris naturæ, temeritatem, ſeu ſtultitiam, & probabilitatem, ſeu judicium probabile; quæ maximè diſtincta ſunt. Non ergo premit nos Lactantii locus hic.

Quod verò idem Lactantius cap. 7. dicit in diſponendo vitæ ſtatu, in formandis moribus, *ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur*. Si nos, & adverſarium premit. Lactantio addit Auguſtinum de Catechiſ. rud. *cum videris multos non ſolum hoc facere, ſed etiam defendere, atque ſuadere, tene te ad legem Dei, & non ſequaris prævaricatores ejus*. Quid hinc contrà nos? Auguſtinus (ſi tamen hoc facit) tutiora hic ſuadet ſequenda, non præcipit, quod & nos facimus, faciemuſque pro viribus, *ſic tamen, ut nec eos, qui illa non faciunt*, id eſt tutiora non ſequuntur, *vana contumacia judicemus*, ut ait Auguſtinus epiſt. 89. quæſt. 4. ubi prudenter etiam admonet, *ut in ſuis exhortationibus ad majora ſic excitent, ut minora non damnent*.

Verum nec ullum hic Auguſtini Conſilium de non ſequendâ opinione probabili minus tuta: propoſitis enim diſcipulo ſuo Dei præceptis, hoc eum monet, ne ab illis implendis eum avocent mala Catholicorum exempla, qui & peccata ſcientes committunt, eademque ut delectabilia defendunt, aliiſque contra legem Dei ſuadent, quam ipſe certò credat latam eſſe. Aut fallor aut nihil hic de opinione probabili minus tuta non ſequenda.

Auguſtino infelicius adjungit Nazianzenum oratione 27. *quid mea intereſt, qui veritatem magis amo, imò ſolum amo . . . . quid aliis videatur nihil ad nos*. Sed hinc quì concludere eſt, eſſe illicitum opinionem ſequi probabilem minus tutam? quin imo potius mihi inferre liceat, omnino id permitti: ex his enim verbis, ſi quid probant, colligi poteſt, Nazianzenum ipſum ſequi minus tutam opinionem. Cenſebat quippe actiones ſuas malas non eſſe, contra rebantur plurimi, tutius ergo erat non agere. Non abſtinuit tamen Nazianzenus, ſuam minus tutam, tutiore relicta, ſecutus: quare, ſi cui, certe locus hic nobis favet. Uſque adeò adverſarium ferit illud Proſperi lib. contra Collatorem cap. 22. *unde ſe defendi exiſtimat, accuſatur*.

VII. Diſ-

VII. *Diſſolvitur machina contra caliſſ[...]niſsimam doctrinam à Sinnichio conſlata ex dogmate infelici de ig[...]ntiâ invincibili juris naturæ non excuſante peccato.*

CAp. 96. ita fere ratiocinari viſus eſt. Ignorantia invincibilis juris ſaltem naturalis non excuſat à culpâ operantem ex ipsâ; ſed ex illâ operans peccat peccato novo ſecundum ſe imputabili, & meritorio pœnæ novæ; ergo ſi quis falsò, quantumvis probabiliter, putet actionem non eſſe contra legem naturæ, ſic agendo peccat.

Debilis machina, infelix ratiocinatio! aſſumpta propoſitio ne in ſpeciem quidem ab objiciente probatur illis quæ adducit, Patrum teſtimoniis: ſoluta illa jam pridem ſunt à variis contra Iprenſem eadem adducentem ſcribentibus. Quin imo loca quædam ab adverſario allata, ſi quid ad rem faciant, probant ad demeritum in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe opus libertate à neceſſitate; quod hæreticum eſt.

Porro Auguſtinum alioſque Patres facile intelliges, ſi conſideres, non ſemper eos de ignorantiâ invincibili, nec de peccato ſecundum ſe demeritorio, ſed frequenter agere de vincibili ignorantiâ, frequenter ignorantiam invincibilem peccatum appellare, non quod meritoria ſit pœnæ novæ, & formale peccatum, ſed quod effectus ſit originalis, adeoque peccatum denominativè in non renatis, contra quam, cenſebant Pelagiani, quos oppugnant.

Parum dixi, cum ratiocinationis antecedens probari negavi, quin imò illud evertit & ratio multiplex, & abſurda conſectanea plurima, & bullæ Pontificum, & Auguſtinus ipſis aliquibus locis, quæ pro ſe adverſarius adducit, & D.Thomas, &, ut innumeros in re clarâ taceam, ipſe adverſarius §. 380. docens, *quod ii, qui decalogi præceptis ignoranter contra veniebant, nequaquam ſubjacuiſſent reatui culpæ, aut pænæ, ſi verum ignorantia fuiſſet omnino invincibilis*: & infra *horum* (ſcilicet præceptorum decalogi) *ignorantia apud ipſum unicuique eſt damnabilis; atque adeò ut poſtremo loco aut in nullo invincibilis*: quæ conſequentia errat niſi ignorantia invincibilis excuſet à peccato.

VIII. *Suam ipſe machinam, & argumenta capitalia diſſolvit Sinnichius, eo denique delabens, ut nullam aſſerat dari ignorantiam invincibilem juris naturæ.*

QUod ſi verò ignorantia invincibilis juris naturalis, ſi daretur, juxta ipſum adverſarium excuſaret à peccato: igitur juxta eumdem excuſaret in materiâ etiam juris naturalis probabilitas, ſi daretur: *ubi cum ignorantia* inquit §.358. *excuſat à culpâ, etiam probabilitas opinionis eâ ſubnixa excuſare poterit*

Digitized by Google

poterit: quid ergò controverſiæ [illegible] reliquum eſt cum iis magnoperè, quos à c.94. perſtringendos ſuſceperat, *quod unicuique licere, aſſerant, quidquid propria conſcientia probabilitate ſubnixa præſcripſerit*, quo tantum affirmant, probabilitatem in materiâ juris naturæ, ſi detur, excuſare à peccato: nihil hic ſolliciti, an detur, nec ne.

Demus itaque adverſario, nec univerſalia naturæ principia, nec ſingularia Decalogi invincibiliter ab ullo rationis compote ignorari poſſe; neque tamen hinc conficiet, nefas eſſe ſuam ſequi opinionem probabilem ei, qui probabiliter quid judicaverit licere, quod per præcepta Decalogi inhibitum eſt: ſed illud tantum, neminem poſſe hanc opinionem habere probabilem, eo quod in materiâ Decalogi nequeat eſſe error probabilis.

Hæc verò ſequela, vel ipſa ſolvit argumenta, quæ contra opinionem probabilem adducit adverſarius §. 366. & ſequentibus, 371. 372. aliiſque: ad hæc enim eſt conſequens nec quemquam ante datam Moyſi legem, nec Gentiles, nec Phariſæos, nec Judæos, aut intrinſecè, aut extrinſecè probabili opinione judicaſſe, fas ſibi eſſe non honorare parentes, non juvare parentes, propinquoſque jam decrepitos, jugulatos devorare, incæſtus, aliaque ſcelera committere: cum enim vincibiliter, ut contendit adverſarius, ignorarint ea non eſſe licita; igitur nec probabiliter judicarunt licita eſſe, ut mihi inprimis manifeſtum eſt, & docet apud eundem §. 280. Caramuel aſſerens *qui probabilem ſequitur opinionem, inſuperabiliter veritatem ignorat.*

IX. *Dari aliquam ignorantiam, aut incogitantiam invincibilem juris naturæ optandum eſt in gratiam Sinnichii, & aliorum, qui & docuerunt, ſequenda in praxi ſemper eſſe tutiora, atque in praxi ſunt ſecuti minus tuta.*

AT verò hærere cuiquam poſſet ſcrupulus, an ut minimum aliquæ juris naturæ concluſiones, imo & ipſa prima principia ignorari ſaltem non poſſint invincibiliter hoc ſenſu, quod hic & nunc invincibiliter non occurrant: conſtat enim viros probatiſſimos, qui non niſi tutiora ſequenda aſſerunt, in praxi ſententias minus tutas ſequi; tales autem, tantoſque viros quis credat ſic operando voluntariè peccare? Et tamen vix alius modus ſuppetit in eorum ſententiâ illos à peccato vindicandi, niſi dixeris hæc agentes invincibiliter ſententiæ ſuæ, adeoque juris naturæ alicujus immemores eſſe: unde enim illis privilegium, ut à lege, quam aliis præſcribunt, eſſent exempti? certè ſi aliter agant, quam agendum judicant, næ in illos veriſſimè cadet illud Auguſtini ex Apoſtolo, *quanto* (præ nobis licitum opinionis minus tutæ uſum aſſerentibus) *magis inexcuſabiles ſunt, qui ex lege Dei inſtructi confidunt ſe eſſe duces CÆCORUM*, & *alios docentes ſe ipſos non docent, qui prædicant non* [illegible] (ut prædicamus non ſequendam minus tutam) *& furantur*, [illegible] Deinde

Deinde ipſa adverſarii noſtri modeſtia virtus poſcere videtur prima principia juris naturæ invincibiliter poſſe non occurrere : quis enim tantum virum dixerit in conſcribendo ſuo volumine formaliter voluntariè peccaſſe, idque eo etiam loco, in quo præſertim agit, ut à peccatis caveamus ? peccaſſet autem niſi hoc dicamus, cum noſtræ ſententiæ auctores accuſat, docere ea, quæ ipſi judicant omni ratione deſtitui, cum illos inſipientes, adulatores, palpones &c. appellavit : cum ſententiam ipſam tam graviter, & malè notavit, ſic faciens quæ ſibi fieri nollet : quare niſi ipſi principium hoc primum invincibiliter non occurrerit, formaliter ejus prævaricator fuit, vel ſaltem voluntariè peccavit.

X. *Imbelle prorſus contra communiſſimam doctrinam adornatum à Sinnichio dogma, quo cenſet, Opinionem ſemper eſſe peccatum.*

Aliud ſupereſt telum, quod contra nos toto capite 97. vibrat in hunc ferè modum : quicumque opinatur, peccat, ergo quicumque probabiliter opinatur, atque adeo qui opinionem ſuam probabilem ſequitur, à peccato non excuſatur.

Itane eſt ? peccat omnis opinans ? creditne ergo toties peccaſſe Auguſtinum, Hieronymum, D. Thomam, Bonaventuram &c. quoties opinati ſunt ? quod illos feciſſe neceſsè eſt, qui invicem in multis contradixerint, aut ſua retractarint : auſit vel opinari, Doctores quoſque, qui plurima non niſi probabilia docent, peccati reos eſſe ? claudendæ igitur ſcholæ tot peccatorum, quot opinionum in Doctoribus & diſcipulis ſeminaria : quin ſe ipſe ſceleris damnet, qui in ſuo Saule plerumque ut ſummum probabiliter judicat, cum ferè ſolum probet ex Patrum auctoritate, quæ teſte D. Thomâ, non certum omninò, ſed probabile tantum ſuppeditat argumentum ; cumque falsò opinatus ſit omnem opinantem peccare.

At inquit, D. Thomæ error inordinatus, Auguſtino malus eſt, ergo ejus periculo ſe exponere opinando ſine neceſſitate, quæ nulla unquam videtur, per ſe malum eſt.

Itane verò nulla unquam eſt opinandi neceſſitas? nullane Epiſcopo dum Confeſſarios approbat ? nullane his, dum pœnitentes abſolvunt ? nullane dum operandum eſt ? certè minor fuit librum opinionibus refertum edere : certè error non niſi phyſicè malus eſt, & inordinatus ; qui, ſi probabilis, nec ipſe, nec illi ſe exponere peccatum eſt, permittente Apoſtolo ad Rom. 14. *ut unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet* ; aſſerente Auguſtino *liceat cuique æſtimare quod velit* ſerm. 1. de verbis Domini cap. 29. & 21. Enchiridii ; *In his, atque ejuſmodi,* (probabilibus) *falſitatibus, ſalva fide, qua in Deum nobis eſt, fallimur ; & via non relicta, quæ ad eum nos ducit, erramus ; qui errores, etjamſi peccata non ſunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi ſunt.* adeò, quem pro ſe citat Auguſtinum ipſo mirante Wendrockio, habet adverſarium.

Digitized by Google

ALIQUA ERRATA.

pag. 6. l. 10. à fine *doctori* lege *doctor.*
pag. 6. l. 4. à fine *nùmeris* lege *muneris.*
pag. 16.l.22. *immunem* lege *non immunem.*
pag. 25. l.6. à fine *pag.* lege *parte.*
pag.35.l.9. à fine *Barſam* lege *Barboſam.*
pag.41.l.13. à fine *accenſes* lege *accuſes.*
pag.55.l.21. *mutare* lege *mutuare.*
pag.97.l.22. *non* lege *jam.*
In Præfatione pag.3.lin.16. *Volo dicere* leg. *Nolo dicere.*

1.005.408.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA